
LIBRARIÆ
COL LEGII
MAIOR
CRACOVI

IORDANI BRVNI NOLANI

DE MONADE NVMERO ET Figura liber Consequens Quinque DE MINIMO MAGNO & Mensura.

Abbas Raudensis Item procuravit. An. 1730.

DE INNVMERABILIBVS, IMmenso, & Infigurabili; seu De Vniuerso & Mundis libri octo.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REuerendiss. Principem HENRICVM IVLIVM Brunsuicensium & Luneburgensium ducem, Halberstadensium Episcopum, &c.

Prohibitus in indice librorum.

Ex libris





FRANCOFVRTI,
Apud IOAN. Vvechelum & PETRVM Fischerum consortes. 1591.



ILLVSTRISSIMO REVERENDISSIMOQVE PRINCIPI HENRICO IVLIO

Brunsuicensium & Lunæburgensium duci, Halberstatensium Episcopo Iordanus B. N. S.



APud Ægyptios primum, successu verò temporum apud Persas,atq; Romanos (Princeps optime) usu venit ut de sapientibus fierent Reges, & de Regibus essent Sacerdotes; unde scientia, potestate,& authoritate insignes meritò dicerentur Trismegisti. Ne philosophus sordidè egenus naturæ sensus, & rationis lucem potētiorum formidine supprimeret; & ignobiliter hypocrita veritatē pro sacrariorum applausu adulteraret. Ne rex ad unius insolentis & insulsissimi sycophantæ vocem,cælos sperans & Tartaros expauescēs, ignobilitatis, stultitiæ, atq; malitiæ ad statuum confusionem, regnorum dissipationem, & propriū de-

decus;fieret idolum,brachium, & instrumentum.Ne leges,Relligiones, atq; Cultus qui ad Rerumpublicarum statum, augmentum, & defensionem sunt,pro cuiusq; gentis captu,commodo, & defensione aut ficti,aut inuenti,aut reuelati;mox diuersi generis impostorum prætextibus euaderent materia fallaciæ, fomes abusus,& ignis enormitatis uniuersæ. Sic prudentia rerum,potestas agēdi, & ratio perficiēdi(quasi funiculus triplex)ad principis gloriam, Reipublicæ utilitatem,& seculi exemplū præēminebat,præpollebat,præfulgebat. Sic (inquam) Sapiētior ille,rerum potens,vel contēptor, ex mercenaria non mentiebatur auaritia;Sacerdos ille honore illustris, ex perditissima nō imponebat ambitione;Rex ille idem & ad sapientiam, & ad bonitatem in pectore hominum consequenter propagādam,tum veritatis lumine, tū sanctimoniæ feruore, tum nobilitatis ualore præditus,veram inter mortales diuinitatis imaginem(non ulli ulla in re inferior)testabatur. Sub ignorantiæ capite, & peruersarū suggestionū pectore (seu recōditorio)potestatis brachium, quanam melius

lius ſtatua præſentabimus, quam ſtulti unius robuſtiſsimi in medio humilis, pauentis, & inermis populi ancipitem, funeſtumq; caſu, fortunaq; circumrotantis gladium? Cui nempe de ignobili ruſticorum armẽto magiſter morum; De inſolenti captiunculatorum, vel grammaticorum academia inſtitutor doctrinæ; De ſomnolẽto & prẽſtigioſo melancholiæ antro reuelator arcanus & maximi altitonãtis pauꝑ emiſſarius, ad cõſummatiſsimã uſq; temulẽtiã inurbanitatis, ignorantiæ, & impietatis pocula ab ineũte ætate propinarũt. ¶ Iam quod ad propoſitum attinet. Mihi ſimplicius eſt ingenium quam ut Rhetoricorum more eloqui coner ut Illuſtriſsimæ Celſitudini tuæ non minus ingenitæ, & interno quodam præſtãtiore Genio adultæ, quam aliunde partæ ſint virtutes, gratiæ, & ornamenta; qualia uſq; adeo illuſtris, cõſulta, atq; grauiſsima nobiliſsimorum, prudẽtiſsimorum, & omni ſpectabilitatis genere inſignium curia (quæ ut tibi nunc ad ſtat, ita & ſemper adſtitit) eximio ſplẽdore vndiq; conteſtatur. Nec non ita in illuſtriſsima Celſit. tua conuenere Natura, In

genium & Fortuna ut fortunata natura populorum, ingeniosa fortuna sacerdotum, & naturali ingenio academiarum princeps iurè (quam hoc seculo possibile est optimo) fies: ut quodam diuino consilio triplici prælatus ordine quæ sapiẽter præmeditando proposueris, potenter exequendo perficias, & irreprehensibiliter defendendo conserues. Ego cui in Germaniam tamquam pacatiorẽ Europæ regionẽ hac fluctuãti tempestate acto, non tantum ex fama, quantum expresso sensu & probatissima quadam experientia eximia tanti Ducis claritas innotuit, inhumaniter, prophanè & sacrilegè me gerere viderer; si expressius istud diuinitatis simulacrum aliquo possibili cultu nõ prosequerer, obseruarem, colerem. Triplex igitur ex area exiguitatis meæ deprõptũ munus (tibi termaxime Princeps) offero. Primũ quod ad eruditum & sapientem, Secũdum quod ad Episcopum & sacrorum antistitem, Tertiũ quod ad principem pastoremq; populorum spectat.

Ad sunt ergo Primò de Minimo Magno & Mẽsura libri, in quibus Doctrina Eruditio & Disciplina videt primorũ principiorum

rum Intellectũm. Secundò de Monade Numero & Figura liber, in quo Reuelatio Fides, & Diuinatio Imaginationũ Opinionum & Experimentorũ fundamenta quædam agnoſcit vel veſtigia. Tertiò de Immenſo, Innumerabilibus, & Infigurabili uniuerſo libri, in quibus euidentes, certiores & fortiſsimæ ſunt demõſtrationes, qualiter mundorũ reſpublicæ diſponãtur, unũ ſine fine Regnum infinito gubernatori ſubſit, & Naturæ comprehenſibiliter & incomprehẽſibiliter ordo manifeſtetur. In primo volumine ſtudioſé cupimus, in Secũdo incerti quærimus, in Tertio clariſsimè inuenimus. In primo plus valet Senſus, In Secundo Verba, in Tertio Res. Primum eſt circa nobis Innata. Secundum circa Audita. Tertium circa Inuenta. Primũ in methodo certè Mathematica, Secudũ (ut licet) Diuina, Tertium uerè Naturali. Primum habet obiecta Simplicia, Secundum Abſtracta, Tertium Cõpoſita. In Primo ſapiẽtia habet Corpus in Secũdo umbrã, in Tertio Animam. IN PRIMO Elementa ſunt Terminus, Minimum, Magnitudo. Subiecta ſunt Linea, Angulus, & Triangulus. Do-

ctores Templum Apollinis, Mineruæ, & Veneris; quæ constructa sunt circulis Attingentibus, Penetrantibus, Cōtinētibus, In quibus figuræ, numeri & mensuræ omnes sunt Implicitæ Quæsitæ Explicitæ, in virtute Definitionum Axiomatum Theorematū. IN SECVNDO Monas est Substantia rei, Numerus est Qualitas interna seu differētia specifica, Figura est Accidēs exterius & signum. Monadem contemplamur in circulo, Numerum in triplici archetyporum reliquorum triade, Figuram elementaliter quidem in singulis, effectiuè autem in omnibus. Per Monadē omnia cōcordant, per Numerum præcipuè differunt, per Figurā maxime cōtrariatur. Monas est enim indiuidua rei substantia, Numerus est substātiæ quædā explicatio, Figura verò ab explicatorū principiorum situ & ordine dimanatio. Monade est quodq; absolutè Verum. Numero est propria in specie Bonum, Figura est certa relatione Pulcrum. Nā Veritas aliter est alibi, Bonitas alia est aliis & alibi, Pulcrum aliter est aliis alibi & aliquādo. Monas benè habenti docet seruare, malè uero habenti variare Locū. Numerus Nomen, Figura Habitum.

In Tertio à Tenebris per Colores ad Lucem datur ingreſſus. Diſtinctio colligitur inter Finem, Finitum, & Infinitum. Rurſum inter Efficientem, Elementum, & Effectum. Denuo inter Motum, Quietẽ, & Immobilitatẽ. ¶ Monſtratur ut in vniuerſo præcipua elementa ſint Aqua Lux & Aer. Præcipua ſubſiſtentia (ſub uno exiſtente omniũ principe & ab omni ordine abſoluto) Solem Tellurem, & Cælum. Vtq; Impedimentũ ſcientiæ naturalis & præcipuum ignoratiæ fundamentum, ſit non videre in rebus cõformitatem Subſtãtiarum, Motuum, & Virtutũ. ¶ Infertur perfectio uniuerſi ex Vnitate, Veritate, & Bonitate, In efficacia potẽtię Actiuę, in diſpoſitione potẽtiæ Paſſiuæ & in dignitate Effectuũ. Quæ perfectio vera eſſe nõ poteſt niſi in Innumerabili Multitudine, in Immẽſa Magnitudine, & in Perſpecto coordinationis Ornamẽto. Sic omnia encyclopedia quadã Eruũtur, Diriguntur, Applicantur. Triplici etiam ordine in unius ſcalæ ſerie diſtinguuntur, ut cum Breuitate ſit Facilitas. cũ Facilitate Veritas, cum Veritate Certitudo. Nec nõ in re conſiderata Dignitas, in

propoſitorum diuerſitate Ordo, in mediorum paucitate Sufficientia; qua Natura Significat, Ratio Contemplatur, Deus omnia in omnibus Operatur. Hæc ſunt quorum plura à longe viſa deformia putantur & abſurda, Propius ſi ſpectentur formoſa erunt & vera, Proximè autem nota, ut pulcherrima pariter atq; certiſsima erũt comprobata; quorum certè claritate diffugient tenebricoſa illa commenta quæ cõſuetudo credendi cogit eſſe vera & pulcra; quæ rationis (vel leui) trutina inueniẽtur incerta & iniocũda; ac tãdẽ ſub naturæ luce eius, quæ de noſtris ſenſibus & demonſtrationibus eniteſcet (quantumlibet fugiendo longius recedãt) turpiſsima & impoſsibilia cognoſcẽtur. Quæ an ita ſe habeant, Illuſtris. Celſit. tuã rogo ut tamquam apprime ſapiens ſciẽter examinet, tamquam Epiſcopus ſincere iudicet & tãquã princeps potẽter ab ignorãtum, malignorũ, & ignobiliũ contẽptu, calumniis, & violentia defendat. Quando ego ipſe tenebras ipſas auſu, voce, & calamo oppugnaui, expugnaui, ſuſtuli. Rationis adſiſtente Lumine, Naturæ ipſius adſtipulãte Sole, Dei optimi prædeſtinã-
te

te gratia: quem rogo ut mentem nostrã magis atq; magis ad veritatem illuminet, Cor ultròad bonitatem accendat, & Illustrissimæ Celsitudinis tuæ brachium amplius exaltet atq; amplius. Vale.



INDEX LIBRI DE MONADE, *Numero, & Figura.*

CAPVT I.

LIBRO PRIMO DE IMMENSO INNVMERABILIBVS *& Vniuerso.*

CAPVT.

7. In-

LIBRI SECVNDI CAPVT

LIBRI TERTII CAPVT

LIBRI QVARTI
CAPVT



IORDANVS BRVNVS NOLANVS,

DE MONADE NVMERO ET FIGURA, *secretioris nempe Physicæ, Mathematicæ & Metaphysicæ elementa.*

AD ILLVSTRISS. ET REVErendiss. Heroem HENRICVM IVLIVM Brunsuicensium & Lunæburgensium Ducem, Alberstadensium, Episcopum, &c.

CAPVT I.



VOS gremio tellus hominum fouet alma benigno,
Maxima pars hoc acta (Ducum celeberrime) fato est,
Et vegeta tempus studij sub syndone solis
Destinet ijs rebus quibus adseruatur inanis
Spiritus in vinclis, viuæq; caligine tumbæ,
Cui vitæ finis vita est, via meta viai.

Indeploratum primò genus exit eorum,
Qui neq; fortuna gaudent, neq; robore sensus,
Diuini vultus nusquam simulacra ferentes;
Quos tantum consors homini commendat imago;
Dum interea ingenium pecoris compendia vitæ
Aptius adsciscet digiti pro munere quini.
Hoc debet miserum sic adseruarier, ut sit
Turba ministerij ingenio meliore subacta.
Non minus infelix numerus succurrit eorum
Queis ut non desunt alieno parta labore
Commoda dormitant requieta mente supini;
Sicq; diem nocti iungunt, noctemq; diei,
Vt mors viua premat miseros, & mortua vita.
Nam bona non bona sunt proprijs in sensibus orbo,
Quem fugit ingenium, ratio, experientia, & usus:
Nil audit quod non credat; seq; arguit ipsum
Cernentem interdum, & vigilando somniat excors,
Ac medio in luxu laxatur viuere, visq;
Bruta voluptatis mortis turbata timore est:
Sic stultum excruciat propria ignorantia tortor,
Donec summa dies decreto edixerit arcto,
Vt fungus terræ specie reddatur eadem,
Qua primùm exortus superas concessit adauras.
Sunt quos sustollit duris in rebus egestas,
Exacuitq; ardens amor, aut timor, aut recoquenti
Ambitio stimulo. Quapropter candida veri
Non mouet hos species, virtutisq; intemeratæ,
Sed quæ frugifero hoc titulo vaga opinio donat.
Futile propterea studium reputabitur illis,
Quod non parturiat ventri rata commoda surdo,

Et quos insanum vulgus sustollit honores.
At nos quantumuis fatis versemur iniquis,
Fortunæ longum à pueris luctamen adorsi,
Propositum tamen inuicti seruamus & ausus,
Queis vel forté Deo tantummodo teste valemus,
Vel non usq; adeò ægroti sumus, atq; sopiti,
Vel certè sensum morbi retinemus & ultrò
Temnimus, ut mortem minimè exhorescimus ipsam.
Viribus ergo animi haud mortali subdimur ulli.
Te melior fortuna Deus (celsißime princeps)
Si modò pro ingenij rebus superaddis honore).
Edidit exemptum à cura miserator utraq;:
Quando opibus liber & maiestate renides.
Non sic ut spernas populos queis suspiciendum
Te dedit: & non ut temnas quibus esse verendum
Iußit, ceu sueuit numerus planè haud mediocris
Ipsorum qui sceptra tenent duntaxat, ut exstent
Organa queis seclum neglectum suppeditetur,
Et pecus indignum sua sub duce pabula carpat
Pro quibus exsoluat vellus grauioraq́; pensa.
Nam grauius nihil est quàm libertate superba,
Iuraq́; pro arbitrio pollens sibi fingere auara
Rustica progenies: quæ tunc se attingere cælum
Credit, cum potis est impunè temnere iura,
Et quidquid splendet virtute ac nobilitate,
Degenere unde videt meritò contemnier ipsam.
Sed dio sic igne nites sublimior orbi
Irradians, gemina ut vi luminis atq; rigoris
Discutias tenebras, & turbida barbariei
Semina disperdas; ubi Musæ & Martis honores

Explicat ex uno Iouialis corpore Pallas.
Hinc populos generosa regens industria tantos
Non eget austero (ut video) medicamine quo sit
Praxis de studio hoc potius spectanda potestas
Quàm simplex ratio, rerum fons, luxq; perennis.
Ergo quod in praxi pars istæc tota reposta est,
Fertq; suo innumeras paucarum pondere praxes,
Charior est vulgo, atq; loco celebranda priore
Ipsis de titulis Sed non hæc fercula vulgo
Porrigimus. Porro hinc ad malas commoda genti
Instituenda damus quæ non intelligat ipsa
Omnia, sed tantum quæ sunt nutrimina sensus
Quo fors adtollat semet, numeroq; recedat
Ex illo quisquam qui intenta mente relustrans
Propositum atq; urgens iterumq;, iterumq; volutans
Comperiat signis quæ non monstramus auaris:
Nam nihil adstruimus, quod nõ comprendere possit
Qui non Grammatica tantummodo lege sophatur,
Et nouit lapidum, herbarum, generisq; animantum
Qui status & quæ sit complexio, quæq; potestas,
Et vita & mores de toto & partibus ipsis;
Naturæ ut calamo veniunt descripta fideli.
Sunt generis primum signis distincta subinde
Sub genere archetypus speciẽ hãc seiungit ab illa, &
Sub specie proprijs noscuntur singula notis.
Namque quid esse putem similes variasq; lituras
Quàm proprium atq; alijs commune notantia signa?
Tanto nimirum meliori lumine adacta
Promptaq; præcipue, quanto scriba optimus ille est
Qui signando facit totum, faciendoq; signat:

Nec

Nec patitur simili diuersum currere vultu
Lumine depingit totum sapienter & umbra,
Omnibus unde omnes rebus subiere colores.
Fœcundas rerum voces & scripta ubicunq;
Inuenies, quocunq; oculi aduertentur & aures,
Quæ scriptura licet satis est expressa, diei
Concurrens cum luce: tamen quia vel sumus orbi,
Vel minus intenti potius, latet irrita nobis.
At non per se, ac simpliciter venit irrita, certè,
Nam neq; momentum naturæ nos sumus omne:
Et si momentum naturæ nos sumus omne,
Haud sumus hac specie aut alia sic prætereunte,
At qui simpliciter pro cunctis materiei,
Atq; actus numeris. Nihilum vetat attamen esse
Vt quandoq; fuere viri qui ascendere sensu
Hac potuere tenus, qua certis multa sigillis
Atq; characterum tractu docuere parari,
Temporibus certis vestigia cunctiparentis
Naturæ intento lustrantes lumine vultus:
Nempe ita colloquio fungi potuere deorum,
Istius & generis bene compellare tabellis
Numina naturæ, vel sic pro more patrare.
Quælibet & species per singula membraq; eorum
Cunctas expromit species velut est hominum qui
Et vultu atq; anima est tardè gradientis aselli.
Ergo discreuit proprijs natura figuris
Cuncta sigillatim, constanti cunctaq; lege
Fontibus è paucis deduxit principiorum,
Vt species monadis lucisq; imitamina primæ
In rerum vultu clueant, vigeantq; profundo.

In monade atq; atomo est recti curuiq; potestas
Ac simplex actus, quo sunt hæc unum idemq;.
Dein monadi ut monas accessit, progressio recti
Prima data est, primum discrimen, differitasq;.
Mox triadis vigor adueniens contraria prima
In recto ac curuo adducit, dextro atq; sinistro,
In medio & sursum posito, positoq; deorsum
Extremis, primus sequitur par, primus & impar.
Quinetiam species monas addita multiplicando
Per diadis primæ ac triadis discrimina, nullos
Ad numeros reuocata facit, dum singula certis
Constituit numeris, sed vix remanentibus unum
Iisdem ad momentum. Quapropter prouidam ijsce
Præcipit obtutum rationis tollere diæ
Lux mentis, sophiæq; vias pertexere, certas (plum.
Quæ adsciscũt species, numerũ fusasq; per am-
Nam variè in varijs eadem est impressa figura,
Vt speculi varia est sors, vis, positura tomorum,
Materies magis atq; minus per imaginis actum
Vnius illustris. Placuit quapropter haberi
Cuncta hominem unũ Sapientũ ex ordine queîsdã.
At species eadem pro appulsu materiei,
Hanc unam oblongat formam, sinuatq; recuruo
À speculo heic vultum canis & bouis atq; elephãtis
Efficit, in longos artus trahit inde lacertas,
Spargitur in ramos eadem hic substantia plantæ,
Omneis telluris spectas in corpore partes.
Nilq; adeò exiguũ est, quod sensibus obijciatur,
Quod non & speciem hanc referat pro viribus unã.
Atq; heic materies minus est digesta, ibi manca est
Crassior,

Crassior est illic. Actus latet unus & alter,
Non minus iccirco est species immissa per omne
Vrica, Timæo ut placuit, visumq; Platoni est.
Qui melius diadem tribuerunt materiei,
Sed formæ monadem: quos contra stat Stagyrites.
Quamuis & modus hic Sophiæ non semper ineptit.
Quidquid id est, serpens serpentem dixerit unum
Omnia, coruum unum coruus, propriam speciemq;
Mensuram rerum faciant mediamq; reponant.
Vt facimus nostram velutiq; reponimus ipsi
(Confusum mixtumq; genus voce ingenioq;
Quo manus extollit) quia constant consimilari
Omnia compage, atq; in cunctis spiritus unus
Insitus omne agitat, prout est agitabile, & urget
Præsentem ut speciem cunctis præponat, ut ipsa
Appulsu toto cupiat seruarier usq;.
Ergo iudicium si cui se adtollere altum
Est animus, quo de Lethæo denatet orco,
Nunc specie è ꝓpria in genus adsurgẽdo sequatur
Naturæ speciem: mentis acie ut videat quam
Fontibus è proprijs alijs aliud speciebus
Est verum & falsum, rectum obliquumq;, decorum
Probrosumq;, bonum atq; malũ, iucundũ et iniquũ,
Et turpe et pulchrum: propriæ namq; ordo figuræ &
Concentus proprij numeri citat omnia: quo se
Comparibus iungant: & proxima sæcla propagent.
Nam quis belluinam speciem nisi bellua cupiret
(Scilicet ante acta cui sunt quoq; semina vitæ)
Ad Venerem? Venus est speciei cuiq; sibi ipsi
Consimile, est alius bruta sub gente Cupido

Et Deus: Ingenium ut varium, atq; ad cōmoda fatis
Sic varium genus est: ut portio materiei
Non eadem geminis animabus subijcietur.
Nēpe hominū è specie esse vides variū genus, urses
Moribus hi promunt, Porcos isti, ijqúe Leones.
Sunt quos ad pisces referas, volucres, colubreisq;.
Qualibet in specie ac numero mox comperientur
Omnia, pro varia variorum conditione.
In cunctis siquidem Porcum video atq; Leonem.
Atq; sigillatim subiecto hæc plurima cuiq;
Omnia sunt cunctis ita conuenientia. Rursum
Ne duo comperias paria, atq; per omne eadem, quin
Perquæ conueniunt & iam contraria sæpe
Comperias veluti Fabro faber inuidet: hîc nam
Perpetuò alterutrum contraria bina repellunt,
Obiecti eiusdem affectu, quòd non duo possunt
Obtinuisse simul. Sic concordare necesse est
Hæc certum in finem & certo fundamine primo.
Hinc homini infensū nihilū magis est homine ipso.
Proinde in principijs latet hæc discordia: quam sors
Diuersi ingignit de campo materiei
Diuiduo, ad numerū monadis quod ab orbe recessit:
Dum tamen & monaden pro viribus ad sequitētur
Per numerū innumerū: qa nō tibi ꝙ mihi dulce est,
Nec ꝙ dulce fuit paulo antè, & nūc mihi dulce est.
Materiæ siquidem accessit pars, parsq; recessit.
Non ijsdem est numeris volucer, serpens, fera, piscis
Quæ si res numerant, non uno atq; ordine eodem
Connumerare valent, neq; prænumerata videre.
Namq; alius decet hæc finis, primordia, opusq;:

Nec

Nec totidem repetunt digitos, totidem articulosq;.
Propterea haud homini est reliquis prudētia maior,
Qui numeris multis à multis linquitur, atq; ijs
Quæ minima pro mole nihil curanda videntur:
Cui melior fortuna manus pro munere cessit.
Non ergo ratio est naturæ simpliciterq;
Dum numerũ innumerum prætermittēdo capessit
Prædefinitas quibus omnia constituantur
Conq; figurentur naturas, atq; figuras,
Concelebrans decadem, cuius variantia membris
Ordia prima fient, quibus accipit omne figuras.
Namq; ubi nunc denæ statuuntur in arte figuræ,
Ingenio efficitur naturæ consilioq;
Quod nostræ appositum est speciei, omnesq; pambit
Humani finis causas, elementa, modosq;.

¶ I. Rem sanè superficie tenus aspiciēti absurdam ex methodorum apparente confusione facere videmur, primorum elemētariorumq; numerorum meditationem cum elementariarum primarumq; figurarũ meditatione perinde cōplectentes, atq; q. Geometricũ opus cum opere confunderet Arithmetico. Sed penitius intuenti, & rerũ cum rebus ordinē & socialem illam analogiā non ignoranti, utq; natura ipsa superiora cũ genere quoq; diuersis inferioribus consociādo materiam finit, figurat, viuificat, seruat, & ad propagationem specierum promouet admirabilium, maximopere precium facere comperiemur; qui dum nihil vulgare molimur, nihil factum facimus, quando (ad ingeniorũ fortunatiorum gratiam numerorum sensibilia in melioribus quàm vulgus norit figuris reddimus elemēta) nec non huiusce generis figurarum sensibilium elementa in eiusce generis numeris speculanda proponimus.

2. ¶ HElcne velin ipsa quidem dictionum quarundam usurpatione cum Arithmetico vel Geometrico grege existimes esse commũe, cuicunq; videre licet, quemadmodum naturæ numeros persequentes ad naturales figuras quibus optima mater uniuersa cõfigurando distinguit, virtutes, proprietates, ipsaq; omnium in eorum superficie nomina depingit, insculpit, & intexit, animũ aduertimus. Cunctorũ in ipsis membrorum & fibrarum numeris, momenta designat illa. In ipsis imaginibus gratias, prærogatiuas, naturæ priuilegia, vel horum contraria illa aperit. In characteribus leges, modos, & in agendo atq; patiendo vicissitudines insinuat hæc eadem. In ea tandẽ sigillorum impressione præsidentis supra subiectam speciẽ numinis authoritatem atq; fidem perspectã reddit optima illa parens, atq; magistra; in cuius verê diuino lumine ambulãtib. via non à plebeo strata Genio & ianua minimé multis (ijsq; à seculo oĩum in fælicissimo nostro remotissimis) peruia indicijs minimé auaris demõstratur & aperitur.

3. ¶ CLarissima solis lux neq; omnib. lucet, neq; eorũ quibus lucet, omnib. lucet æqualiter, siquidẽ nec ad illã, neq; ꝑ illa oẽs animũ inducunt æqualiter: quinimmò amplius ultroq; cõtendẽtes absq; fatali dispositione nõ amplius illustrãtur. Nullus planẽ diuitiarũ fructus esset & honorum, si inter alios non plures essent ignobiles & egeni. Qui enim diuitib. & primatib. seruirent nisi pauperes atq; secundani? Qui magnificorũ gloriam atq; claritatẽ admirarentur & colerent, si ordo inglorius & obscurus non subesset? Absq; contrarijs nullus esset nobilitatis, virtutis, atq; fortunæ actus, nulla consequenter fortuna, nulla virtus, nulla nobilitas, quia lux in tenebris fulget. Nullus inquam locus, conditio, maiestasq; lucis non ullis existentib. tenebris esse potest. Subiectiores interea libenter interdumq; (Si dijs placet) etiã prudenter quæcunq; adsequi nõ possumus, contemnimus, carpimus, & insectamur. nec præsidẽti

iustiti

iustitiæ, occultæ certæq; subsistētis vicissitudinis rationem propter veri luminis carentiam retinemus.

4.¶ DIfficilis est liber. fateor immò & ipsam scripturā nescientibus legere lectu quoq; impossibilem esse cognoscim9. Homini indisciplinato & amplius grā matice sapiēti nihil potest esse facile nihil potest esse cō mendabile, nisi crepidam illam oleat ludiliterariam. Sed nos propositum resumētes dicimus huiusce generis numeros Pythagoræ, Aglaophemo, Zoroastrio, Hermetiq; Babylōio fuisse principia, quib. operāti naturæ homines coperatores esse possint. Huiusce generis figuras Platonem supra sensibilium specierum orbem extulisse constat: Apollonius propter numerorū virtutem audito illius nomine puellam suscitauit. Romanæ urbis proprium nomen prodere Romani non sunt ausi; ne ea qua alias subiecisse dicuntur urbes, & ipsi subijcerentur arte aliquando.

5.¶ AD hosce demum) qui principiorū combinationem & varietatem cōstituunt) numeros, & ad hæce (quæ primarū proximarūq; partiū ordinem posituramq; definiunt figuras) respiciētes Philosophi Sapiētissimū animaliū hominē ꝓpterea quia numeros atq; mensuras calleat, definierūt. Species quippe à speciebus, sicut numeri à numeris distinguūtur, quia secundū numeros diuersificātur formæ, secundū momenta virtutes compositorum, secundùm mensuras corpora, secundū sensibiles occultásue figuras omnia.

6.¶ ET peritissimū nouimus magorū genus atq; diuinorum: qui infaustæ fortunæ amolitionem intentantes, vel nouum molientes institutū; vel ad meliorem promoendi statū, ipso etiam pærcipiente numine numerorum mutationem cum nominis mutatione concepere. Et pro figuræ mutatione interioris & insen-

sibilis ritibus & præcisionibus quibusdam sunt initiati:
Figura quippe numerus sensibilis est.

CAPVT II.
De prima (quæ monadis est) figura Agono seu Circulo.


YCLVS *ad has prima est radix, formator, & index*
Qui cunctas vnus superat, complectitur, ambit,
Intusq; attingit, replet, metitur, adæquat.
Hoc de fonte fluunt primoq; parente figuræ
Clarandæq; forum ipsius iustumq; tribunal
Conquirunt, facie inq; sua spectantur adauctæ,
In faciemq; suam deglișcunt omnia tandem,
Illius ut crescit surgens in imagine horizon
Amplius à nostris se quando sensibus effert,
Illius ut formam capiunt attrita recessu
Corpora ad obtutum, quando momenta perire
Cuspidis expertum est, laterum discrimina vultus
Amittunt rerum in speciem cita principiorum,
Quo amplius in nihilum ad oculos soluenda fatiscũt
¶ *Proinde hæc cũ monadis specie celebranda videtur*
Quando parit reliquas, partas fundatq; figuras,
Vndiq; & insinuata cluit substantia earum.
Perperam haud igitur factũ est, sed lege probandũ
Indice naturæ luce, ut caperetur habendæ.
Principiò minimi Sophiam statuentibus huius

Vnde

Vnde omnis moles, omnis mensura profecta est
Peruia, sed quoq; nunc ut prima est dicta figura,
Externæ siquidem formæ genus omne volenti
Claudere, ne ad numerũ innumerum labatur inanis,
Hoc unum in genere hoc debet præcedere multa
Hoc ipsum ad medium spectent cuncta ordine in uno
Inq; hoc tum demum sistant requieta reperto
Non minus in finis specie quàm principiorum.
¶ *Dein velut è solidis globus est insectile quiddam*
Vtpote conspicuus facie dumtaxat in una,
Sic tantum filo consistit circulus uno.
Hinc quibus è planis substantia quanta genuntur,
Nec variã in speciem quantum resecando resoluunt,
Diuiduum ij minimè cyclum sphæramq; capessunt.
¶ *Ipse velut totum, pars, punctus, terminus omnis*
Principium medium, ac finem complectitur, atque
Indicat, atque ullus non claudit terminus ipsum;
Principium ac finis quia connectuntur ubiq;.
Recta infinitum ratione est ergo putandum
Principium, medium ac finem nisi dicere centrum
Constituas verè simplex, sine partibus, unum.
Vt minimum est unum, recta una, & circulus vnus,
Chorda, arcus, spiclum, punctum, finis, nihil, omne.
Heic ubi conspirant planè contraria in unum
Ortus & occasus: dextrum læuumq;: recessus
Accessusq;, status motusq; per omnia puncta,
Et tanquam nusquam patiens sibi ut adijciatur
Completum, integrum, & perfectum dicere suemus.
¶ *Circulus utq; unus valet angulus undiq; rectus*
Ad centrũ: hunc triquetrũ sequitur veluti duo recti

Deinceps succedunt, reliquæ proprio ordine formæ,
Et monadi et numero numerũ et monadẽ adijciẽtes.
¶ Nil etiam patitur vario intus tempore motum
Ordine, vel vario solus reglare sibiq; est
Atq; alijs, nempe omne loco hoc nusquam variatur,
Sed causis alid atq; aliud capiunt peregrinis.
¶ Nec præter gyrum cuiuscumq; ora figuræ est
Extima contingens, si adsurgens ordine certo
In latus & cornu est, Triquetri ut quæcũq; feratur
Subiecti species complexu simplice tangit.
Sic igitur semel assumptus rursumúe resumptus
Partes definit cuiuscumq; ipse figuræ.
¶ Præterea quæcumq; volunt in se ipsa redire,
Quam et cursu breuiore valent sibi proxima adesse.
Viribus in Cycli formam flectuntur auitis,
Sic seruant speciem conlectis cuncta tomorum
In centrum numeris, quia centrum consequitantur,
Omnibus adspirant in centrum appulsibus æquè.
¶ Adde ut libratum venit undiq; partibus æquis
Pondere, momento, motu, virtute, locoq;,
Iustitiæ capit inde vices & tempora, quidquid
Partibus in varijs consistere concupit unum
Compar, vicinum, coniunctum, continuumq;.
¶ Motibus è cunctis gyratio sola perennat,
Dispensatq; vices iusta super omnia lance,
Atq; obita in vultum certa serie aptat eundem:
Quamuis in rerum natura circulus ullus
Non cluit, iccirco quia circuit undiq; totum:
Quãdoquidẽ speciem natura haud spectat in unã;
Atqui hasce innumeras appulsu perficit uno.

Quare

Quare non ullum compostum simplice currit
In gyrum tractu, varius siquidem impetus ultrò
Ad varias tendit parteis, neq; circulus est par
Imparibus toti accitisq́; impare fine:
At scopus est eadem cunctis (seruarier) hancq́;
Circuitu adtendunt, intendunt, adsequitantur.
¶ Proinde & momentum naturæ cuncticapacis
Indicat ut campum non contrahat angulus ullum,
Marginis, at toto complexu fimbria tenta est.
¶ Cumq́; quiete venit concurrens motus in ipso.
Si quis enim gyro tantum mouet ille quietum
Mobile, contrectat medium ne linquat, idemq́;
Consistat centrum punctoq́; in marginis omni.
Præteriti motus finemq́; initumq́; futuri
Concipit: iccirco motus est atq; quietis
Terminus: unde quies toti est motusq́; per ipsum.
¶ Adde ut Naturai opus omne est circulus, omnis
Appulsus, motus, vis, actio, paßio, sensus,
Cognitio ac vita: ut centrũ est anima, ipsaq́; fundit
Vndiq; per gyrum, in sphæram seq; omnia tendunt;
Vt velut à sphæra in centrum se deinde receptent.
Nẽpe anima à medio cordis membrũ explicat omne
Principiò, arcano de semine stamina mittens,
Inde iterum relegenda suis verso ordine fatis,
Ac certa rerum serie. Sic maxima & omnis
Vis posita in centro est. rerũ est anima ipsaq́; centrũ
Cuius (siquiddam est) totũ explicitatio quædã est.
Simplice compostum à natura ac dicitur unum
Hocq́; ipsum: & quidquid per se consistere cernis
Diuiduum, est non ens subiectum reßpicienti.

Esseq́; nam parteis non sunt res ipsa, sed eius.
¶ *Circulus & rectum motum confortat, ut altè*
Contendant grauia & rectâ sublime ferantur,
Per medium librata locum vacuumq; penetrent,
Quod pinnis undas, quod verberat aëra pennis,
Quod serpens relegit sinuoso corpore planum,
Sublatis plantis quod terram circinat, illud
Circuitu dubio omne procul pulsante mouetur.
Namq; volæ, pinnæ, plumæ, facilisq; lacerti
Circulus est verus cum bina per æquora tendunt
Et sublata volant tepidi per inania campi,
In quibus ad centrum vis est motiua relata
Omnibus; ut centrum tota est essentia Cycli,
Areaque est fusi quadam explicitatio centri
¶ *Immo & naturæ tota est substantia centrum,*
Totum opus est Cyclus, Cyclusq́; est sphæra ꝑ omnes
Diffusus partes, ipsum sine fineq́; totum:
Sed variè in varijs reperitur partibus idẽ,
Quem maris explosus coram facit undiq; fluctus
Vndiq; confundit dum totum & singula gyrant
Tot ius, occulto patet istud in aere per quæ
Incertis leuitate sua sunt lata per ipsum
Pulsibus. Inq́; locis proprijs quæcunq; videntur
Partibus hac serie sunt excribrata perenni.
¶ *Sed quoniam purum nihil est primordia p̃ter*
Ac spaciũ quod & hæc & quæ ex ijs omnia surgũt
Marginibus nullis formata concipit aluo,
Euenit ut nullus sit verax regula Cyclus
Corporeo cum sit concursu principiorum.
Progenitum cui irrequietum funereumq́;

Indictum est bellum. Ergo constantia lite,
Qui poterunt certa & conformi sorte cieri?
Qui poterunt formata dari geômetrica amussi.
An non hæc adigit rectá sensus violenti;
Adversum recto fugiunt quia tramite, rectoq́;
Ad propriam metam tractu peregrina meabunt.

GIRATIO.

Ergo si punctum certum circumfluat alter,
Æqua perpetuò abiunctum distantia ab illo;
Prima monas simplex, dabitur tibi linea prima,
Est cui egressus regressusq; undiq; punctus:
At planum primum ac minimum, si terminus unus
Rectè consistat, quem circum corpore toto
Ducta sui integrè linquens vestigia oberrat,
Hoc ad naturam, atq; artem iuxtà genus omne
Tu referas. Si quid fixa radice mouetur
Continuo tractu (comprendas quolibet ipsum
Motorum in genere) ut contendit, & obuiat æquè
Linea punctorum veluti vestigia linquens
Principium ad reuoluta suum nihilo impediente
Momento ac specie, diuinè facta subibunt,
Et veluti fato fient comitante reperta.
¶ *At verò oblato deleti segmine Cycli*
Integrum proprio poteris describere campo,
Si centrum primò inuenias. Quod qua ratione
Perficias, paucis, & clara luce docebo.
Scilicet attingat geminus si circulus arcum
Punctis in geminis; ubi demonstrare valebis
Dissectis chordis contactus peruia puncta.
Namq; ubi contactus per punctum utrumq́; repertū

Amborum centrum cyclorum fluxerit: ipsum
Incurrit medium, siquidem illa in parte coibunt
Defluxus gemini, centrumq; erit angulus ille,
Quem oblati extremum securè, circinet arcus,
Quem sensus probet, & constans finitio gyri.

CONTINGENTIA.

Et punctū Cyclus quo Cyclum, sphæraq; sphærā
Adtingunt. habeas, ubi centrum fluxerit huius
Illius in centrum. Atq; uni concentricus alter
Maiori minor esse potest, ubi terminus unum
Vtrisq; est radij extremum. Ratio quoq; certa
Inter se illorum clueat, si dimetrus huius
Inuenta est, quanta in ratione & dimetrus illa est.
Sic valet ars quæcumq; suis de partibus, una
Vel de parte sui ad totius signa venire.
Ducit in integrum partis sapientia, parsq;
Venit ab integro totius in ordine posta,
Hanc bene si Cyclus contingat & unus & alter

COMPRENSIO.

Affinis dictæ subit ars quæ de tribu, punctis
Obiectis Cycli rationem perficiendi
Exhibet: hoc tantum seruato, ne uia recta
Permeet hosce oēs. Facilis dehīc forma erit isthæc,
Qua triquetrum qudcumq;, vales describere circa
Gyrum, ubi compertus tribus ex iis terminus æquè
Consiterit distans. triquetrum quia perficietur.
Punctorum occursu triplici; quia deinde fluente
Punctis à laterum mediis perpendiculari
Omnibus obtinget punctum concursus in unum,
Qui in triquetrum cardo est; gyri centrūq; repertū.

SIMPLICITAS.

De circuli analogia ad Monaden.

Ens unum formas rerum, vitam, numerumq;
Complectens, Cyclo ac Sphæra sine fine notatur,
Verum *consimile atq; unum, sibiq; undiq; constans*
Dixeris id tãtum quod ab omnibũ partibus æquum;
Nempe infinitum, in quo centrum sumis ubiq;,
Corporeum & spaciũ cui Natura *est super adstans,*
Nulla à parte absens, & tota in partibũ cunctis.
Circulus in rebus perfectè hanc indicat unus.
Sphæraq; si motum spectemus, vimq; meantem.
Circulus est unus rigida super omnia Lege
Fatum, *quo & certa se contingentia iungunt*
Libertate, scopo interdum, statq; omne necessum,
Et si naturæ pugnent mentisq; voluntas
Heic ubi non totum, sed particularia cernis.
Lex *una est qua per naturam fluximus alto é*
Principio, qua seruamur, sensu, ingenioq;
Donati vegetiq; sumus, quo deinde refluxu
Occidua è regione altos redeamus ad ortus.
Maximum *est unus complectens omnia Cyclus,*
Maximus atq; globus; quoniam sine finibus iste
Atq; ille est, cui immensa illa potentia & actus
Sunt unum, quia sunt quidquid valet effici uterq;.
Vnicus est Minimum *quia sustinet omnia Cyclus;*
Qui quia perfecté est internus in omnibus, atq;
Extra ipsum nihil est, veré omne, ꝑ omne, et in omni.
Compertus: minimus quare est & maximus idem.
Simpliciterq; unũ Spaciũ, Locus *unus ob ipsum*
Quod sine marginibus datur ullis; namq; nec ulla

Persuadet ratio aut sensus, frustrà ut siet istud
Immensum in toto hoc, eademq́; omnino potestas
Vt verè non ulla sui pars plena putetur.
Huic quoq; ubi detur centrum, quo verior esse
Circulus apparet, cuius substantia centrum est,
Et Spacium, & Corpus, Naturaq́;, Mensq; per unũ
Sunt INFINITVM, *sunt absq; soluta per unum,*
Verum simpliciter, quo mox sint omnia vera.
Ergo infinitum signo duntaxat ab uno
Exprimitur, cuius medium capiatur ubiq;
Hoc itidem ratio, res, & vis nominis VNI
VERSI, *per sese ostendit; velut undiq; tantum*
Obuiat, et mẽti atq; sibi. Virtus quoq; AGENS *quæ*
Omnia ad omne valet cõuertere, et omnia in ipsum;
Omnia ut à cunctis manant atq; omnia ab ipso,
Omnia uti centrum sunt omnibus, omnibus ipse.
MATERIES *quã nõ minus est substare necessum,*
Quam valet efficiens super adstare: ut potè tantum
Et facere ille potest, quantum fieriq; potest hæc:
Nam nequit esse potens facere infinita sine ipso
Quod fieri infinita potest: contraq́; vicißim.
Quare sese ultrò sic concomitantur, idemq́;
Principium statuunt verè, si rem altius, atq;
Materiæ nomen capias tu quam Stagyrites.
Poßibile id totum quo æquata potentia tota
Actiua est proprio subiecto, atq; esse potenti.
Nempe ita materia est rerum substantia tota,
Circuitu æterno quæ parteis tota per omnes
Vndiq; continuo cursu totum esse perambit.
Et quoniam nihil est actu nisi quod queat esse,

Nec plus esse valet quàm poßit ab efficiente
Perfieri: Ergo unum sunt nota Potentia & Actus;
Vnicus amborumq́;, atq; idem circulus exstat.
Et quoniam satis est vulgatum ut Actus, & ipse
Finis *conueniunt subiectum prorsus in unum,*
Et logica hos tantum ratio distingere sueuit,
In physicis speciemq́; ad unam cum efficiente
Sunt collata, velut naturæ luce coactus
Dixit Aristoteles. Finis nempe actus agentis
A` simili similis Forma venit efficiente.
Ergo aut principium capias quale est elementum
Compositis, vel quod mage causæ nomine dignũ est,
Perfectum, summum, per se ens, non mobile, totum,
Omnia natura sunt & ratione sub una,
Principium, Finis, Forma, Actus, Materiesq́;,
Efficiens, Infinitum, super omnia Magnum,
Ac Minimum, quod & hæc ambo complectitur Vni-
Versum atq; exæquãs spacium, lex maxima Fatũ,
Et Natura parens, Ensq; Ipsum, Vnumq́;, Bonumq́;,
Ac Verum nullo prorsus discrimine distant;
Singula seu inter se sint collata, vel omniâ
Pluribus, lex ijsdem, vel fiant singula cunctis.
Vtq́; sigilatim radijs est terminus unus,
Atq; idem punctus, cuius quoq; fluxus habentur:
Sic rectis cunctis finis per singula centrum est,
Ergo etiam plano, & solido in quod defluit istud.
Circulus inde monas genera explicat omnia primò,
Circulus ut simplex centrũ implicat omnia, cum sit
Quidquid et esse potest. Ergo & substantia rerũ est.

SCALAE MONADIS

PRIMVS ORDO.

VNũ eſt ſpaciũ, Magnitudo una, Momẽtũ unũ, cũ poſsibilitate, atq; potẽtialitate infinita, infinitũ.

¶ Vna prima Eſſentia, Vna prima Bonitas, Vna prima Veritas, qua omnia ſunt Entia, Bona, Vera.

¶ Vna Mens ubiq; tota, omnia menſurás. Vnus ubiq; omnia ordinans Intellectus, Amorq; unus omnia omnibus concilians.

¶ Alueus unus omnia concipiens, Aeternitas una ſimul atq; perfecta omnia poſsidẽs, Tempus unũ motus quietisq; omnis menſura.

¶ Vna omnium ſpecierum, & actuum Idea. Verbum unum omnis emanationis expreſsiuũ. Neceſsitas una omnia definientis Fati.

¶ Omnium procedentium primum unum principiũ. Vna omnis effectus prima cauſa. Vnum omnium conſiſtentium Elementum.

¶ Vna Infinitudo omnia finiens. Vna prima omnium Menſura. Vnum Infinitum omnia cõplectẽs uniuerſum.

¶ Monas una omnis numeri ſubſtantia. Vna prima Dias omnia diſtinguens, oppoſitio. Vnum primum omnium oppoſitorum commune ſubiectum.

¶ Intentio una omnia diſponẽs. Finis unus ad quem omnia conſpirant ultimum. Medium unum per quod omnia conſequuntur.

¶ Motor unus omnibus viciſsitudinem præbens. Actus unus omnia perficiẽs, una omnia viuificãs Anima.

¶ Nomen unum omnia ſignificans, Ratio una omnia conſiderans, omnia unus deſiderans Appetitus.

SECVNDVS ORDO.

Vnum veluti centrum eſt indiuiduum ex quo & de quo originaliter omnes ſpecies veluti diuerſarum innumerabiliumq; linearum effluxus eſſe cognoſcimus: Ad quod item & in quod ſeſe recipiendo reducũtur. Vnus

in Megacosmo solônia illuminãs, & viuifico calore irradians, uelutq; in medio residẽs Nympharũ Apollo. Vnũ Tolũ seu Area ubi tot Numina admirabilẽ sine intermissione chorẽ celebrãt. Aër unus oĩa circũtẽperans. Vnus humor omnia suffundens. Vna Lex omnia coordinans.

II. ¶ Vestam in centro & meditullio Telluris collocatam ex intentione Pythagoræ definiunt &, eiusdem numen, animam, atq; vitam esse intelligunt: unde significanter in Prytaneo ignis ad aram inextinctus seruabatur. Vnũ in quocunq; globo centrũ est & quasi pũctum, ad quod omnis circũstãs virtus directa peruadẽdo penetrat; quẽadmodũ ad centrũ usq; Telluris syderũ omniũ radios influere existimant Platonici; ibidẽq; tanquã uno in medio fortissimas esse & efficacissimas oẽs impressiones. Ob idq; ipsum diuitias totã p mũdi regionẽ circõferentalẽ sparsas ibi congregatas unitasq;. Ex indeq; illum Pluto, Ditiq; diuitiarum Deo locum adsignarũt.

TERTIVS ORDO.

Vnũ in Microcosmo centrũ est cor, â quo p totũ animal spiritus vitales egrediuntur, in quo arbor uniuersa vitæ figitur & radicatur, & ad cuius primitiuam custodiam & conseruationem referuntur. Vnũ cerebrũ omnis motus principiũ atq; sensus. Vnũ os uniuersalis attractatiõis organũ. Vnũ Epar nutriminis amphitrites.

II. ¶ Vno in medio vehementior est omnis efficacia, tum quia rectiundiq; stant ad cẽtrũ radij: tũ quia in angustũ & indiuiduũ oẽs colliguntur: hoc est unũ in quacũq; figura, atq; figurato medium. Monadẽ verò istã in omni perfecto cõposito inuenimus, & agnoscimus. Hãc secretioris philosophię cõteplatores agnoscunt, & operando pro uirib. persequũtur: Vbi quippe nõ punctũ attingere posse datur, ibi ad minimũ, vel circulũ, uel sphærã tamquã ad unitatem contendendo respiciunt, ubi de unitate desperãt, unionẽ moliũtur. Isti verò sicubi cõtrarietas obsistit, ci uni⁹ uno symmetriæ ordine cõtẽperãt.

III. ¶ Hoc est circulo æquidistantiam illic attentae, ubi indistantiam & simpliciorem materiei conditio non patitur vnitatem : Virtus quippe omnis in unitate est æterna & infinita, in simplicitate stabilis atq; perennis, vnione augetur, dispersione minuitur.

IIII. ¶ Ita cõposita omnia atq; coordinata in sphæricum, in circulum, in indiuiduum (quem simplicissimũ diximus esse circulum) centrum, atq; monadem pro viribus absolutiorem reuocantur.

V. ¶ Sic specula urentia ea qua in centrũ unum radij colliguntur vinonis virtute, efficimus : sic ad omnium efficaciã miraculorum in libro qui Sigillum Sigillorum dicitur, quindecim cõtractionis species explicauimus.

VI. ¶ Non temerê ergo heic primum cum Pythagoricis philosophiæ huiusce arcanum concludemus. Vnitatis nem pe naturam à centro ad circumferẽtiã remigrantem, & ad centrum à circumferentiam migrantem dare Temperiem compositis, Sanitatẽ corpoibus, animis Virtutem, domibus Lætitiam, ciuitatibus Pacem, imperijs Fortitudinẽ, temporalibus Diuturnitatẽ, mundo Vitam, omnibus Perfectionem.

CAPVT III.


DIADIS FIGVRA DIGONVS



T monas est rerum cunctarum essentia tota,
Constituens numeros, iterumq; iterumq; resumpta,
Par impar, multum paucum, maiusq; minusq;.
Cum dias accessit primum, meliusq; bonumq;,
Immò bonũ atq; malũ prima est ab origine fusum.
Hæc q; dedit numeris fundamina prima, quibus sint
Hinc alid, inde aliud; subiecta, obiecta; reiecta,

Adiecta;

Adiecta, hinc nuſquam eſt toto concordia concors,
Quando tibi, atq; mihi veniunt diſtincta; tuumq;,
Atq; meum; duo ſi tantum ſint entia verè,
Vnaq; ſubiecto natura feratur utriq;
Communis; quâ ſunt unum, ens, verumq;, bonumq;,
Efficietq; hoc atq; illud ſubiectio quædam.
Linquitur à diadis partu ſolidaria primum
Omnipotentia, principio eſt hinc materiali
Appropriata dias, ſiquidem hinc eſt ſectile primò.
Abdita percallens Babylonum Oracula Moſes
Dum quanam ſerie fabrefacta eſt orbita rerum
Explicat, & typico deſignat cuncta tenore,
Velat & arcano myſteria plurima ſenſu,
Diſtinguens ſenis naturæ opus ille diebus,



Concelebres bonitate facit multa ac benedictos
Quinq; alios. Nulla in signiuit laude secundum,
Qui numeri est orsus, monadisq́; est primus aborsus,
Ergo si Cyclo Cyclus primo adijciatur,
Nepe ubi dat punctũ pro cẽtro in margine quoduis,
En subit aduerso vultu actus differitatis,
Filius atq;, pater, subiectum, fœmina, masq;
Fœcundans, simplex compositum, disq; gregatum
Concretumq́;: cluit ratio propria & generalis.
Pars totum, simplũ duplum; sursum, atq; deorsum,
Antè retro, internum externũ, dextrũ atq; sinistrũ.
Millia quæ mox sunt positis fundata duobus.
Millia quæ secum aduectat substantia bini.
Perficitur reliquum extremum cum circuit alter
Vsq; ad infernum occursum, occursumq́; supernum.
Diuiditur primùm in geminas, data linea parteis
Huius ope, hinc Monadi accedunt diuortia prima.

COORDINATIO PYTHAGORICA. DIGONI ANALOgia ad Diadem.

Naturæ immensæ speciem si concipis uno
Integro, hĩc horres, tibi blãditurq́; Potestas,
Illinc crudeli est Actus *vultuq́; benigno.*
Illinc subsistens fulcris Substantia *nullis,*
Hinc toto Accedens *quod corpore iungitur illi.*
Materiesq́; *sinu constat patula inde perampla,*
Hinc Forma *è gremio illius quæ vênit ad ortus.*
Perpetua est cum materia Constantia, *cumq;*
Forma non ullo ac certo Mutatio *fine.*

Stan-

Stantia compatitur similem secumq; Quietem,
Vt varia aduerso gaudet mutatio Motu.
Illuc proq; statu tendit Generatio sancto,
Huc repetit vultu Corruptio auara molesto.
Illa est pura, manens, nuda, & substantia Simplex,
Composita hæc nexu consistens principiorum.
Illic non ullam promit distinctio Litem,
Hic minimè verū ingignit Concordia amorem.
Pertinet ad partes meliores Congregatum,
Interdumq; malas partes Secretio tentat.
Proueniens â pleno Effluxus continuoq;,
Influxu vacuum partes glomerantur in orbem.
Infinitum illinc, idemq; per omnia finis,
Atqui heic Finitum proprio fine fine videtur.
Perpetuò molem Addenti, & numerum adiicienti,
Nulla indicta quies illinc. heic Diminuenti
Ad monadem atq; atomum tandē resolutio facta est,
Et Multi & Pauci specie. Sed Materies heic
Constituit Numerū, Monadis viget imperiū illic.
Par hinc ad numeri regionem inclinat, at illinc
Qualibet hinc orta est matrē monadē petit Impar.
Densū ut cōsimile est Pleno, cōsors quoq; sede est,
Et Rarum Vacuo. Latere est Defectus ab isto,
Ex illo Excessus. Natiua in sede repertum id,
Hocq; Peregrinum. Variè hinc actū istud & illud
Appulsu hæc Grauis atq; Leuis, Circū illa Rotā-
Quæ Fluxu nobis Circūfluxuq; notātur. (tis,
Præterea genera illa vides Æterna, sed ista
Decreto adscriptas metas in Tempore norunt,
Inq; loco Præsens Absens, Lōgè atq; Propinq;.

Normaq; *continui* Planum Solidumq; *tuetur.*
Finibus atq; suis Rectum, Curuumq; *figura.*
Rursum complexu gemina inspiciuntur in uno
In quo hinc Archetypũ *est, illinc est* Sẽsibil' *omne.*
Illinc disponens est Prospicientia, Fatum *hinc.*
Siq; hoc suppostum quod habet prudentia seclũ est,
En *duo* Lux *candens,* Tenebrarũ *& vultus opacꝰ.*
Viuificus Calor *inde venit,* Frigusq; *ignauũ hinc.*
Inde Maris *species, imberbe hĩc* Fœmina *vultu.*
Illinc flammigerum media iaculatur ab arce
Sol *radium, hinc* Tellus *vario se fertilis orbe*
Inuertens circum, vitalia secla reuisit.
Heic vegetat Sensus, Mens *forsitan amplius illic.*
Fingere fortunam, & complexu si lubet isto,
Ad uotum placido est ibi Delectatio *vultu,*
Sordida Tristitia *hic stat mœsto segnis amictu.*
Mentis & obiectum tibi si adfingatur habebis,
Inuolucra heic Falsi, Verum *in regione remota.*
Inde oculis Pulchrũ, Turpe *hinc offertur; & inde*
Consona *cũcta cluũt, hinc* Dissona *iudice sensu,*
Compositum ut quodcunq; genus tandemq; notatur.
Sic geminus primi est discriminis angulus index:
Quandoquidem genus omne duo in contraria prima
Scinditur & ramos binis dat sectio membris.
Fortasse ad numerũ innumerum sub multiplicando
Priuatum, *oppostũ,* Contrastãs, *atq;* Relatum.

SCALAE DIADIS PRIMVS ORDO.

DIas ex Monade, (ut ex fluxu puncti Linea) procedit. Sic essentia fluens in aliud, facit esse. Bonitas se diffundēs facit Bonum. Veritas seq; explicans facit Verum. Vnde primus (vel simplicissimorum) numerus est de Essentia, & esse compositio. Itaq; et ratio duplex, hinc quidem Formę inde Materiæ. Hinc Principij, inde Principiati. Hinc Perficientis, inde Perfectibilis. Hinc Vnius, inde Alterius.

II. ¶ Bimembris quoq; prima est unius cuiusq. generis diuisio. Omne oppositionis genus duos tantummodo terminos primò per se cōplectitur. Vnum quippe correlatiuum uni relatiuo, uni dicto contradictorium unum, contrario uni alterum contrarium, uni potentiæ unus opponitur actus.

Constat



IIII. ¶ CONSTAT ERGO PRIma *diuisione entis natura sit ut*

1	Abſoluté		Reſpectiué
3	Abſoluté		Conditionaliter
5	Actú		Potentia.
7	Primitiue		Deriuatiué
9	Per ſe		Per aliud
11	Accidentaliter		Subſtan tialiter
13	Simplex		Compoſitum
15	Immateriale		Materiale
17	Definitum		Indefinitum
19	Infinitum		Finitum
21	Neceſſarió		Contingenter
23	Neceſſarium		Contingens
25	Seriatim		Turbatim
27	Diſtincté		Confusé
29	Sigillatim	VEL	Simul
31	Vnité		Diſpersè
33	Poſsibiliter		Impoſsibiliter
35	Immediaté		Mediaté
37	Naturaliter		Voluntarié
39	Recté		Obliqué
41	Veré		Falsé
43	Perfecté		Imperfecté
45	Deiunctiue		Poſitiue
47	Punctatim		Large
49	Separabiliter		Inſeperabiliter
51	Taliter		Aliter
53	Inaniter		é
55	Immobiliter		Plen iliter.
			Mob

2	Absolute´		Contracté
4	Absolute´		Modaliter
6	Primarie´		Secundarié
8	Principaliter		Accessoríe
10	Per se´		Per accidens
12	Substantiue`		Adiectíue
14	Corporaliter		Incorporaliter
16	Bonum		Malum
18	Simpliciter		Dupliciter
20	Formatum		Informe
22	Vniuersaliter		Particulariter
24	In omnibus		In quibusdam
26	Ordinate´		Inordinate´
28	Discrete´		Indiscrete´
30	Successiue´	Vel	Eodem tempore
32	Coniuncte´		Adiuncte´
34	Implicite´		Explicite´
36	Intrinsece´		Extrinsece´
38	Obiectiue´		Subiectiue´
40	Affirmatiue´		Negatiue´
42	Penitus		Quodammodo
44	Præcise´		Promodulo
46	Prædefinite´		Pro miscue´
48	Regulariter		Irregulariter
50	Realiter		Significanter
52	Tam		Quàm
54	Vage´		Certe´
56	Occulte´		Euidenter

III. ¶ SECVNDVS DIADIS ORDO.

Inde in duobus (Substantia scilicet & Accidente) entis est analogia. Duplex Potentia, Actiua scilicet & Passiua. Duplex Actus, Primus & Secundus. Duplex Perfectio, Simpliciter & in Genere. Duplex Intellectus, Actiuus & Contemplatiuus. Duplex Voluntas, Naturalis & Rationalis. Duplex Relatio, Aequalitatis & Inaequalitatis. Duplex Actio, Immanēs, & Trāsiens. Duplex Passio Perfectiua & Corruptiua. Duplex simplicis appræhensionis actus, Intentio & Conceptio.

IIII. ¶ TERTIVS DIADIS ORDO.

Exinde Duæ in nobis Animæ, Duo Dæmones, Duo Genij, Duæ Leges, Duo contrarij Appetitus, qui duas potentias apprænensiuas sensum uidelicet & rationem) consequuntur, Sensitiuus seu Animalis, & Intellectiuus seu Rationalis.

V. ¶ Duæ Veneres, Cælestis & Vulgaris. Prima ex Celo sine matre, Secunda ex Ioue & Dione. Inde Amores gemini, Patiens (cuius fortuna cōsistit, in Ero & in Antero) & alter Agens cuius fęlicitas est super Erū & Anterum. (Proinde ut docuimus in Sigillo Sigillorū, variæ sunt Amoris species, ut varij fidei sunt & imaginationis actus. Ex in duæ geniture species, altera ex coitu euidēti, altera ex occulto (nihil enim sine coitu genitur) Nam & uirtute imaginationis & præsentis materiæ ingignūtur in animalium corpore, vel potius contrahuntur tum nouæ species, tum noui furores & intelligentiæ interdū calodæmonum & numinum, Interdum demurū & Furiarum, interdum Medioxumorum, ut ad praxim usq; exactē comparandæ rationes in proposito Artis notoriæ & aliarum per Sigillum Sigillorum expressimus.

VI. ¶ Ac tot sunt species Amoris iuxta proximas differentias, quot & bonorum, & entium species: ideóque non simpliciter, sed huius vel illius respectu, omnis species & particulare, bonum est atq; malum. Cuiq; enim defi-

definito hinc eſt definiens dextrum, inde ſiniſtrū. Hinc quippe Amor eſt, inde Lis: Hinc Congregatio, inde Segregatio: Hinc Denſum inde Rarū: Hinc Ordinatio, inde Deordinatio: Hinc Lux, inde Tenebræ: Hinc Calor, inde Frigus: Hinc quibuſdam generatio, alijs corruptio: Hinc quibuſdam corruptio, alijs generatio, & ea quæ generationem antecedunt, generationi circumſtant, & generationem conſequuntur atq; corruptionem, ſimiliter è regione ſub gemino principe capite ſuſcipiuntur.

VII. ¶ In libro quoq; de rerum imaginibus (volente Deo) explicabimus, ut quælibet res duos habet dextrū ſiniſtrumq; Genios, eosq; actiuè vel paſsiuè, & ſecundùm plurimas in prima entis diuiſione & diadis ordine, differentias. Vt dextritatem, ſiniſtritatē, malignitatem, & benignitatem, libertatem, & ſeruitutē, exaltationem, & depreſsionem, directionem, & retrogationem, nocturnitatem, & diurnitatem, & in mouentibus planetis, & in fixis indicatoribus obſeruarunt.

VIII. ¶ Et in libro de principio, cauſa & uno oſtendimus ut tum in compoſitis tum qualificatis, quomodocumq; omnibus gemina habeantur cōiunctiſsima contraria non minus quā in ſummis venenis ſummæ medicinæ, in optimis nutriminibus læſiones, in ipſa morte eſt ipſa vita & natiuitas. Quid quod & unum quodlibet, abſolutione, reſpectu, tenſione, contractione, præſentia, abſentia, conuerſione, aduerſioneq; fit duo, fit diuerſa, fit contraria, fit contradictoria?

CAPVT IIII.

TRIGAENTIS.

AD TRIADEZ ANALOGIA TRIGONI.



ENSIBVS *hinc triadis succurrit clara figura;*
Nam veluti species numeri ternarius omneis
Comprendit primum, quia par hic primus, et impar,
Atq; monas per se existens, genus efficiensq;,
Distinguens varijsq; modis, speciesq; propagans.
Sic triquetri de fonte venit genus omne figuræ,
De quo composita atq; in quem resoluta reperta est.
¶ Proinde ubi ꝑ monadē species cōprenditur omnis,
Mox diade adiecta formam nil seruat eandem;
Sed primo hoc maius fit idem, quo deinde per impar
Continuè crescat, minimo triadisq; propinquat
E regione magis; velut undiq; fit manifestum.
Treis siquidem partes sunt quæ seruando figuram
Consimilem similes parti primæ adijciuntur.
¶ Dicere prætereo ut rationes principiorum
Et medij & finis cunctas sibi vendicet ipsa
Corporea in specie ad mensuras, atq; figuras
Pro quibus & dicenda manent, & diximus ante.
¶ Vt trias in specie generali perficit omne
Quod venit in lucem, quæ & productora primū est
Mens, Intellectus *genitus*, Nexusq; *duorum;*
Nempe Bonum, *atq; Boni genitus mūdanaq; vita.*
Mens genitrix prima, Intellectus progenitusq;

Primus

Primus, Amor, magnū quem dæmona nomine dicūt.
¶ Non aliud prima est effundens cuncta Potestas
Et totum in toto moderans Sapientia prima,
Ac bonitatis Amor totum sine fine profundens.
¶ Ad superos huic succedit trias alma reducens
Mercurius diuum interpres sensata facultas,
Ingenij fulgor rerum consultus Apollo,
Sollicitum votum genitrix Amathuntia nostri.
¶ Vnde expressa trias Veri, Pulchriq;. Boniq;
Vt blandis Paphiæ Charites complexibus hærent,
Plaudentes seclo, vultu facilesq; benigno
Quas mihi descripsit vates cui Mantua nomen
Imposuit. Prima illarum est Aglaia decoro
Lætitiam præ se ore ferens, secumq; Thaleia
Cincta sacrū viridi strophio caput, Euphrosineq;
Læta genas, læta os roseum, vaga lumina læta.
¶ Has contra duro aspectu legisq; seueræ
Iudicijs tractant immites stamina parcæ,
Quarum dat Lachesi rerum sortitio nomen,
Et mediæ Clotho circumuolutabile seclum,
Horrendæq; Atropo minimè reuocabile fatum.
¶ Simpliciter primò est Essentia cuiq; tributa,
Quam sequitur Virtus, & forsan concomitatur,
Inde Opus egreditur quo forma emittitur extra;
Aut immissa venit si nuda est Actio mentis.
¶ Triplex est actus, Simplex Apprensio primus,
Simplicium sequitur Complexio prima secundus,
Discursus tandem atq; Argumentatio prompta est.
¶ Distinctū est Minimum substentās omnia solū,
Non aliud Magnum est infinite omnia adæquans,

Maximitas *fines rerum quæ continet una est.*
¶ Æqual *aut* Minus, *aut* Maius *sunt omne relatū.*
Linea *continui est species*, Facies, Solidumq́;.
Par, Monas, *atq;* Impar *numero est substātia tota.*
Immenso est atq; idem Longū, Latū, Profundū,
Naturæq; scala est Imo, Medio, *atq;* Supræmo.
o Præteritum, Præsens *vehit instās, atq;* Futurū.
Heic Actus *purus*, Mixtum, *atq;* Potentia *pura.*
Cunctorum formæ Ideæ, Vestigia, *&* Vmbræ.
Ante *omne* Inq́; *omni, nēpe &* Post *omne reperta.*
Præsidet heic Natura *parens*, Violentia, Fatum.
Spectandū, Formidandūq́;, *ultroq;* Petēdum.
Efficiunt totum Casus, Natura, Voluntas.
Dat triplicē mundū Deitas, Natura, Mathesis.
Hinc tria principia emanāt Lux, Spiritus, Vnda.
Est animus triplex Vita, Sensu, Ratione.
Vnde, *&* Qua, *&* Quorsū *cognoscit mobile totū.*
Subiecta Apprendūt, Retinēt, Mittūt q; *retēta.*
Si Effectum *spectas, &* Votum, *et* Cognitionē,
Subiectum Obiectū *perquiritur, atq;* facultas;
Principiū, Mediū, Finis; Sensus, Ratio, Mens.

ANNVLVS APOLLINIS.

Principium, Medium, Finis, Sensus, Ratio, Mens,
Circulus est medius constans sex partibus, atq;
Finibus: ut sensus primò circumfluit ipsum
Principium integrè, Ratio *Mediumq́; supernus*
Finem Intellectus; venit extimus angulus inde
Triplex, è quibus est simplex apprensio primus,
Simplicium signat complexio prima secundum,
Discursus reliquum. Triquetrum sic circulus extra
Susci-


Suscipit ad scriptum. Qui sic inscribitur inde
Principium Finem si circumfluxerit, atq;
Si videat Medium se circumcurrere Finem,
Et pariter centrum Medio sit deniq; Finis.
Illa figura tibi venit obuia, quæ indicat altè
Nexum multiplicem trigam concurrere in unum.

CHARITVM MENSAM delineo.

Aduerte in Charitũ mensam tua lumina, quãdo
Est animus certa serie formare figuras;
Ordineq; oblatum certo dispescere campum.
Huc ratio adtendat quoties meditatur amussim,
Qua possit triquetro parteis inquirere plani.
Aduerte in Charitum mensam tua lumina, si uis
Coniectare vias causæ qua sacra Sacerdos,
Et quicumq; magus diuos meditatus honores
Ritus prosequitur sacros, ritusq; prophanos.
Ternum olim numen Saturni semine cretum
Confinxit Graium relligio quo fauor omnis
E cælo, eque Mari succederet, eque profundo
Imperiò Plutonis, Neptuni, & Iouis alti.

Tres gyri ubi circa Fortunã Charis vertitur & circa Apollinem & Bacchus circa Erigonẽ: & subinde viæ à Charite ad Bacchũ & Dianã, & à Baccho ad Diaãn altrinsecus ad circulorum productæ comprehensionem, eandem perpetuo adaugent figuram.

CHARITVM MENSA.



En heic tres gyri, quorum hæc sunt numina centro,
Quod recta triplex triplici connectitur usq;
Ad finem à fine attingente: ut finibus inde
Nectantur ternis: reliquos dehinc iungere fines
Perfacile est, una semper constante figura.
Adnecti centrum centro orbi orbem triquetroq;,
Vt varias triades vario sub nomine gentes
Vsurpant: numeri tanta est præstantia trini.
Mercurium aligerum terna hæc peruadere regna,
Vt contemplandi triplex genus est & agendi.
Cælorum terna est regio; terna aëris; undæ
Discrimen ternum; Telluris terna potestas.

Et ternæ genti ternus datus est Patriarcha,
Cum peperit Tellus genitrix animalia primum
Ennoc, Leuiathan, & quorum est tertius Adam
Maxima Iudææ ut credebat portio gentis,
Cui erat ex Vno tantum generatio sancta
Per totidemq́; (ferunt omnes) generatio rursum
Est renouata Noah de progenitore (sub undis
Submerso seclo) Semum, Chamum, atq; Iapætum,
Terno conatu terni substramine montis
Iurarunt terni fratres rescindere cælum,
Nixãtes Pelio Ossam imponere, et altum Olympum,
Quos triplici extructos disiecit fulmine montes
Iuppiter & fratres Cæum, Iapetum, atq; Typhæa
Quos triplici partu Tellus enixa nefando est
Edomuit, ternas tunc protulit Eumenidesq́;
Atq; orcum terno quo non satietur hiatu.
Vota hominum triplici obiecto variantur, ut uni
Plus alij inclinent. Iuno, Pallas, Venus urgent
Aut det maiestas, aut scire, aut blanda voluptas,
Diuitiæ, aut Sophia, aut est delectatio cordi.
In tribus est nulli largitum excellere posse
Nam cui scire datur, non collargitur habendi
Sors aut cura, quibus data copia, non datur usus.
Sed quam plus pulchro ac iucundo pelliciantur
Corda hominum Paridis sapiẽter fabula monstrat.
Terno functorum excutitur sub iudice causa.
Statq; triceps Hecate umbrarum regina perennis.
Vestibulumq; triceps obseruat Cerberus orci.
Termanes, tripliciq; manu veniuntq́; vocati
Ter valles resonare cauas (si ad uota magorum

Adſtiterint) faciunt: quando tria uincula nectunt.
Ter ſiblant, Tria vota ferunt; Ter circuit aras
Victima, terq; premunt ſubmiſſo poplite terram,
Thuri cremos & igneis ſaturant ter, terna colorum
Apparet facies, numero hoc deus impare gaudet.
Funiculus triplex facile haud rumpetur (ut et tres
In cælo in terris, teſtes ſunt atq; profundo.
Et terno mundus rectá diſcinditur orbe,
Magnaq; Telluris facies, ſacra terq; ſacerdos
Luſtrat, ter flammis, ter aqua, ter ſulphure, terq;
Se uertit, ternis & hiatibus ora reſoluit.

SCALAE TRIADIS PRIMVS ORDO.

TRIA Platonicis & Pythagoricis ſunt indiſtincta principia, VNITAS, VERITAS, BONITAS. Per Simplicitatem enim Vnitatis & Bonitatis veritatem. In ſimplici Bonitate & Vnitate Veritatem Et cum ſimplici Veritate & Vnitate Bonitatem agnoſcebant. Vna enim eſt Lux quæ vera eſt & bona, id eſt ſimplex. Eaq; ipſa bona eſt Lux quæ una & uera, id eſt cui nihil ad mixtum & adiectum. Vera tandem eſt Lux quæ una atq; bona; utpote ſibi ſuoq; uni principio.

II. ¶. SVPER Vnitatem nihil eſt quia nihil illa potentius, non eſt quippiam ſine Vnitatis participatione potens, neq; ipſa eſt quæ participiat, ſed quæ participatur ab omnibus, quæ Vnum, uel unita, uel multa ſunt. SVPER Veritatem nihil eſt: illud quippe niſi & ipſum verum ſit quid eſſe pteſt? Quod ſi verum eſt, veritatis (quam ideo ſuper ipſum eſſe oporteat) participatione uerum eſt. SVPER Bonitatem nihil: Simplici namq; & abſoluta Bonitate ſi quippiam melius eſſet, idem quoq; illa ſuperius intelligeretur, Superius autem non niſi ma-

 iori

iori Bonitatis participatione. Atqui non est Bonitas cui aliqua Bonitatis portio superadditur.

III. ¶. TRIA hæc se inuicem concausant in effectibus. Rebus enim Primó est Veritas ab Vnitate; nihil enimueré est nisi sit unum. Secundò Bonitas à Veritate: non est enim Bonũ hoc aliquid nisi sit veré hoc aliquid. Tertiò unitas à Bonitate, neq; etenim est unum hoc id est simplex, nisi constet absolutum & immixtum. Sic uicissim Primó vnitas à Veritate. Secundò veritas à Bonitate. Tertió Bonitas ab Vnitate.

VERVM —BONVM VERVM —VNVM




BONVM—VNVM—VNVM—BONVM



VNVM — VERVM BONVM—VERVM

IIII. ¶ Trias hæc in secundæ triadis actum procedit quæ est ESSENTIA, VITA, & INTELLECTVS. Essentia enim conuertendo se ad omnia, respiciendo omnia, & communicans se omnibus, vitam parit, ut deinde excellentissimus uitæ effectus, uel etiam uitæ prima species exstet Intelligentia.

¶ Essentia enim comparatur substantiæ Solis, Vita luci in Sole, Intellectus lumini à Sole diffuso siue procedenti. Sol generationis mutationisq; omnis pater in ternario est, potest, operatur, in vestigio, speculo umbra, per aerem, nubem uaporem. Ad subiectum per medium ab obiecto. In Iride tres principes medij colores. trina in paraelijs ab uno Species supposito. Discurre cũ huiusmodi analogia per naturæ scalam, quia multiplex ibi solut intellectus agens, sensus agens, ratio agens, anima. Vita Luci in Sole, Intellectus Lumini à Sole diffu[illegible], siue procedenti.



¶ Essentia in substantia Solis comparatur Spiritui, Vita in luce quæ in Sole comparatur Flatui. Intellectus in lumine quod à Sole comparatur Verbo.

¶. Essentia spirans est Anima. Flatus vitalis est Virtus animæ omnibus infusa. Verbum Intelligentiale est actus illius virtutis, quæ à supremo infimium ad usque pro sua capacitate disponendum, formandum, perficiendumq; pertingit.

SECVNDVS SCALAE *Triadis ordo.*

I. ¶ Triplex subinde Bonum in figura Ternarij Triangulo sensibiliter accipimus descriptum. In supremo angulo ARCHETYPVM, in dextro PHYSICVM. in sinistro RATIONALE seu ethicum fusiore significatione sumptum. Primum est absolutum supra, extra, & ante res. Secundum adnexum rebus, in reb. cum rebus. Tertium post res, infra res, abstractum à rebus.

II. ¶ TRIPLEX pariter in eisdem terminis Pulchritudo.

tudo. Prima in ratione INTELLIGIBILIVM. Secunda in Symetria VISIBILIVM. Tertia in harmonia AVDIBILIVM. Illam triplex consequitur Amor. METAPHYSICVS seu diuinus. PHYSICVS seu Magicus, MATHEMATICVS seu Logicus; nomine latius significante. Et sub hoc triplici doctrinam eorum calle incedentem iactant Hebræorum sapientes CABALISTICO nempe PHILOSOPHICO & TALMVTICO. Primus callis formatur ternario alte REVELATIONIS, clare CONTEMPLATIONIS, ornati CVLTVS. Secundus Veritate DOCTRINAE, Bonitate MORVM, Rectitudine OPERVM. Tertius auditu LEGIS, Notatione EXEMPLORVM, Regulæ PRAEDICANDORVM.

III. ¶ In Primo (ad quē triplex iste callis adducit) cāpo Anima est veluti supra Fatum; In Secundo est ut in Fato: In Tertio est tamquam sub Fato. In Primo est ut in dominio. In Secundo velut in libertate. In Tertio tamquā in seruitute.

IIII. ¶ In trium horum infimo gradu (inquiunt Platonici) quominus à Fato conculcetur, Anima communi certa Dei notione atq; Fide diuina quadam se ipsam similitudine configurat. In medio quominus cum Fato discurrat & obambulet, tota ad Deum cogitationis intentione contendit. In supremo quo super Fatum melius adtollatur, eminentioris cupidinis facibus inflammata in Deum superamando transfertur. SIC postquam in infimo statu Deus illi influxit; & in medio afflata est & adimpleta: In supremo arctioribus efficacioribusque uinculis copulatur. In infimo audit, In medio intuetur, In supremo possidet.

V. ¶ HISCE tres malorum gradus præiudicium faciunt, In infimo MATERIA, In medio corporea FORMA atq; qualitas, In supræmo possibilitas quædam præuaricatiua, animæ innata: illam efficiens à supernis conuerti & adpulsum capere ad inferna. Quas circa tres animæ vires conuersantur. CONCVPISCIBILIS infima, I-

rasciBILES media. RATIONALIS superna. Inde tres vitæ consequuntur, FERINA infima. HVMANA media. HEROICA superna, ubi ratio ad apicē mētis adtolletur.
VI. ¶ Infimæ dicitur præesse VENVS, Mediæ IVNO, Supræmæ PALLAS, præcipuè: tria nempe hæc numina etiam sigillatim tres omnes vitæ gradus licet (singula unum principalius) attingunt. PALLAS tres Intellectus illuminat operationes APPRAEHENSIONEM, COMPREHENSIONEM, & DISCVRSVM. Dat item triplicem intellectum POTENTIAE seu posibilem; IN HABITV, & IN ACTV. ad quem tribus ad omnem artem necessarijs reddimur habiles, faciles, & potentes, nempe INGENIO, DOCTRINA, & EXERCITATIONE. Vnde consequētur ad triplex bonum erigitur affectus. IN NOBIS primum, IN IDEA medium, SVPER IDEAM summum.
VII. ¶ IVNO regula tres sensitiuæ potentiæ facultates, APPRENSIVAM, quæ fit per sensus externos & communem: COLLATIVAM seu comparatiuam, quæ per Phantasiam Imaginationemq; fit; & RETENTIVAM, quæ fit per Memoriam.
¶ VENVS tres vegetatiuæ potentiæ regulat virtutes NVTRITIVAM, AVGMENTATIVAM, & GENERATIVAM. Quarum Generatiua habet tres vires Spermaticam seu SEMINATIVAM, Immutatiuam seu CONTEMPERATIVAM, & Formatiuam seu FIGVRATIVAM. Vegetatiua tres. ATTRACTIVAM, RETENTIVAM, DIGESTIVAM. Augmentatiua tres Partium scilicet peregrinarum. INFLVXVM, TRANSMVTATIONEM & INCORPORATIONEM.
VIII. ¶ Triplex demum animæ à tribus hisce numinibus inseritur appetitus. À Venere SENSVALIS, à Iunone RATIONALIS, à Pallade INTELLECTVALIS. Pallas dat animæ separatæ CONTEMPLATIONEM, Iuno ACTIONEM, Venus VOLVPTATEM.
IX. ¶ Tria item hæc numina tres vitæ elargiuntur

duces.

duces. PALLAS RATIONEM diligenter examinantem. IVNO EXPERIENTIAM rerum consuetudine confirmãtem. Venus eam quæ neq; decipiat, neq; decepta fuerit AVTHORITATEM.

X. ¶ TRIPLEX item est cæli Fortuna, unde diligenter Magi & Astrologi gratias requirũt, IVPITER, SOL, VENVS. hanc tres Speciosissimæ se inuicem complectentes puellæ referunt, quarum nomina sunt VIRIDITAS, LVX, LAETITIA.

XI. ¶ Tresq; super mundum Zoroastrici Persæq; omnes Philosophi principes. nominarunt, OROMASIN, MITRIN, ARIMANIN: pro quibus fertur eos intelligere DEVM, MENTEM, ANIMAM. vel Dei VIRTVTEM, Mentis ORDINEM, Animæ MOTVM. Deus enim viuit, Mens ordinat, Anima mouet.

TERTIVS SCALAE TRIA-
dis ordo.

I. Ascensum proinde atq; descensum ad cursum, atq; recursum, in fluxum, atq; refluxum in analogia trium animæ specierum contemplemur: Influit enim Anima MVNDI in animam SPHOERARVM, & hæc in animam ANIMALIVM cæterorum. Et à tribus supramundanis causis EFFICIENTE, EXEMPLARI, FINALI (quæ ad unum duntaxat ordinem reducuntur) tres formæ gradus educuntur In corpore simplici, In corpore composito insensibili, In corpore composito sensibili. NVMINVM DEMONVM, HOMINVM. Tria sub ijs sunt Spirituum genera, IRRATIONALIVM, RATIONALIVM, INTELLECTVALIVM. quorum Intellectuales influunt in Rationales, Rationales in Irrationales. Quam distinctionem ab actu expresso, proximaq; illi ex concessis organis potentia, non ab ipsa natura atq; substantia una se omnibus iuxta diuersos numeros communicãte desuminus.

II. ¶ In rebus quippe Intellectus ille distinctor, distributor, & ordinator tria oculis ratiocinij contemplãda

da proponit, MOMENTVM ſubſtãtię, MVLTITVDINEM proprietatum, & MAGNITVDINEM operationum. Rurſum SPECIEM, NVMERVM, & MODVM, unde tria deduci aſſerunt ingenia Platonici. Ex Specie PHILOSOPHICVM, Ex Numeris MVSICVM, Ex Modo AMATORIVM.

III ¶ In triplici corporis ſede (quo omnia illi perula ſiant) tres vires exercet Anima. Prima vis immortalis atq; diuina RATIONALIS in corporis arce tamquam in cælo ſedem ſortita, liberior à materiæ fluctuantis impulſibus enſtuit in capite videlicet, cui tanquam in eminẽti regione conſiſtenti adminiſtrantia reliqua ſubordinantur membra. Secũda ANIMALIS circa cor atq; pulmones, ubi ignis & aëris mediæ veluti regiones contẽperantur. Tertia NATVRALIS materiæ prorſus captiuata facultas quæ circa renes & epar ubî humida & terrea ſubſtantia prædominatur, eſt infixa.

IIII ¶ TRIADES Numero, Magnitudini, & Momento ſubordinatæ.

Habemus communiter in genere Quantitatis iuxta omnes ſcilicet acceptæ rationes atq; modos. Ternaria.

Terminum	Partem	Totum
Nihil	Aliquid	Omne
Cõprehendens	Cõprehenſum	Adæquatum
Deens	Suppetens	Superens
Finem	Finitum	Infinitum
Penuriam	Facultatem	Diuitias
Inopiam	Copiam	Opulentiam
Parcum	Moderatum	Fuſum
Humile	Magnificum	Superbum
Saltem	Omnino	Vltro
Auarum	Liberale	Prodigum
Sterile	Frugiferum	Fœcundum

Com

Compendium	Expendium	Diſpendium
Decrementum	Conſiſtentiã	Augmentum
Abiectum	Subiectum	Adiectum
Subtractum	Inſitum	Additum
Deficiens	Sufficiens	Abundans
Diſtinctionem	Diuiſionem	Vnionem
Poſitionem	Cõparationẽ	Suplationem
Imparitatem	Paritatem	Supparitatẽ
Defectum	Mediocritatẽ	Exceſſum
Remiſſum	Competens	Excellens
Mancum	Integrum	Nimium.

V. ¶ NVMERO SVBORDINANTVR.

Vnitas	Dualitas	Pluralitas
Singularitas	Paritas	Imparitas
Singulariter	Dupliciter	Multipliciter
Sigillatim	Cumulatim	Cunctatim
Lectim	Collectim	Sparſim
Paucitas	Pluritas	Multitudo
Indiuiduum	Diuiſibile	Innumerum
Numerans	Numerus	Numeratum.

VI. ¶ MAGNITVDINI SVBORdinantur.


Minoritas	Æqualitas	Maioritas
Longitudo	Latitudo	Profundum
Linea	Superficies	Corpus
Breuitas	Æquabilitas	Prolixitas
Contractio	Tractio	Diſtractio
Non menſitas	Dimenſitas	Immenſitas
Inſecabilitas	Secabilitas	Inpcurribilitas
Magnum	Maius	Immenſum

Mini-

Minimum	Minus	Maximum
Exiguitas	Magnitas	Eximietas
Pusillitas	Granditas	Vastitas
Inchoatio	Adolentia	Perfectio
Terminus locus	Spaciū locus	Tempus
Motus	Quies	Sensatio.

VII. ¶ APPLICATIO TRIADVM.


In omnibus tandem ordio est Principij, MEDII, & FINIS nēpe AGENTIS, MATERIAE, & FORMATIONIS.



¶ Vnum

¶ Vnum inter extrema (In quolibet ordine) quælibet est medium.

¶ In omni tertio alicui applicando mediũ quod ambortum ſit particeps extremorum requiritur. Medium verò tripliciter eſſe cõtingit. Aut primò quia alteri ſubijcitur alteri præſidet. Aut ſecundò quia utriq; præſidet. Aut tertiò quia ſubijcitur utriq;. Hoc quod dicitur in ſubiecto figuratur archetypo, ubi Extremum unum. A. Medium. B. Extremum alterum. C; Vbi Medium. B.



refertur hinc quidem ad. A.dextrum; inde verò ad. B. sibi sinistrum. Et hoc tripliciter. Primó tribus terminis in medio ordine directé collocatis. Secũdó sursum positis. Tertió deorsum. Intriplici quo terni unã figurá cõplent anguli, atq; lineæ ternæ cõpleto spacio est videre. Non solũ in Ratiocinij genere sed & in omnis ad versionis, applicationis, & operis ordine, progressu, & actu trimembrem hanc dinoscito figuram, præceptricem, adiutricem, perfectricem. Semper quippe mediũ Aut extremorum alterum continet & ab altero continetur, Aut continetur ab ambobus, Aut ambo continet. Sic mundus supernus per medium influit in imum, & imus per medium scandit ad supernum. Istud respice in serie, ubi VERBVM inter DICENTEM mediat & AVDIENTEM. Vbi à SENSIBILIBVS procedimus per RATIONEM ad ipsa INTELLIGIBILIA. Vbi SPIRITVS vehiculum inter ANIMAM mediat atq; CORPVS.

CAPVT V.

TETRADIS FIGVRA. OCEANI SIGILLVM APPINGO ET quadratum describo.




ROTINVS *est Tetradis clara explicitanda figura,*
E' castæ triplex templo deducta Mineruæ.
Sex dijs Phœbeo è claustro sunt parta Sacella,
E' quibus Oceani semet refluentis in ipsum

Prima

Prima datur, quam ſic monſtrantem Prothea vidi.
Eſt via quæ nectit Clarij atria Apollinis, atq;
Nyctilei Bacchi quæ vult quadrarier. Ergo
Angulus à Charitum puncto deſcendere rectus
Eſt operæ primum, geminũ & latus haud ſit iniquũ:
Angulus extremum poſt hoc circumdet utrumq;
Primorum laterum: namq; interſectio fluxus
Illius bini in Cyclum ſit terminus, in quem
Confluxu extremi bini eſt concluſa figura.

OCEANI SIGILLVM



Heic Oceani ſigillum multa conſequenter preſtare edocet: ex poſito nempe angulo vel

triágulo omnes parallelogrãmi species edu-
cere:& quamcumq; circum scribendam fa-
cillimè atq; demonstratiuè post inscriptam
a ppingere figuram.


Bacchus Apollo Charis rectus primo angulus exstet,
Vt Normæ *nos edocuit præceptio primum:*
Vt si mox Bacchum circumfluat altus Apollo,
Deinde vagas Charites circumfluat imus Apollo;
Concurrent volucris fluxus duo ad ora Dianæ,
Cui Bacchus Charitesq́; modo nectentur eodem.
Consimili tractu poterit pro conditione
Qua angulus oblatus veniet componere Rhombum
Atq; Paralle logrammum Geômetra potenter.

FLVMEN. NEREIDVM SIGILlum exprimens quadratum.

Accolaq́;æquoreis Nereis lasciua sub antris
Interdũ adcurrens fluuialibus obuia Nym-
Ista cognoscit propria sub lege secundam, (phis
Qua pote quadratum Cyclo est describier intus,
Dimetrus in medio puncto perpendicularem
(Vt docuit Vertex *ascendens)sustinet,ut sit*
Dimetrus in parteis binas,Cyclusq́; quaternas
Æquas discissus.Quod si hæc extrema coibunt
Bacchus,Apollo,Charis,venerandæq́; ora Dianæ,
Inde per inscriptum circum scriptumq́; repertũ est.
Si laterum finem Bacchi nempe atq; Dianæ
Circuitu centrum gemino circumfluat,ut dehinc
Fortunæ sedes cyclorum in segmine apertâ

Indi-

Indicet exactè punctum. Parili quoq; forma
Si circumfluxum centri Charites & Apollo
Concipiant, punctum Ganymedis comperietur.
Cætera puncta tibi recto sunt peruia fluxu.
Sic triquetro à Baccho, Ioue finito, atq; Diana
Cum parile efficiant Bacchus Fortuna Diana;
Est via qua circumscriptum dabis ac duplicatum.



Mox circumscribes nullo quadrata labore,
Si inscripti medium quadrati per latus ipsis
Tum demum radijs productis, à Ioue nempe ad
Martem, Neptunũ, Oceanum, Plutonis & ora
Ductæ duplantur Fortunamq;, Erigonemq;,
Imosq; Hermetem attingentes cum Ganymede,
Tramite qui recto Gyrum tangente quaterno


Conuenient. facilé in puncto claudentq; figuram,
Ordine continuo parili crescetq; tenore.
Concepti, radij pariter replicando valorem,
Siq; parallelum circumscripto iuuat esse
Inscriptum, radij capiantur puncta quaterni,
Quæ circūscripti quatruplex capit angulus, atq; hæc
Rectis iungantur similem faciantq; figuram.

ÆTHER

Sigillum Iunonis delineans, curui lineum tetragonum circulo inscribo & circumscribo.

TErtia Iunoni formatur sacra figura
Cardinibus quatuor, cui duplex dimetrus unū
Designet gyrum: Vt qua Bacchum attingit Apollo
Et blandas rectâ Charites innupta Diana.
Namq; axis gemini à reliquo si terminus alter.
Circuitur, nec non circa reliquum fluit alter,
Directim occurrent quatuor data puncta seorsim
(Heic ubi se gyrum quatruplex scindendo coibat)
Fortuna, Erigone, Ganymedes flauus, & Hermes;
Quandoquidem Carites si circumgyret Apollo
Sistens in Baccho. Attingentes sacra Dianæ
Et Bacchum Charites. Bacchus sacramq; Dianam
Vsq; ad Apollineos ortus qui excurrat: & inde
Sub circumfluxu reprimatur Apollo Dianæ;
Facta opportuna est gyro comprensa figura.
At si Fortunam Bacchus circumfluat inde
Arcu consistens producto in Apollinis orbe,
Et Fortuna potens pergyret Apollinis oram

Irigones sacro quæ consistatq; sacello:
Nox etiam Erigonem magnus circumdet Apollo
Qui sistat Bacchi intemplo, Bacchum Erigoneq;
Quæ non transcurrat Fortunam. Dein Ganymedes
Cicundet charites sistens Hermetis in oris,
Hermetem Charites usq; ad delubra Dianæ,
Hancq; Hermes currens usq; ad pulcrū Ganymedē,
Quem circum ad Gharites usq; est prolapsa Diana,
In plani feriam interior duplicabitur arcus,
Arcusq; externus quatruplex formabitur ille
Attingens Cyclum puncto claudensq; figuram
Cuspide vicina quatrupla quatruplaq; remota.
¶ *Vt tetragona fuit facies descripta seorsim*



Quam finit Tethis, Nemesis, Vulcanus, & Isis
(Numine vicinum numen non prætereunte)
Si circum Nemesim Bacchus, Tethiumq; Diana,
Vulcanum charites pergant, atq; Isidem Apollo.
Arcubus in gyro inscripta est tetragona figura.
¶ *Vtq; vides quanta internum est ampledine plnū*
Arcus duplati, tanta Charis alma, Diana,
Bacchus, Apollo, velut quatuor stellisq; propinqui,
Quæ fiunt centrum externos duplantibus arcu.

TETRAGONI ANALOGIA AD Tetradem.

Plurima sunt tetradis mysteria, nempe Mgorū
Atq; sacerdotum arcanis comprensa sigillis:
Pythagoras decadi ut initum fontemq; celbrat.
Nam quod ea est actu, virtute hæc esse videur;
Scilicet ut tetradis pars quæq; inspecta seorsum est
Per monadē, diadem, triadem, tetradem, æcas exit.
¶ *Et tetrade est primum solidi natura reperta*
Quando in corporeis rebus numeri esse priores.
Aptati debent. Quia punctum dat monas, atq;
Dat puncti fluxum dias, hæc extenditur inle
In planum triadis. Demum tetras esse repoiit
Corporeum. ¶ *Primus pariter quadrāguus est par*
Iustitiæq; typus, propria atq; figura domorum.
¶ *Et qunmquam ipse Deus triadis numero impa-re gaudet,*
Per tetradem cunctis tamen ipsum se expliat altè:
Corporeum siquidem ad captum sic insinuatur.
¶ *Vt totidem è terræ decurrunt flumina centro,*
Stipi-

Stipitis atq; uno faciunt de corpore ramos,
Vitæ per totum quibus orbem funditur humor.
Qui vice conuersa radices fontibus adsunt,
Innouat ut gyro natura hæc omnia mater,
Occultusq́; venit restaurans omnia cyclus.
¶ Anni quatruplicisq́; rotæ molimine cursus
Flectitur ut matris diuum ferat omnia currus.
¶ Quæ iubet ut quatuor sint aræ cornibus olli
Extructæ:¶ Et quatruplex soluat redolentia thura
Angulus. At generis si sacra exquirat alius
Sacrifici est torrendus adeps, quo fumus in altum
Illius adsurgens itiner demonstret ad astra.
À medio Solis stationum quattuor, Inq́;
Cardinibus mundi totidem sunt ordia rerum.
Inde elementorum quatruplexq; potentia surgit,
Et quatruplex virtus quam rerum impresserat illis
Cunctarum natura parens. Atq; orbita vitæ
Quattuor ordinibus pendet distincta subinde
Quos portæ Auroræ, & tenebrosæ limina Noctis,
Vndeq; Sol spacium medij metitus olympi
Cursum inclinato inuadit temone relaxans
Nixus, atq; unde ascensum aggrediuntur anhelum
Cornipedes lucis vectores ignipotentis.
Archetypi mundi tetradem referentibus hisce
Quam Samius sophiæ ille parens suspexit, & aptè
Terrigenis oculis potuit monstrasse docendo:
In quam se primum monas explicat omnipotenter.
Et rerum quatruplex genus inde subesse per almæ
Naturæ monadem: monadis primæ optima imago,
In cuius vultu viuè est impressa. Per ipsum

Corporeum et mundum venit hæc expressa subinde,
Sunt ubi sub fati decreto mobilis, atq;
Ordine constantis certo, quæ dicimus esse
Vt Natura, ut Vis, ut Fortuna, utq; Voluntas;
Mobilitas quatruplex & toti, & partibus inde est
In medio, à medio, ad medium, circa mediumq;.
Ad centrum effluxu, influxu, circumactaq; fluxu
Perpetuo existunt vario discrimine adacta.
Vt medians mundi lampas, circum hancq; peragrās
Multiplicis sphæræ vultus, quem Lympha liquescens
Efficit obiectu ad solem occursare sereno,
Qui propriam peramet speciē. Iaculatio multa hinc
Frigida Telluris, reliquorumq; Oceanorum.
Exin flammifero occurrunt resolutaq; nimbo
Parteisq; è gemino geminum vectantur in orbem.
Mutua nam genitor genitrixq; in vulnera amoris
Æternas seruando vices, heic per latus omne
Occurrunt, arctis vincti hærent nexibus, ut sic
Qua pote iungatur corpus cum corpore toto;
Sorbeat & totum, si posit corpore toto
Alterutrum. Quatuor dant anni tempora proli.
Inde & continua est iaculatio, spermata semper
Emittuntur & hinc ac concipiuntur, & illinc:
Perpetuò ut celsûm diuûm fiet una voluptas
Continua: hinc varijs corpus de partibus unum
Perfruitur mira ut par est dulcedine. Sed Sol
E` medio solus plures fœcundat, ut unus
Vir pollens circum Tellures progenitrices.
Nempe Vir uxori duntaxat sufficit unus,
Ad solamq; viro non est adstricta facultas

Vxorem,

Vxorem, ni habeant iactari semina frustra
Contra naturæ legem: Si semina nolit
Frustrari. Et sterili vuluæ comittere semen.
Concipiens semper semper pariensq; beata
Hoc tellus mater de cardine monstra quaterno
Vt quatuor variis in partibus tempora Messis
Distribuis, Brumas, Autumnos, tempora Veris.
Solstitia & quatuor numerant quos orbita tanta
Hæc reuoluta premit. Dum iuge per aëra magnum
Carpis iter, motu toties reuoluta diurno,
Vt magni ad signum gyri reuocata reportes
Consimiles annos, sensim & centro extima iungas.
Et quatruplex omnis generatio tendit ad esse,
Quod primo nudum ac purum vult, simpliciterq;,
Viuum deinde petit, vegetantis uisq; subactu,
Moxq; facultate informari compote sensu,
Demum intellectus suffundi lumine gestit.
Et quatruplex infinitum ratio accipit esse,
Primum virtutis peragentis mentis & actus,
Quod sequitur perseuerans successio rerum:
Innumerus numerus: moles sine margine secli.
Ac totidem mundos cognoscit secta Platonis,
Primum Diuinum, Archetypum dicitq; Secundum,
Tertius hæc formans Animalis nominitatur,
Quartus corporeus. Deus ut substantia prima,
Atq; monas per se: deinde Intellectus ob ipsum
Parta monas, numerum diuûm diffusa per amplũ:
Post hos formatrix anima exstat materiei;
Materies tandem infinito corpore replens
Immensum spacium innumeris de partibus una.

Et rebus Numerus, Pondus, Mensura, Figura
Dant Seriem, & Momentũ, & Molẽ, dant Speciẽq;.
Vnde Ordo, & Vires, & Hypostasis, & Socialtas
Est Generi, Formæ, Composto, Multiplicato.
Vt sint, ut Vigeant, Persistant, atq; Propagent
In Terra, inq; Mari, spacioso inq; Aere, & igne,
Reptantes, Nantes, Volitantes, seq; Rotantes.

VRBS CABALISTICA.

Descripsit seclum tetradis sub lege prophæta
Cui domus est Quatuor laterũ, Templũq; quaternis
Cornibus adsurgẽs. Quatruplo ordine adesse colũnas
Ad Quatuor cæli plagas, Animantia totq;,
Nẽpe Hominẽ & Vitulũ & Aquilã fuluũq; Leonẽ.
Hinc celebres Quatuor Facies, Pennæ, Manus, Ora.
Tot q; superficiesq; quatuor singlisq; Rotarum,
Tot Mensæ, Quatruplex est grandis bestia, Totq;
Fabri proscindunt alienæ cornua gentis.
E' medio gemini montis qui ex aëre fictus
Exsurgunt quatuor venti, Quatuorq; quadrigæ,
Cornipedes quatuor, pictiq; coloribus albo,
Puniceo, nigro, vario qui apparet ab hisce.
Flumina de centro integrum diffusa per orbem,
Quæq; superficiem conuexam mole supina
Conspergunt, ditant, hilarant, ut sepibus arcent,
Arboris è venis ut funditur undiq; succus
Terrarum sphæram concreto robore firmant.

SCA-

SCALAE TETRADIS
PRIMVS ORDO.


PYthagorici quaternitatem, plenitudinem mundani tum corporis, tum animi deſignãtem agnoſcebant: quatruplicemq; naturæ perpetuò fluentis fontẽ prædicabant. Idẽ Cabaliſtis, Magis, atq; Chaldeis numerus Diuinitari in rerũ nature præſidi viſus eſt conueniens: & inde quatuor dicebant eſſe mundos. Vnũ primum ſimplicisſimam Monadem, quam BONVM appellabant. Secundum INTELLECTVM. Tertium AMOREM. Quartum PVLCHRITVDINEM. ex quo enim Intellectus Bonum apprehendit, ſequitur Amoris actus, & Pulchritudinis ratio. Primum mundum dicebant EXEMPLAREM. Secundum INTELLECTVALEM. Tertium ANIMALEM. Quartum NATVRALEM. Primum appellabant MENTEM. Secundum INTELLIGENTIAM ſeu Ideam. Tertium MAGNVM DEMONA. Quartum COSMON ſeu Mundum. Primum rurſum PATREM, Secundum FILIVM, Tertium ANIMAM ſeu Spiritum, Quartum patris IMAGINEM, Filij SIMILITVDINEM, Spiritus TEMPLVM.

II. ¶ Mundorum iſtorum (inquiunt Platonici) ſic alius profluit ab alio, ſicut in aqua circulus â circulo depẽdet: Sicut ex LVCE procedit LVMEN, ex Lumine emanat SPLENDOR, ex Splendore CALOR genitalis. Ibi Intellectus pro Animæ productione â patre non ſeiungitur, quinimo ipſam propagationis potẽtiam atq; actum per eam, quam cum patre habet unionem admittit. Subinde intellectualis anima ſummo inhærens intellectui in animalis animæ exſuſcitationem fœcundatur. Animalis poſtea quæ vita corporea eſt ſeminib. atq; formis (quibus huius mundi materiam impleat) impletur, quatenus ex anima illa cuius eſt imago dependet. Ex illo tandem materiæ cõplemento quartus eſt iſte ſenſibilis mundus.

III. ¶ Ibi

III. ¶ Ibi primó ipsum Bonvm svpra statvm cō-tēplabile est, status q.ppe boni gratia fit. Secundó Intellectus est ipse Status. Tertió Intellectualis Anima est Primvm Stabile. Quartó vita huius imago Partim Stabilis quatenus scilicet existit inde, Partim Mobilis nempe quatenus corpori propriê mobili copulatur.
IV. ¶ Primus mundus numquam fit & semper est, nempe absolutus: Secundus semper est, & semper facit: Tertius semper est, & semper fit: Quartus numquam est, semper fit.
V. ¶ Primus est fons & forma Bonitatis. Secūdus imago bonitatis illius Tertius forma vitæ & fons. Quartus Imago & emanatio vitæ.
VI. ¶ Hinc fortasse nomen Dei quadriliterum ubiq; gentium ab antiqua institutione comperitur, præsertim veró apud Cabalistas ineffabile illud ex decimo, & quinto, decimo, & sexto Ebreorum elemētis, cuius loco explicatur illud ex primo, & quarto, & quartodecimo & decimo. Sic & ex iis quas nouimus linguis principes & eæ quæ originalib. & primitiuis propius accedūt quatrilitero nomine Deum significant Iehovah & Adonai enim Ebreis. Θevt Aegyptiis. Orsi Magis. Sire Persis. Θeos Græcis. Devs Latinis. Alla Arabibus. Gott Germanis. Diev Gallis. Dios Hispanis. Idio Italis. & hij sunt omnes quorū hodie cultiores sunt Linguæ & qui soli loqui uidentnr. Ita per Venerandam Tetradem Iureiurando affirmabant Pythagorici. Aiunt hoc ideo illis qui numeris omnia significabāt consultum fuisse, quoniam quaternarius numerus omnes numerorum compleat differentias, qui primum parem primumque imparem complectitur: & quia in terminis quatuor numerorum progresſione denarium expleat.

Qua-



Quatuor item terminis, & terminum, & processum dimensionum complet. Intra quaternarij limites musicam intelligunt omnem consonantiam DIAPASON, DISDIAPASON, DIAPENTE, DIATESSERON. Quatruplex essentia ABSOLVTA, IDEALIS, REBVS VNITA, A` REBVS ABSTRACTA. Quatruplex esse, METAPHYSICE, PHYSICE, METHEMATICE, RATIONALITER. Quatruplex Virtus, DIVINA, INTELLECTVALIS, ANIMALIS, CORPOREA. Quatruplex iterum, Simpliciter Actiua, Simpliciter passiua, Actiuior inde, hinc Passiuior. Prima in actu puro. Secunda in potentia pura. Tertia in simplicibus substantijs secũdis. Quarta in cõpositis & generabilibus. Qutauor sunt in omnibus suppositionẽ habentibus. ESSENTIA ESSE, POSSE, OPERARI: id est QVO SVNT, QVOD SVNT, QVOD POSSVNT, QVOD AGVNT. Quatruplex in iis distinguitur operatio DIVINA, NATVRALIS, FORTVITA, ARTIFICIALIS. A` Prima est effectus simpliciter necessarius. A` Secũda necessarius in genere. A` Tertia simpliciter contingens. A` Quarta contingẽs ex arbitrio. QVATVOR inde sunt distribu-

ſtributionis ſigna.Sup omnib.abſolutê.In omnib.cõtractê.Cum plurimis indefinitê.Circa plurima definitê.

SECVNDVS ORDO.

Quatuor in partes Plato in iis quę de Republica(Magorum Timeiq; ſenſum referens) lineam rerum ordinem ſignificantem,diuidit:unam quippê lineam intelligit,ubi unione quadam in ſimpliciter uno,& â ſimpliciter uno emanatione,quæ verum eſt principium, connexionem illam ſuauiſsimam intelligit.Linea hæc quatuor in partes diſtinguitur:Primó in duas quæ ſenſibilium & inſenſibilium ſunt diſtincta genera. Moxq; genus inſenſibile in res Intelligibiles & Cogitabiles: id eſt in mũdum formarũ diuinarũ, & mũdũ formarũ mathematicarũ,quas etiam in genere ſubſtãtię(aliter quã vulgus intelligendo) comprehendit. Genus verò ſenſibile in res ſubſtantiales & imaginabiles diſtinguitur,in mũdum nempe corporeum, & eum qui corporum imaginibus cõſiſtit & umbris. Heic nihil te Ariſtophanis comicus ille riſus abſterreat,qui philoſophos umbras atque nubes quaſi pro numine habentes inſequitur: neq; quod vulgo umbram pro re nullius momenti ſuerunt uſurpare.Quid eſt eclypſis præter umbram? multarum tamen rerum illam cauſam atq; impedimentum eſſe cõprehendunt Phyſici & Aſtrologi. Cur umbra Iuniperi, Vlmi,Salicis,Lauri,& Oliuę bona eſt,Taxi vero,Cypariſsi,& Nucis,mala; & cum de auerſis ſacrificiis cõqueritur Oſea; Super capita montium (inquit) ſacrificabãt, ſuper colles accendebant Thymiama,Subtus quercum & populum & Terebinthum quia bona erat umbra eius? Numquid nihilum exiſtimauit Salomon cum diceret,Sub umbra illius quam deſideraueram ſedi? An non aliquid eſt quod de Simone Petro & alijs Galileis eſt relatum? Veniente Petro(refert Lucas)ſaltem umbra illius quemquam eorum qui male habebant obumbrante liberabantur, Quid eſt quod Magi præcipiunt um-

bram

bram incantantis atq; faſcinantis in incantandum atq; faſcinandum incurrere; cauendumq; nobis à malorum umbris? & apud noſtrates malã umbram virum vel fœminam infœlicem portentoſam & ominoſam appellare uſu venit. Fertur, Hyenam calcantem canis umbram eũdem ab alto deportatum deuorare. Fertur, maleficos uſu veſtigij eius quem vincire vel ſoluere cupiunt in corpus & animalem illius virtutem alterandam, aditum ſibi facere & ingreſſum. Neque modicum eſt quod in libro Iobi (ubi profunda Chaldeorum arcana continentur) de Behemoth dicitur, Sub umbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus protegunt umbræ umbram eius. Quid plura? Vmbra eſt principium contra lucem diſtinctum, illam in rerum compoſitarum productionem contemperans. Tellus non eſt frigida niſi propter umbram, ſicut Sol non eſt calidus niſi propter lucem. Neq; enim frigus ad ſuperficiem à viſceribus terræ emanat, vel à Sole retunditur in centrum, ita quippe innato ſpiritu atq; calore terræ viſcera interius ut & animalium cæterorum caleſcunt, ubi non plus concretæ denſatæq; frigore fiunt aquæ, quam in animalium incolumi corpore ſanguis; ſicq; aqua in ſuperficie, ſicut & ſanguis extra corpus animalis inſpiſſatur, quod ſi frigus à centro vel à terræ viſceribus proueniret, vel ab alio ſaltem præter quam ab ipſius umbræ efficacia, ipſum in partibus interioribus efficacius inueniretur. Diſtinctum ergo principium actiuum contra lucem cũ eſt contra calorem Solis quaſi patrem, eſt umbra cum frigore Telluris quaſi mater. Cui ergo frigus principij titulo in ſubiecto corpore celebratur, ſapiẽtius cum Moſe, Chaldeis, atq; Magis umbra quæ illud emittit celebraretur. In actu urentium ſpeculorum videmus per luciferum radium præcurrentem immitti igneam rebus accenſibilibus virtutem. ita contrariæ virtutis impreſſio à præuenientis umbræ actiua potẽtia demanat. Sed nos heic pluribus uſi ſumus quam quot ſufficere poſſint vel me-

diocri ingenio ut realem apprehendat umbratilis mundi à sensibiliore mundo distinctionem, utq; actio à mundo umbratili in mundum physicum efficacissimé deferatur: utq; umbram non perperam intelligamus esse virtutem effluentem à rebus compositis propter sic conuenientium principiorum efficaciam, sic ut lux aliter principijs ijsdem concurrentibus (quod in carbunculo & diaphanis corporibus est videre, quæ apud nos vel per se lucent, vel minus tenebrarum participia facilius extant illuminabilia) à corpore diffunditur. Stat ergo considerandа mundi diuisio in INTELLIGIBILEM, COGITABILEM, SENSIBILEM, & VMBRATILEM.

Lumen quoq; in quatruplici mundo quatruplex, VISIBILE, RATIONALE, INTELLIGIBILE. DIVINVM. Lumen in corporea quædam est forma omnibus insita; ea enim in remotissimis, profundissimis, durissimisq; corporib. est iniecta atq; consistens: nam neque cū latitudine iudicij quod à nostro sensu est protenditur atq; discurrit: quasi ibi desinat ubi à nostra sensitiua potentia desinit apprehendi. Hac somniādo clausis oculis in medijsq; tenebris videmus quia & vestigium & imago mundi & lucis externæ est in nobis: quinimo anima ipsa lux quædam per se est sibi per seq; lucens. Sed hoc latius in ijs quæ de multiplicis mundi vita scripsimus, explicamus. Quatuor rerum genera significantur. PER LVCEM MERAM, LVCEM TENEBROSAM, TENERBRAS LVCIDAS, MERASQ. TENEBRAS.

In mundo Rationali quatuor sunt diuini furores. A BACCO, APOLLINE MERCVRIO, & VENERE. nempe PROPHETICVS, POETICVS, MVSICVS, AMATORIVS, & ex ijsdem numinibus & furoribus quatuor sunt animi dotes. Primo APPREHENSIO seu conceptio. Secundo PRAEDICTIO sagax, seu prudens absq; stolido illo furore quo Bacchatur vates magnū si pectore posset Excussisse Deum.

Tertio MEMORIA specierum tenax: & innumerabi-

lium verborum nuncius, infinitarum intentionum præco, mentisq; obsequentissimus interpres. Quarto VERBORVM VSVS

TERTIVS ORDO.

Quod in mathematica est PVNCTVM, LINEA, PLANVM, PROFVNDVM, apud physicos est SEMEN, TRANSMVTATIO, FORMATIO, COMPOSITIO seu completio Primó quippe est indiuiduum atq; minimum semen. Secundó ipsum in longum producitur. Tertió planum quasi formam concipit. Sicut quippé Linea in planitiē extēditur, ita materia in magnitudinem formicapacem explicatur. Quartó profundum quasi compositionis subit complementum; quia tertiæ dimensioni quarta non superadijcitur ulla: ubi principiorum concursu complexio quædam sphæræ solidæ similis efficitur.

Postquam (inquam) processio á principio distinctionem fecit (monade scilicet seu puncto in diadem seu lineam explicata) degeneratio facit repugnantiam, & succedit in eodem genere maxima distantia. Altum imum, Dextrū sinistrum, Internum externum; Maximum minimum. Hæc veró contraria & extrema (ut in triadis scala videre licet) absq; medio ad aliq̄d generādum, ad seriē, ordinē, connexionēq; ullam perficiendā nō concurrūt. Medium porro illud omnino in latitudine quadam consistere oportet: Indiuiduo quippé contraria, immo & diuersa ulla distare non possūt corpora, plusquā esse ꝓxima cōtigua, atq; continua, subiectoq; unū. Mediū ergo eo quo unum tāgit extremorum fine, non tangit alterū. Duplici ergo termino duobus cum cōtrarijs duplicem habet affinitatem atq; cōmunitatē. eo verò quòd inter utrumq; terminū cōstat, à duplici termino sibi vendicet differentiā atq; proprietatem. Est igitur duplex mediū, & hoc scilicet quod in tota latitudine consistit ab extremorum remotissimis partibus totum æquidistans. quale est totum Spacium, A B â quo pariter sunt termini C

atq; D abiuncti. & illud medium indiuiduum atq; punctuale E, quod tum ab extremis remotiſsimis D & C, tum ab extremis contingentiæ A & B æqualiter diſtat.

CA	AE	EB	BD
C	A	E	B	D

Ibi medium ſecundum latitudinem eſt extremorũ particeps, punctuale medium eſt extremorũ potius excluſiuum, & expertiſsimum. Ibi á puncto E ad punctũ B una eſt medij diſpoſitio qua cum D: á puncto E ad punctum A eſt altera diſpoſitio qua cũ C conuenit. Neceſſum igitur eſt medium eſſe bipartitum: particeps item neutræ cuiuſdam eſt diſpoſitionis, vel duplicis cuiuſdám ex ambabus hiſce reſultantis tertiæ. Eius inquam qua cúm vtriſq; cócordet & cõueniat ab illis uſurpãs. & eius qua aliud quiddã ab utriſq; habeat, quod utriſq; cõmunicet. A enim per id quód habet á C contrariatur ipſi D. & B per id quod habet à D cõtrariatur ipſi C. medium ergo tũ ut diſiunctiué neutrum, tum ut coniũctiué cõmune, tum ut ſingulare quiddam per ſeſe ſuaq; proprietate ab utriſq; diſtinctum, reſpicit extrema. Secundum qualitatum ergo ſecundarum differẽtiam duplex oportet eſſe medium, ut illarũ altera magis cum uno, altera cum altero magis extremo congruit: altera inquam quæ inde remiſsa hinc intenditur: altera quæ inde intenſa hinc remittitur: ideoq; primorum contrariorum extremorũq; diſtantiſsimorumq; conditionem quaternarium numerum proximorum principiorum cauſare oportet.

NATVRA QVATVOR ELEMENTORUM *in Cælo*.

Aſtrologi, & in ſignis & in planetis naturas conſiderant elementorum. Theologi omnes & Theologorum pa-

patres (præter eos qui Peripateticis ineptiis physicis pauerunt animum, & omnes sensus metaphorarum suffragio intentionibus mancipāt Aristotelicis,) aquas ueras intelligunt in cælo: illic terram uiuentium attendunt. Platonici non tantum per modum causæ atq; principij, sed secundum ueriorem naturam assernnt hæc in cælestibus haberi. Naturam (aiunt) ignis eminentissimam ostendit in cælo sensibile lumē & calor ille viuificus. Naturam terræ solida firmaq́; illa stabilitas atq; densitudo qua Luna & pleræq; aliæ stellarum retundere videntur Solis radios. Lunæ item substantia non per se lucens sed propter Solem, apertissimé specie differt â Sole & non ubiq; quti illius corporis nugatorij inspissatio facit corpus lucentis stellæ. Sed nos alibi ostendimus ut Aquæ & Tellures sint passim per æthercam infinitam regionē ita consistentes sicut Telluris corpus istud consistit, & patefecimus ita corpus Lunæ (quæ altera Tellus est) suis aquis nobis lucem suppeditare illam: Sicutetiam corpus Telluris(, quæ altera Luna est,) suis aquis lucet illi, & ita continentem esse quod opacum apparet inde, sicut continens est quod hinc illi debet apparere opacum; & ostendimus ut Venus & Mercurius & planetæ omnes circa Solem discurrentes, sicut & hęc Tellus discurrit, sint eiusdem speciei, licet differentiam partium quæ propter maiorem distātiam â nobis euanuit non aspiciamus, & intercapedinis opacæ abolitio facilior quā lucidam in speciem minimi corporis ex toto splendentis, globum uniuersum commutarit. & declarauimus ut corpus Solare & aliarum (quæ fixæ sunt) stellarum alia elementi specie(nempe igne seu luce) in compositione superabundante specie â corpore Lunari seu Telluris differat: & patet ex iis ut nullum corpus unionem partiū habeat sine aqua, & nullus ignis consistat neq; splendeat sine humore, non est enim ullibi flamma neq; carbo nisi ubi humor ardet: & corpus omnino siccum, neque ignem habet neq; ignescere potest: unde & tempo-

 ribus

ribus nostris (licet nō ista prorsus ratione sed ex principiis aduersarij ipsius Aristotelis inductis) ausus est Thelesius Consentinus ignē humidæ naturæ asserere, quod minime infeliciter est prosequutus, nō ut par est pro rei veritate, sed ut decebat eū q ex suis met Aristotelis physicam principijs voluit redarguere. Sed de hoc satis ille. Iam quod ad naturam aeris in cælo dinoscendā attinet. Quis non videt idem atq; unum continuū spaciū similiter ad extremæ visibilitatis & minimæ apparentis magnitudinis usq; sidera, cui nullus sensus & nulla regulata ratio; sed tantum bruta illa circumuectantis illius unius stelliferæ sphæræ phantasia proprer incapacitatem motus Telluris tum diurni circa proprium centrum, tum & circa Solem in aliorum planetarum morē anniuersarij, De qua ignorātia myriades illę vanissimarum contēplationū & circa corporum differentiū, motorūq; illorū cōditiones atq; naturas sunt obortæ: Sed de ijs alibi satis.

Natura quatuor elementorum in mundo INTELLECTVALI

In mundo item Intelligibili, Primó quasi per ignē Specierum PERSPICVITAS in luce consideratur. Secundó quasi per aërem PRAESENTATIO in media intentione quæ inter obiectum mediat & intellectū. Tertió quasi p aquam cui est copulntiua virtus VNIO speciei cū potētia apprehensiua succedit. Quartó quasi per terrā cuius est firmare, fixare, atq; solidare RETENTIO cōsequitur.

Natura quatuor elementorum in mundo SPIRITVALI.

Quatruplex est Spiritus. Primus ABSOLVTVS scilicet in æthereo amphytrite. Secundus in corpore ANIMALIVM. Tertius in corpore PLANTARVM. Quartus

in corpore MINERALIVM. Mineralis (præterquam in purioribus metalli speciebus) est in similitudine terræ. Plantarum in similitudine aquæ. Animalium in similitudine aeris insiti. Absolutus in similitudine ætheris. Est autē(quod nolo heic prætermittere)Spiritus substantia media quædam qua anima tum corpori adest, cum corpori propriam per se ipsam organizato vitam elargitur. Omnia per spiritum istum viuunt atque generantur, qui idem quatruplex in omnibus perfectê compositis inuenitur,licet non secundum omnes in omnibus conditiones æqnaliter habeatur.Lapides(aiunt quidam)& metalla generare non videntur quamuis inter elementa & animātia media sint,quia spiritus in eis crassiore materia cohibetur.Sed nos Spiritus quidem illius materiam occultam esse dicimus: unde vulgus crassiore sensu prolificam illam efficaciam nequeat agnoscere. Sed illū hac facultate minimè carere perspectum est: rité enim si secernatur & adseruetur tamquam seminaria virtus poterit sibi simile perfecté generare. Generat quippê sibi simile,si modo aptê cuidam generis eiusdem materiæ adhibeatur:Neq; credendum est aliter quam per seminalem quandam emissionem & admissionē in telluris visceribus tamquam conuenientiore matrice hæc ingigni posse.Anima metallorum spiritū terreū in cupro & ferro maiori ex parte prædominantē habet, aqueū magis in stāno atq; plumbo, aereū in ære & in argēto,æthereum in unico auro. Natura ex uno stipite tanquam ramos quatuor,tum ex uno corpore quatuor hæc generū corpora,tum ex uno spiritu quatuor horum corporum spiritus educit. Ars naturæ æmulatrix spiritum illum unum qui radix una simplex atq; stips habetur, à quatuor corporibus veré exhauriet,quem Arabes Astrologi perperam & temerata illa prolificationis spe ex auro duntaxat extrahere tentant:non considerantes materiæ conditionem & generationis ordinem.

At nobis verus elixer quatuor hiſce ſubiectis cõmunis eſt ſpiritus:ideoq; ſicut ab uno ſtipite in quatuor ramos explicatur,ita & nõ niſi â quatuor ramis in unũ poterit atq; debebit ſtipitem reuocari, qualis cũ artificioſé collectus fuerit ſpiritus qui nulli quatuor corporũ ſubſtantiæ proprius,ſed omniũ quatuor corporũ ſubſtantiæ eſt cõmunis,qui unitus auro conuenientis alius materiæ ad iectione modicum verum aurũ in ſimilẽ multi veri auri ſpeciem facit adoleſcere, modicũ verũ argentũ in multum non minus verũ argentũ. ¶ Vides ut nõ ex homine vel hominis carne & formatione actuali fit homo, ſed ex ſpiritu qui eſt in ſemine hominis,ſi in matrice proprij fomenti & nutriminis adiectione circumſtantijs adiuuetur. Cuius ſané ſpiritus materia non eſt propria homini,neq; cani,neq; ſimiæ,neq; feli,ſed ex uno cõmuni eodemq;nutrimento quod in cane conuertitur in ſemẽ canis, & ex quo modico magnus ingens & perfectus canis adoleſcit:in ſimia mutatur in ſemẽ & adoleſcit in ſubſtantiá illius ſpeciei propagandá: in homine generat hominẽ.Ad generationẽ porró iſtá fruſtrá ſpiritum quærimus, ſi ſpiritus quoq; materiam non habeamus illá cõmunẽ, fieret ſané ſi ex ſolo ſpiritu eſſet generatio & augmentatio,tuncq; ad aurũ conficiendũ ſufficeret elixer q̃ ſeparatur ab auro,in quo procul dubio purior eſt atq; digeſta magis quam in illo precedẽte chaos eſſe poſsit. Tu vero quinõ ſpiritum abſoluté,ſed prolifi cum ſpiritũ aues in quatriuialem illam profundes ſubſtãtiam oportet,q̃ fit in homine homo,in cane canis, in aquila aq̄la, in leone leo , & poſtea leonis ille catulus nõ in ea qua cõceptus eſt mole manebit,ſed ad perfectá iuxta ꝓprię ſpeciei conditionem ſtaturam adoleſcet,atq; ita naturæ veſtigijs inſiſtẽs â naturæ operantis tramite cooperator non aberrabis.

¶ Conſidera nõ ex uno elemẽto ſed ex quatuor omnia (licet aliud in alijs,aliter atq; aliter prædominetur)componi:et cõſequẽter nõ ex ſimplici ſed ex quatruplici ſpiritu

ritu alia in hoc, alia in illo cōditione vincēte & excellē-te formari. ¶ Confidera Solem & hominē, nō ex Sole & homine generare hominē. ¶ Confidera hominem neq; proximā neq; primam esse materiam ad hominē generā dum, neq; plantam, neq; metallū ad metallum eiusdem speciei; sed materia proxima est semen hominis ad hominem, semen plantæ ad plantam (semen latius intelligo propter salices & ea quæ insitione propagationē insensibilis seminis virtute concipiunt) Materia autem prima est ex qua semen est illud, quæ & alijs seminibus est cōmunis. ¶ Cōsidera in omni generatiōe noua instituēda preaccipere oportere materiam primam quia illa unica formæ substantialis est subiectū. ¶ Cōsidera formas specierū determinatam habere magnitudinē secūdū maximū & secūdū minimū. Partes enim animalis & plātæ & mineralis nō augentur nisi ex fundamēto generationis; manus enim adulta non fit maior etiam si propriæ radici sit adnexa, neque manus & ramus qui alioqui potest adolescere extra propriā radicem vel illi proportionale adnexum concrescit in præfinitā molis quātitatem. ¶ Confidera inquam hoc, ne quando existimes te adultam speciem, vel adultæ speciei partes etherogeneas posse in ampliorem magnitudinem substantiali adiectione facta promouere. Sed in omnibus generationis specieb. subiectū formæ substātialis illud persequare, quod est quatruplicis substantiæ & seminis radix, spiritusq; quatruplex indefinitus ut æqué quatruplici forma posśit definibilis esse sigillatim. ¶ Cōsidera nos heic materiam primam non simpliciter ad physicæ Aristotelicæ amusśim capere, quæ ad omnes naturales formas æqué respicit, & ab omnibus æqué distat. Sed ubi cum Chymicis sermocinamur, primam & in definitam in genere illorum intelligimus. Aristotelicam illam ratio & intelligentia sola comprehendit: hanc vero natura percipit & usus, ubi spiritus ad substantiam inclinat mineralem: sicut alibi ad substantiam plantæ, alibi ad sub-

ſtantiam animalis, alibiq; ad aliam diſponitur atq; diſ-
ponit. Similis diſtinctionis contemplatio in omni cu-
iuſcunq; generis communi proprijs ſpeciebus materia
atq; ſpiritu percontanda eſt, & excolenda. In cunctis
enim quatuor hæc vel illis proportionalia comperi-
unt, quemadmodum & in præpoſitis & in ſubijciendis
eſt videre.

Natura quatuor elementorum in mundo PRAESIDENTIALI.

Non prætermittam quod iuxta naturam quatuor ele
mentorum quatuor Mundi cardines : & in cardinibus
quatuor ventos; quorum ſinguli duobus principib. col
lateralibus dextro ſcilicet atq; ſiniſtro conſtipantur O-
RIENTE, MERIDIANO, OCCIDENTE, SEPTENTRIO-
NALI. Et partib. cæli DEXTRA, LAEVA, SVBLIMI, & I-
MA, ſecundũ pythagoricos ad EVRVM, ZEPHIRVM, BO
REAM, & AVSTRVM. Qui ſunt Principes in AERE, TER
TA IGNE, & AQVA. Quorum gubernationi præſunt
tetrarchæ habentes ſolia in quatuor punctis Zodiaci
cardinalibus. Quorum nomina vulgata ſunt ORIENS,
AMAIMON, PAIMON, Aeoim, & ſinguli viginti quinq;
ſpirituum legiones habere dicuntur: Sed hæc mihi ne-
cromanticorum videntur eſſe & nomina, & numina, &
veré myſantropon, quãdo dicuntur ſacrificia ex ſangui
ne humano: carne hominis mortui vel catti expetere,
& certa inuocatione facta & ſanguine hominis in cócha
ænea poſito preſtó adeſſe, & multa alia fabulis ſimil-
lima de quibus ego perperã non iudicabo. Quidam Ita-
li necromantæ ex Salomone neſcio quo & Hypparco
referũt, qui in libro de ordine intelligentiarũ principes
quoſdam dæmonũ quatuor ſub cælo tenere partes, ubi
aerem cum reliquis occupent elemẽtis. Nã æquinoctia
tenent & ſolſtitia & loca veluti digniora, utpoté qui
á meio-

á maiori (ut isti dicunt) hierarchia fuerint aliquando depulsi. Et quia quatuor ista cæli puncta duobus coluris distinguũtur, ubi hinc & inde ad angulos rectos circuli intersecãtur; relinquitur ut locis Solstitiorum & æquinoctiorum figura quatrangula necessario conueniat: Vnde caracteri ex duabus se recta intersecantibus linei, scui quatuor anguli in unum concurrũt punctum, quem characterem Isidis fronti Serapidisq; pectori fertur Aegyptios olim insculpsisse, vim quandã inesse magicam concluditur, & ij qui dæmonas inuocant in triuijs vel in quadriuijs stant ad inuocandum maximè ad partes conuersi septentrionales. Istos tempore magnarũ coniunctionũ Saturni videlicet Iouis atq; Martis in cancro vel capricorno pro inusitatis partubus incubos, vel succubos fieri referunt; vnde homines prodeant facinorosissimi, qui ad multorum mirabilium operationẽ immutant Leges, & miris quibusdã rationib. (nisi à meliore & benigniore numine protegantur) hominũ statũ conuertant, vel euertãt aliquãdo. Ad tales referunt ortum Romuli, Merlini, Thianei, Theuti, & aliorum qui incertis parentibus prodiere. Duorum minorum qui tenent coluros æquinoctia distinguentes, nomina apud eos sunt Marmores & Hasmitvs, qui in similitudinem mulierum transformati colligunt semen à viris excussum: & hoc officio succubi appellantur: mox similitudinem virorum referentes & incuborum nomen iure vendicantes in fœminæ matricem præfinito coniunctionis tempore conijciunt, & genituram tanquam propriam fouent usque ad maturitatem partus & ultra per vitam usque ad finem illis principe quodam atque parentes in filios zelo adsistunt. Sed de his quamuis verisimilibus nihil pro rei veritate definire possum, præterquam quod ex ordinis rerum necessitate tetrarchiam quandam bonorum atque malorum (respectu nostro) principũ sub uno omniũ moderatore numine quod ex cõtrarijs omnia cõstituit & optimũ ordinat

in finem esse naturæ certo ordine atq; consequentia necessariam, quæ duplici modo atq; contrario in rerũ particularium gubnrnationem influat, sed de his alibi fortasse iuxta lumen nobis elargitum definiemus.

¶ Compone in quocunq; & ad quemcumq; cuiusque huius scalæ ordinis primum gradum cum primo, secundum cum secundo, tertium cum tertio, quartum cum quarto.

CAPVT VI.


PENTADIS FIGVRA. SCVTVM MAGORVM DELINEANS pentagonum circo inscribo.



ENTADIS *à gyri campo est aliena figura*
Haud modico minimi mõstratum est lumine, quum non
Interne ac per se Cyclus radicibus ullas
Exeat in parteis, nisi quæ monstrantur ibidem.
At verò ut quæuis gyro polygonia quadret,
Fecimus Arcturi formata cuspide clarum.
Prætereuntor enim quibus errant mille Sophistæ
Artes, queis suêrunt falsis obtrudere falsum,
Ac opus inuolucris centum confundere tentant,
Vt de confuso demanet opinio veri,
Vt suppressa fide lateatq; videntia falsi.
Adijce sextantis quintam sextanti & habebis
Cuspidis ingenio demonstratum atq; repertum
Costis subtensum quinis æqualibus in orbem.

Thes.

Thessalicus tamen hanc quo practicet ordo videto
Circa opus Ingeniũ, Ars, Virtus, Tẽpusq;, Subactũq;
Ingenium se operi adiungit media inter utrumq;
Obiecti Morphe, quæ quo plus Ingenio se
Insinuet, lumen lux hæccircumfluit ipsum:
Quem circumfluxum geminis in partibus amplus
Circulus abscindit subiectum, Arsq; insidet illis.
Nã quantũ Ingenio Morphe substrata propinquat,
Tanto ex Ingenio Subiectum arcu dirimatur.
Quod si Subiectum medium circumfluat inde
Perfecto Morphe gyro: duo puncta videbis
Queis nouus hic circus magno dispescitur. horum est



Tem-

Tempus nimirum hinc, illinc variabilis Aetas.
Quorum unum in reliquum quando defluxerit, ecce
Quæsitæ latus est promptum adiectumq; figuræ.
Sed caue ne exclusus sit Morphes punctus ab orbe.
Nam venit ut minimum nō tamquā terminus apta.
Quam cum compleris, quoniam connectitur omnis
Quilibet é quinis subiectis terminus, ex hoc
Consequitur circum soboles optata parenti.
Nam Labor Aetatis cum Tempore dissecat arcum
Adiecti Cycli, ut & simili forma exoriatur
Quintupla de sinubus totidem perfecta figura.
Dein quantū Aetati Experiētia proxima, & ipsi est
Tempori, & illa ultro Bonitati & Tempus Honoris
Influit: inde Gradum, Maiestatemq; reportas
Conditione pari. Oceanus præbetq; sigillum
Quo Labor atq; Aetas faciat cū Tempore rhombū,
Queis quartū tribuat punctū Experientia seorsim
Consimilem quinum latus anglum concipit extra
Vt circa gyrum veniat descripta figura.
His punctum rectam extrema mediaq; secantem
In ratione capis praxi breuiore peractis,
Scilicet ut recta alternatos vniet anglos
Quinos quina, velut modo Fatum Tempus in ipsum
Influit, & Tempus Virtutem exsuscitat ista
De in Physico ingeritur: sic Aetas excipit illam
Quæ fluit in Fatū, via promptaq; ob ipsa reperta est
Qua se ad innumerum soboles hæc prima propaget,
Nempe sigillatim protensis undiq; rectis.
Rectaq; per Centrum si producta exit ab anglo,
Attinget gyri punctum, qui ductus in orbem

Dat


Dat circumscriptam curuam, Inscriptãq; reportat
Si extremũ cruris reliquum circumdabit unum.
At verò extremum hoc lateris si circuit illud,
Cruribus é curuis plana est impicta figura.
Quam clauem appellant Zoroastris in arte potentes.

Pentagoni analogia ad Pentadem.

Inq; bonum inq; malum communis neutraq; Pentas
Imparis atq; paris soboles quia prima parentum
Est primus par, atq; impar, est fœmina, masq;.
Mystica qua propter fatuas totidem, ac sapientes
Ancillas, numero sententia protulit isto.
Ac totidem sensus animæ putat esse fenestras
Externos vulgus: qui tum bona tum mala menti
Insinuant. operum veluti distinctio quinis
Aptata est digitis unde & fas omne nefasq; est.
Nec tantum digiti numerum sed palma figuram
Pentadis expressa promit, signataq; Lex est
Hac in membrana, atq; operum sors, atq; viarũ.
Distinxit quino Legem ergo volumine Moses
Ergo animam in manibus propriã gestare propheta
Dixit corporeis (veluti natura) figurans
Occultum. Manus est etenim signum atq; ministra
Ingenij interioris, opus fructusq; reportat
Atq; probat sensus & mentis fata profunda.
Linea quina data est vitai significatrix,
In manibus quippe est sententia Iudicialis
Inscripta exilij pro tempore (si Babylones,
Chaldeiq; valent sensus, Samijq; relata)

Quina

Quina linea I. A A. II. AB. III. CD. IIII. EF. V. GH. á quinque montibus sub quinq; columnis. †. A. C. G. E. D.




In manibus liber est, quamuis non perlegat omnis
Plectendus vitæ decursu spiritus huius.
Pentadis adiectum ferturq; à numine signum
Quo minus occultis trepidet vir ab hostibus, & ne
Sub-

Subdatur misere, at veró magis imperet illis.
Impositis manibus & quandoq; accepta potestas
Occulta ratione (volūt) pro pentadis huius.
A` violentorum fertuŕq; Theurgicus esse
Spirituum hoc signo diuino munere tutus.
Et statuas conflat confessas vulnere quino
Peruersis pollens studijs scelerosa magorum
Techna, malos perdocta bonum conuertere in usus.
Quinis distinxit species gradibus Plato rerum.
Inquit enim gradus est entis mens optima primus
Nempe Bonū, atq; unū, diuinū, exstans super omne,
Inde anima est mundi gradus appellata secundus:
Tertius est nostra hæc: Quartus vis corporis omnis
Quæq; ultra corpus non sese adtollit & infert:
Quintus corporea est moles, dimensióq; ipsa.
Quinos præterea Timeus credidit esse
Mundos: conspicuus quorum iste est materialis
Infimus, atq; ipsum longé super eminet alté
Naturæ. Quo mox sublimior ille putandus
Formarum in pleno conceptu suspiciendus.
Altior hoc intellectus quem nudus ademptum
Omnibus é rerum simulacris permeditatur.
Præcellit cunctos fulgens super atria mentis.

SCALAE PENTADIS
PRIMVS ORDO.

HEic in figurę pētadis angulo superiori est DEVS, In dextro superiori INTELLIGENTIA, In

ſiniſtro ANIMA. In dextro inferiori FORMA corporea. In ſiniſtro CORPVS, ſeu materia, ſeu quantitas. Horum primi gradus terminus tamquam in nō aliorum ordine poſitus manet abſolutus; ſicut unitas quæ eſt principiū & ſubſtantia numeri, non eſt numerus.



De quinq; iſtiuſmodi rerū gradibus unus é principibus Platonicis Ficinus quinq; inducit opiniones. Cyrenaicos enim & Epicurū nihil præter corpora eſſe exiſtimātes dicit in infimo fixiſſe contēplationis actū gradu. Stoicos veró vel Cynicos in illi proximo, qui in qualitate atq; virtute materiæ quātitate diuiſa conſtiterint. Heraclitum porro, Varronem, Marcumq; Manilium ad indiuiſibilem formam per ſubſtantiam immobilē, per virtutem partim mobilem partimq; immobilē, per actionē autem omnino mobilem animam ſcilicet attigiſſe. Anaxagoram autem atq; Empedoclem, ad formam indiuiſibilem per ſubſtantiam, virtutem, operationemq; immobilē multitudinem conſcendiſſe. Ad indiuiduam veró & immobilē unitatem, Platonem ſuum melioribus innixum alis præteruectum. At veró hæc poſitionum diſtributio propter contemplationū variū finem atq; uſum, nec non propter variæ dictionis formam, valeat: qui enim omnia ad corporis genus referunt, nō tollunt Formas, Animas, Deos, & Deum, ſed cum corporeitate exiſtentiæ realitatem illis tribuūt, & quinq; in materia corporea gradus conſtituunt. Qui accidentia diſtinxerunt á ſubſtantia ne & illa intelligerent eſſe corpora, tria genera in uno & duo in altero ordine collocarunt. Similiter & ex alijs nemo eſt qui rerum quinque gradus non agnouerit eoſdem, licet in modo definiendi maxima inter eoſdem extiterit differentia. Mitto eos qui

minimo

minime omnium inter philosophos audiendi censen-tur Chaldeos, Ebreosq; sapiētes, qui & Deo corpus ad tribuunt omnipotenti: nam neq; per metaphoram ignē consumentem, tonantem, fulgurantemq; esse intelligūt: Deos autem innumerabiles qui (omnipotentis legati ministri, & angeli appellātur) Flammas ignis, & Spiritus aereos, id est subtilissima actiuissima, agibilissimaq; cor pora. Animā etiam spiritū, idest corpus subtile in sangu nis substantia alligatum, quam interdum etiam sangui-nē intelligāt, Qualitates omnes actiuas corpora esse vo lunt: non obstante quod simulacra corporum appellan-tur, à quibus effluant continués: sicut membranæ á ser-pentum corporibus diuelluntur: Istum philosophan-di modum licet non persequamur, multum sané abest ut contemnamus, vel ut unquam sapienti contemptibi lem existimauerimus. At in libro de principijs rerum u-bi triginta opiniones persequimur & omnes in suo or-dine approbamus, hac ipsa de re exactius expendimus. Nunc illud nobis tantūmodo sufficiat intelligere, & ijs qui minus intelligunt credere, quemadmodum omne philosophantum genus quinq; rerum gradus apprime distinctos ab inuicem agnoscat. Ex enumeratis enim se-ctis nulla deos sustulit: & illorum omnium unum prin-cipem vel unum super multitudinē saltē ordinē quem præeminentem intellexerit diuinitatē; Vnde & eadem unaq; prima essentia sint unum multi & ad unū conspi-rent finem, bonum, optimū, super omnia, quæ deinceps bona sunt & ordinabilia. Nemo insuper principiū vitæ, sensus & intelligentiæ illud (quod animā appellamus) nō admisit Nullus item corpora nempe atomos vel u-nū genus primāq; formā elemētū, vel plura nō asseruit.

¶ Quinq; rursum rerum gradus constituūt Platonici Elementa, Sphoeras, Animam, Intelligen-tias seu deos, Devm. Quorum Elementa mouentur mobiliter, Astra mouentur stabiliter, Animæ mouentur stabiliter, Intelligētiæ manēt stabiliter, Deus est status.

Sed hæc bene sunt dicta, quando sunt peradcommoda tam concepta metaphoram: quam in presentiarum excolere non est animus. Horũ quinq; in eorum via, Corpus diuiditur & mouetur per se, Forma corporea diuiditur & mouetur per aliud. Anima non diuiditur, & per se ipsam mouetur. Dij neq; diuisibiles neq; mobiles sed aliunde implentur. Deus est unitas & ipsa plenitudo.

SECVNDVS ORDO.

Quinq; figuris prima mũdi corpora ab ijs qui superficies, figuras & istiusmodi principia rerum corporearum esse dicebant iuxta proprium philosophandi modum, postquam monadem atq; numeros rerum simpliciter omnium cum Pythagoricis adstruxerant Platonici, Pyramidalem TETRAEDRAM igni, OCTAEDRAM aëri, ICOSAEDRAM (viginti scilicet facierũ) aquæ, CVBICAM (sex nempe facierũ) terræ, SPHOERICAM mundo seu cælo. Sed quare & quomodo hæc sini, illis euoluẽda & cõsideranda relinquo, Vnum tamen (quod é re nostra circa intentiones quas in hac pertractatione velamus esse videtur) non omittam; quod scilicet stereometria & omnis experiẽtia cognoscit, ostendit, & cõfirmat quinq; tantummodo regulares esse figuras, qbus scilicet æquale spacium complentibus vel mutuó cohærentibus canonicé quidpiam cõstituitur integrum. Quod in figuris vides, defluit á causa quæ est in numeris & influit in effectus, qui sunt figurata omnia quæ istiusmodi succedunt elementis: quorum sanè qui nouerit applicatione uti atque solertiore ingenio discurrere: nimirum poterit contemperamenti qualitatem dispositionem atq; tum actiuam tum pasiuá potentiam omnium figuratorum ex ipsa figura dinoscere & demonstrare, quam certé in rerum artificio fabrefactibilium quintuplicem primordialem esse nouimus. Sed non ita facilè primordiales figuras rerũ naturaliũ comprehẽdimus, quas (ut paulo diximus ante (Platõici sine ratiõe persequũtur. Preter Atomos qppe Leucippicas quib. rotũ da (ut diximus ubi de


de minimo) figura multa ratione congruit, & ad quarũ naturam Terræ elementi puri referremus speciem, nullũ elementum per se videtur esse figuratum. Ex flãma enim quã pyramidalem videmus ignis propriam figurã quis sanæ mentis inferet? Illa enim non est ignis, sed igni tus vapor qui quantó magis ab ignis virtute recedit, tãta cum ignis actiuitate tenuatur magis: quinimo & ipse ignis radicaliter efficax eadem (ex basi) ratione tẽdit ad indiuiduum: Sed & ipsa flamma cum non proprio sed alieno termino finiatur, sic etiam omne corpus naturale naturaliter cõstitutum sphæricam pro viribus figuram æmulatur: Sed vapor effugiens contrarium & cupiens (velut omnia) pro viribus in præsenti forma conseruari, magis ab igne recedens, minus afficitur, tãtóq; amplius minore vestigio videtur alteratus. Quod ad aerem & aquam attinet pro modulo figuræ eorum quæ continẽt & à quibus continentur compositorum ipsorum conspicua est cõfiguratio: quod si in ipsis sensibilibus est cõspicuum elementis: quid dicemus in ijsdem in propria simplicitate consistentibus? Aquæ sané (cuius efficacia atomi uniuntur seu terræ partes mutuam nanciscuntur cum naturæ ipsius humidæ interiectione unionem) est figurare atq; formare, fundare item consequenter, atq; figere per primã quæ agglutinatiua est facultatem. Caloris subinde atq; frigoris per secundas inspissandi & rare faciendi potentias ab elemẽtorum ferè substantialib. formis, quas Auerroes more subtilissimi & grauissimi inter Peripateticos loquens, inter accidentales atq; substantiales medias ex positis in suo ordine principijs esse cõcludit. Sed nos in ijs quę de minimo super pleraq; de elementali figurarũ ratione significauimus. Vbi sicut Geometricé ostensum est, partes uniuscuiusq; figuræ recti lineæ homogeneas esse toti; quia quicunq; triangulus, qui illarum omnium est elementum in similes triangulos diuiditur: ita physicé in partibus & ipsis superfluita-

tibus figuras insensibiliter toti consimiles esse iudicandũ, alioqui similis arbor ex surculo & ex semine non excresceret & emanaret. Et sicut in semine hominis est idea hominis, ita & in quacunq; parte (licet ad oculũ nó appareat nisi rationis) homo est, sicut é quacunq; parte totus sentit, totus læditur. Hoc etiá vulgus philosophorũ probat ꝓpter animã (quæ principaliter vel etiam essentialiter homo est) quæ est ubiq; tota, quinimo & tota extra sensibile illud corpus per totum horizonta explicatur: quod apprimé magicis attactibus & á vestigio vel quacumq; accidentali speciei desumptis millenis (quæ circumferuntur) manifestum est experimentis. Et diximus ut propter actuum persequendorum necessitatem corpora naturalia á globosæ figuræ statu degenerant, ideoq; ex prædictis illis, istius argumenti definitio est petenda.


TERTIVS ORDO

Animæ compositionem quinario definiunt: tribus quippe de causis compositioni partitioniq; eius conuenire arbitrantur. Primó, quia sicut quinarium, ex primo pari primoq; impari cõstat, sic anima ex diuidua indiuiduaq; natura, quando diuiduus est par numerus, impar veró indiuiduus, ob eam censetur causam, quia eius in partes æquas non est possibilis transitio. Secundó quia in scala naturæ anima medium de quinis gradum obtinet; vnde in ipsam extrema tanquá in unum horizonta concurrunt. Tertió, quia quintus post primos quatuor numerus, & quintus ante sequentes totidem, extremos in quacumq; æquidistantia concilians, seque ipsum in semetipsum reflectens, denarium, qui numerorum omnium est complementum, constituit.

Ex eo, quia figura hominis externis quinq; pũctis terminatur; efficacia quinq; mucronibus scelestissimũ maleficorum genus exercet ligamenta: quod & qua ratione atq; ritu præstent in similium quos pudeat legisse nebulonum



*Sicut ſimpliciter omnis numerus circum ſe po-
ſitorum numerorum equidiſtantium
eſt medietas.*



bulonum libris inquirat qui ſcire cupit indigna, ſed nõ ita vulgatæ ſunt ſolutiones & medicina, quam vnicam in eius generis caſibus phyſicé reor eſſe poſsibilem. A Theophraſto Heremita allata eſt eiuſdẽ nominis virtute cõtrario verborum, aliarumq; conditionum ritu, eãdem eiuſdem formam capiente materia. Quid facient

qui aliter male adacto homini meliori vel æquè commoda ſorte ſucurrere neſcrunt, ubi non anceps neq;le uis nocēdi facultas maleficis à malo ceſsit Genio?. Medicorum quibuſdam ignorantiæ doctoribus omnia formaliter ad turbati ſenſus interioris ſpecies, materialitérque ad humores illos quatuor, qualitatesq; totidem ele mentares referentibus ſatis ſuperq; ſibi pro dignitate propria atq; officio factum eſſe volunt, ſiquam docté fa ciant miſerandum ægrotum ingenti cum cruciatu ſuos obire dies: cui leuiter extra Ariſtotelicā methodū aliquantillum verſus naturæ lucē contemplando, diſcēdo & diuertendo vitam & incolumitatem ſeruare potuiſſent. Illis ſuccu rrunt de alia multitudine plures etiam peripateticé (licet nō apprimé) ſapiētes, q. Thragico & Syro quodam myſterio informati quaſi diuinantes fœdera quædam atq; pacta præſumunt præiudicioſiſsima, quæ diuinas naturaléſq; diſcindant leges; ideóq; non minus in hoc genere illicitum volunt eſſe remedium, quam ſiet maleficiumquaſi, ſerpentis theriacam huiuſmodi, & ſcorpionis oleū nō liceat contra eorundē mor ſum venenoſoſq; ictus applicare: & quaſi inter medicum, & (quem non patieris viuere) maleficū. Inter veneficum & antidotariū (quia in materia & arte & prima qúadā forma poſſunt cōuenire) pro delicto nō ſit di ſtinguendum. Sed quod ad horum attinet ſtatum in ſuo potius magnificé laudandi ſunt ordine quam aliquo vituperandi modo, qui actus quorum rationem non habent quiq; aliquid contra præſidētem legem complecti poſſunt (tametſi minimé complectantur) deteſtādos de finiunt. & cōſultó: præſtat.n. hominem ſub certitudine naturalem oppetere mortem; quam ſubincertitudine diuinis, naturalibus, & patrijs legibus contraire. Porró quod ad medicos illos attinet. quid (rogo) ô inſulſiſsimū hominū genus) medico cū Ariſtotele? vel quid Ari ſtoteli cum Hyppocrate, cum medicina, cum natura?

vide-

videbimus. Sed quodad Hyppocratẽ attinet & imo etiã Galenũ, cõpertũ est eos sæpe ad (quas appellant) superstitiosas medendi rationes tum persequendas cum approbandas esse conuersos. Mitto quod qui animi naturam non ignorat, virtutem item numerorum secundũ quos omnes species à speciebus distinguuntur, vnde & rebus variæ sunt formæ atq; figuræ exteriores. Et qui virtutem imaginum quæ á rebus omnibus propter idealem effluitant, in resq; omnes influitant, potentiam, animaduertit. Qui continuationis unius spiritus in uniuerso vim cõpertam habuerit, nec non multiplicem multiplicis magnetis (attractiuæ depulsiuæq; nempe potentiæ) efficaciam cognorit: inueniet uniuersa certo quodam naturalib. principijs (siue per dæmonas, siue quod efficacius esse credo, per expertos homines actiuorum cum passiuis certis numeris temporibus, locis, atque signis applicatio fiat) ordine prouenire. Quod ubi compertum fuerit & apertum, doctiorum theologorum iudicium non formidabunt medici. Ille omnis cuiuscũq; theologantium generis, & Peripateticorũ inspecie philosophantum honor atq; lux Thomas Aquinas omnẽ tum generaliter, cũ specialiter notitiã de genere bonorum esse declarauit: & cognitionum genera, per se bonorum consequuntur genera; quemadmodum intellectus atq; sensus puritatem ea quæ appetitus atq; voluntatis est puritas: mala vero ex accedentibus quæ substantiam rei comitantur omnia demanant: Nihil quod accidentium est capax, accidentaliter nõ potest esse malum: nulla substantia quamuis in ordine malorum adscribatur per ea quæ sibi accedũt nõ potest p̃ se bona dinosci tandem. nouit veneficus ex frumento parare venenum; & medicus ex artub. viperæ antidotum. Ad propositum. Antiquorum Magia (quæ propter antiquæ fidei (penesquam est quasi totum) abolitionem, abolita est,) nullius nempe reddita efficaciæ secundum eas partes quæ ad


praxim faciunt proximé accidentales) plurimam (dicta de causa)in pentadis figura per quinarij efficaciā dinoscebat:& nos tantum ad hanc theoriam(quam Thomas non improbasset)omnia dicta & dicenda adcommodauimus adcommodabimusq;,& in præsentia de numero & figura hac humana aliquantulum fusius sumus proloquuti: ut amplius digné ad naturę contemplationem promoueremus (citra reprobādarum artiū profectum) ingenia.

VEIOVIS SIMVlacrum.



¶ Duo ergo Romæ habebantur ſimulacra, DIIOVIS videlicet (qui & DIESPITER appellatus eſt) & VEIOVIS. Primum in Capitolio colebatur, cum ſceptro in dextera, & orbe in ſiniſtra manu. Secundum inter Capitolium, & arcem, qui altera manu ſagittas; altera enſem habebat. Primo ſacrificabant, ut iuuaret, ſecundo (cui ritu humano capri immolabatur) ne noceret. Idem nomine dextra & ſiniſtri Apollinis, & Martis, ſignificabatur. Et in ijs quæ de Heptadis ſimulacro dicentur, habebitur quemadmodum ſeptem principũ ſinguli dextri ſient atq; denominentur, & ſiniſtri.


INFORTVNAE A' VEIOVE SIMVlacrum tale erat apud Aegyptios.



VIRGILIVS MARO AIT.

In tenui labort tenuis non gloria siquem
Numina læua sinunt, aderitq; vocatus Apollo.

SED FORTVNAE SIMVLACRVM
á Diioue tale fuit.



Quinarius numerus diciturá Prometheo figuratore hominis ex luto hominis imagini impressus, unde & hominis archetypum quinario concerni, absolui, dotari, mitti, priuilegiari, cófirmari. Impositione manuum bonos malosq; spiritus immissos fama est. Ignota ratione qui-

quinarium à capite faciéue verticeue hominis profun dit & influit in membra. Volunt quidam quinq; neruorum paria ab anteriori parte cerebri ad quinq; sensuum organa radicanda protendi. Quidam quinq; in hominis facie numerãt fenestras. Quinq; in singulis reliquarum extremitatũ digiti sunt. Per huiusmodi quinq; surculos ab externis datur influxus, & ad externa effluxus, & ex ijs ideæ figuræq; hominis aliq̃d emittitur. Mitto heic recẽsere quæ per capillos & ungues moliũtur male fici: unde Pythagoræ præceptum est hæc abscisa pessun dari deberi, vel incinerari.

¶ Per oculos, os, nares, aures, & per uniuorsæ carnis tanquam per unũm generalem meatum poros pręcipui influxus tanquam per radices fiunt, per digitorum vero extremitates ut ungues atq; capillos spirituum suis in corpore defunctorum vicibus, tanquam per ramos præcipui fiunt effluxus: subindeq; per easdem per quas fit influxus partes, minus principaliter efficitur effluxus: & é contra nõ fit principaliter ingestio ꝑ eas ꝑ quas efficitur egestio partes. Hanc ergo figuram hominis atq; numerum & in toto & in partibus & in omnibus quæ á toto & partibus in totum atq; partes consistentiam accessum & recessum faciunt attendamus.

¶ Ex virtute quinarij differt quo in loco habeat manum dormiens, ut veritatem vel falsitatem, memoriam vel obliuionẽ huius vel illius speciei, alicuius vel nullius habeat, in insomnijs.

¶ Talmutistæ ad numerum digitorum manus quæ instrumentum est operis Legis numerum esse explicatũ dicerent. Cabalistæ illic & legem omnis vitæ consistere hoc ipso in numero confirmabunt quod ex verbis Chaldei Iob apertius est cõtestatum, ANIMAM MEAM PORTO IN MANIBVS MEIS: non obstante sensu qui per manus operationes ipsas comprehendit.

¶ Quandoquidem omnis motio & actio siue interna, siue externa, siué sensibilis, siue nõ sensibilis, per ma-

per manũ & quinarium externum vel internum, visibilẽ peragitur, vel inuisibilem. Quinq; in omni motu oportet attẽdere, & circa quinq; animum oportet aduertere puncta. Primó TERMINVM á quo. Secundó Terminũ per quem ad medium: Tertió Medium, Quartó Terminum per quem á medio, Quinto Terminũ ad quem.

¶ Considera in rerum cum rebus concursu, Primó ADVERSIONEM seu relationem, Secundó INCLINATIONEM seu propensionẽ, Tertió APPVLSVM seu incitationẽ, Quartó ADHAESIONEM seu adꝓximationẽ. Quintó INCORPORATIONEM seu vnionem.

¶ Considera in vegetatiuo actu quo tum interius tũ exterius; tum animo per obiecta cognoscibiliũ specierum, tum corpore, per alimẽta in eius substantiam convertibilia. Primó ATTRACTIONEM, Secundó RETENTIONEM. Tertió DIGESTIONEM seu maturationem, Quartó DISTRIBVTIONEM seu adplicationẽ, Quintó EGESTIONEM.

¶ Compone in quocumq; & ad quemcumq; cuiusq; huius scalæ ordinis, primum gradum cum primo, secũdum cum secundo, tertium cum tertio, quartum cum quarto, quintũ cũ quinto, DEVS, OCVLVS, PYRAMIS, ADVERSIO, ATTRACTIO est harum prima collatio.

CAPVT VII. Labor.

Domum coniugij & operis delineas ex agonum circulo inscribo & circumscribo.



XADIS alta domus quibus est firma ta notato.
Ordinibus ; quo sit sensu retinendáque imago.
Heic circ a finem gyro spectantur in uno
Materies Species, Tempus, Locus, Efficiensq;

Atq;

Atq; Necessum æquis quæ distant interuallis,
Quando idem radius discriminat omnia ut alté
Distinxit radij mens optima legibus orbem.
Consimilem formam si circum ponere gyro
Concupias, facili perages totum arte, Vbi quantum
Materies medio de Fine amota recessit
Tantundem Archetypus Methodo abiungatur eadē
Materia â puncto. Parili tractuq; ferantur
Obductum extra orbem, quanto clauduntur ab orbe
Emissi á medio radij. facito ergo subinde
Vt Ratio speciem excipiat, Tempusq; feratur
Ordinis in campum, Loca circumstantia tangant,
Efficiens Instrumentum, Votumq; Necessum.
Ordine ut alterno in reliquum si fluxerit unum
Extremum, Archetypum si scilicet ordo cepessat
Atq; Instrumentum quod in Archetypumq; feratur,
Et Votum iunctum Rationi, et stantia Circum
Ambo illa adtingat, tantā claudatq; figuram.

EXAGONI ANALOGIA AD EXADEM.

Ad numerū hunc crescit cū gnomone adaucta figura
Illustris, puncti quam fluxus terminat unus
Cu parti partes similes primæ aduciuntur:
Ceu capiunt triadis merito fundamina prima
Quot reliquæ recto constantes margine crescunt,
Imparis accessu simili gliscente figura
Perpetuo in speciem consurgit circulus unam,
Exadis adiecto duntaxat robore Diæ,
Sic ubi consimili uultu natura patrasse
Omnia quæ Tellus tenet intus & aspicit extra,
Dicitur Ideæ propriæ seruasse tenorem.



Vt centrum eſt rerum pars credita principiumq;
Se mole inuoluens qua ſphæram educat & inde
Emicuit totum & eſt finis terminus idem,
Ac medium. Hinc partu ſenûm diſtincta dierum
Seclorum genera eſſe vides. Venit hinc opus omne
Fauſtum diuerſæ diuerſo nomine genti,
Quæ uario lucis uariæ ſub numine pauſat.
Ergo operi numerus, numeriq; adiecta figura eſt,
Pythagoramq; ferunt geneſi, uernisq; hymeneis
Aptatam uoluiſſe orbis fabricæq; quadrantem:
Nam trias eſt propriis conſiſtens partibus (aiunt)
Quæ monas eſt primum par, primũ imparq; recluſa
Et numerum hũc geminata trias capit hic genitusq;

Finit

Finit ad aspectum terræ tot signa diei.
Distinguunt totidem data tempora iniqua tenebris:
Hac mensis radice venit, venit annus, & hora:
Has primum in partes surgunt mox cum tria in illis
Principium, medium, extremum distinxit: & isthæc
Rursum principio, medio, extremoq; resurgunt.
Et numerũ adcumulãt quãtũ hæc duplicata reponit
Et triplicata tetras, trias & quadruplata, diasq;:
Hunc replicans numerum, reglarem, continuumq;
Correptus domino sis hac ratione beatus.
Eripiet senis de ærumnis (dixit Elyphaz)
Te Deus, & tutum nequicquam septima tanget.
Lucibus expectans senis caligine fulctus
Dux Moses Lucem septenam venit ad illam
Qua fuit alloquio admissus cum numine fœlix.
Obseruat seruus dominum Iudæus Hebræum
Senis, septeno liber dimittitur anno.
Nec fit terra ferax nisi sexto pauset ab anno,
Septimus ut sequitur requieta luce sacratus.
¶ *Huc age conuertas oculos domus ista Laboris,*
Hæc operis domus est, hæc exadis una figura.
Turribus ut constat paribus circundata senis,
Disiunctis paribus nihilominus interuallis:
Hanc manus alta suis numeris construxit ut eius
Degeret in tecto memor horæ fluxilis æui,
Segnitie temerata hominum ne uita recedat
Aduigilare iubet sors & natura premendo.
Cuiq; datum plus est uirtutis (ne temere illam
Se nactum noscat) maiorq; iniuncta laborum
Ansa venit: licet huncq; minus torpere veterno.
P Huius

Huius ad exemplum leges docuere Lycurgi
Frigoraq; atq; æstus & duros ferre labores
A` teneris pueros annis, ac suescere rebus.
Parthorum mores, Brachmanarumq; negarunt
Rorantis fluxu nisi contestante caloris
Defessas uires caris dare prandia natis.
Hoc fato obiecta ante oculos sunt præmia laudis,
Temperat insignis recoquentes gloria curas.
Ferrum quod teritur splendet: quodq; ocia ducit
Non minus absumptum sub scabra erugine tandē.
Defunctum uilis succumbet pondere fati.
Et dulce est meminisse, fuit quodcumq; molestum,
Ocia nec sapiunt nisi condimenta laborum.
Præterquam si animam nactus videare suillam
Prorsus, qua reputes laudabile, nobile, dulce,
Aut dignum tibi quod patrij peperere labores.
An dulcem somnum reputet cui tempora lapsæ
Occurrunt segnis lucis. Num grata senectus
Ingenio quamuis stupido, cui perperam acta
Vita fuit, fluxitq; sua sine laude iuuentus?
Occurres morti quasi qui non uixeris: ut te
Prætereat forsan dilato tempore vitæ.
Quin ueluti nullo in precio calcabere fungus,
Idolum miseri contemptus, opprobrijq;:
An quicquam prodesse putas miserande labores
Obiectans atauum dignos fructusq; laborum
Contectus galeæ cristato robore picto.
Stemmatis insigni, tituli successor & hæres,
At non virtutis. Forsan sceleratior ille
Te hæredem sanxit sceleris. Nempe ocia vitans

Hoc fuerat studio, quo parta negotia tantus
Deteriora daret quouis torpore, superbus,
Mendax, immitis, crudus, violentus, auarus.
Ne rerum facies hæc te perterreat ardûa,
Quandoquidem officiũ prõptũ est quodcũq; uolẽti.
Vsq; adeo ut nihilum facile est, quod prorsus idemq;
Non sit ab inuitis tractatum immane lacertis.
Inquirens, pulsans, urgens, facile esse uidebit
Quod non tentatum visum est operosius illi.
At si cuiq; datum non est contingere metam
Qua dignus palma est, q̃a tandẽ hoc spectat ad unũ:
Esto tamen qui ni uincas sis vincere dignus,
Dignus qui aßideas victori proximus, atq;
Sorte negata habeas saltem consortia laudis.
Turpe nec est vinci quando videare decoré
Contendisse super. Sic non inglorius inquit
Perfunctus vita propere me inuoluo tenebris
Gallus, cui quamuis primo succumbere Marte
Contigit, hoc satis est licuit succumbere Marte
Expendi robur, segnem carie uda senectus,
Gallinas inter non morti obtrusit inerti.
Pugnaui, multum est. me vincere posse putaui
(Quando animo virtus fuit illa negata lacertis)
Et studium & nixus sors & natura repreßit.
Est aliquid prodisse tenus: quia vincere fati
In manibus video esse situm. fuit hoc tamen in me
Quod potuit, quod & esse meum non ulla negabunt
Secla futura. suum potuit quod victor habere,
Non timuisse mori, simili ceßisse nec ulli
Constanti forma, prælatam mortem animosam.

Imbelli vitæ. Virtus fuit æmula laudis
Poßibilis. Volui ſiquidem concurrere gallus
Cum gallo, haud auſus coruus contendere cygnis,
Rana boui, perdix aquilæ, cuculus philo melæ,
Cantu, præpetibus pennis, mole, atq; colore.

SCALAE EXADIS
PRIMVS ORDO.

SEnarium numerum actionis, operis, motus, ſponſalem vocauerunt Pythagorici: & Exagona figura illius eſt ſenſibile ſimulacrum: in quo mas cum fœmina copulatur; ubi binarium par & ternariũ impar coeunt, ut ex bis tribus generentur ſex. Sicut ex gyro & recta quæ eſt gyri radius amplitudinis & altitudinis mẽſura in circulo, lõgitudinis latitudinis & profundi in ſphæra comparatur. Hunc ſequitur ſecundus ſponſalium numerus Duodenarius, ubi tria coeunt atq; quatuor. Tertius, ubi quatuor cocunt atq; quinq;.

FOEM—*coitus*-MAS.	MAS-*coitus* FOEMINA
II——III	*III——IIII.*
IIII—— V	*V——VI.*
VI——VII	*VII——VIII.*
VIII——IX	*IX——X.*

A'Bono pulchritudinis fonte lux procedit; ab ipſa luce pulchritudineq; Amor. A'qua triade influxus per omnia quaſi radij á Sole: voces atq; verba á reſonãte atq; dicente proficiſcuntur. Influxus ita per ſex gradus á ſupremo uſq; ad infimum deſcendendo conſiſtunt: ſunt quippé primó in ipſa diuinæ mentis Idea. Secundó per uniuerſalem prouidentiam in ipſa mundanæ animæ mẽte

te. Tertió in qualibet particulari quæ ſingulis præſidet ſpeciebus mente. Quartó in ſingulis aſtrorum ſeu mundorũ, ut Tellure Luna Sole. Quintó in vegetali virtute quæ uniuerſalis natura vocatur. Sextó in particularibus á quibus omnibus in alia particularia aliquid effluit, & in quæ omnia ab alijs influit particularibus.

¶ Sub archetypo & archetypum operum uniuerſi ſex gradibus conſtabat Thronus Salomonis: aſcẽſus enim quaſi opus atq; motus, quo proceditur ad ſtatum atq; quietem ſenario illo figuratur, nec certa ſine ratione (non ſolũ ornamento) ſingulos gradus gemini hinc inde leunculi terminabant.

¶ In cælo ſunt ſex à Chaldeis diſtincti diametri, quorũ fines ſunt capita duodecim ſignorum: quia rectarũ linearum ſenarium duodecim terminos includit.

¶ Sic de ſex diametris ad inſtar cæli interpretantur Mecubales duodecim fuiſſe inſtitutas portas Hieruſalem, Oriẽtales tres, Occidentales tres, totidem Auſtrales, Septentrionales totidem, ut & duodecim á ſex diametris ſunt cardines terræ.

¶ Typicé ſex dierũ operatione ſex opera creaturarũ ædita ſuo diſtincta ordine protulit Moſes. Lvcem, Firmamentvm, Terram ab aquis ſe exerentem, Vegetabilia, Lvminaria, Animalia.

Secvndvs ordo.

In ſimilitudinem qua Deum dierum ſenario cælum tellurem & omnia quæ apparent in eis creaſſe dixit Moſes; præceptum ab eodem eſt ut operi ſex tantummodo dies deſtinarẽtur, ſex annis ſeminarẽt; & omnino numerũ hũc eſſe operis adminiſtratiõiſq; omnis agnoſceret. Sex hominũ paria operi ſuæ meſſis vel expiſcatiõis Chriſtus deſtinauit, qui de ſeptuaginta duob. diſcipulis duodecim (quos binos deinde mitteret) elegit: de quorũ numero cũ unus præuaricaſſet, quaſi pro neceſſitate alter, eſt deſignatus & ſuffectus; & ſex ſigna quæ in duode-

cim horis diei ſunt, operi ab eodem declarantur deſtinata. Et notandum â Chriſto etiam in numero ſeptuaginta duorum ſeruatam fuiſſe ſenarij virtutem & duodenarij: numerus enim ille eſt in expanſione duodenarij, & radice ſenarij conſiſtens; duodecies enim ſex ſunt ſeptuaginta duo. Itaq; expanſum numerū 72. contraxit in duodenarium & numerum duodenarium contraxit in ſenarium mittendo binos.

1	2	3	4	5	6
1 2	3 4	5 6	7 8	9 10	11 12
6 12	18 24	30 36	42 48	54 60	66 72
78 84	9 096	102108	114120	126 132	138144

Idem præceptione ſeruauit Deus, qui â Moſe diffudit ſpiritum in ſeptuaginta duos ſeniores. Septuaginta qui dē qui ſtarent circa tabernaculum, & duos quorum alter dicebatur ELDAD, alter MEDAD, qui erant in caſtris ij omnes adminiſtrationi & gubernationi præerant. De duodecim quoq; tribub. Iſraelis quadraginta quatuor milliū numerū ſibi ſignaſſe & ſegregaſſe dicitur Deus Iſraelis: qui numerus etiam á radice ſenarij deriuat. Ante Thronum illius & ſuper arcam duo cherubim ſex alas habentes apparuerūt Ieſaiæ, unde replicatū ſenariū per primū ſuæ progreſsionis gradum & ſecundum coitum ſunt duodecim alæ. A` ſex diametrorum terræ cardinibus ſunt duodecim venti, & ſex diametrales ventorum oppoſitiones. Sex enim viæ eædem aditus & reditus ſunt ſubiectum.

TERTIVS ORDO.

Senario rerum generatio adſcribitur qui ſexuplo elementorũ cõcurſũ efficitur. Eſt quippe per altũ ASSCENSVS, & DESCENSVS, per latum PROGRESSIO & REGRESSIO, per ꝓfundũ INCVRSIO & EXCVRSIO. Primus motus eſt ab imo ad altum. Secundus ab alto ad imum. Tertius à dextro ad ſiniſtrum. Quartus à ſiniſtro ad dextrum. Quintus ab internis ad externa. Sextus ab externis ad interna.

¶ Sex vulgo motus ſpecies afferuntur. GENERATIO & CORRVPTIO ſecundum ſubſtantiam. AVGMENTVM & DIMINVTIO ſecundum quantitatem. ALTERATIO ſecundum qualitatem, & LATIO ſecundum locum.

¶ Lationis vero ſeu motus localis ſex ſunt ſpecies. INCITATIO qua quid ab intriſeco ſuum corpus quaſi interno citante agit. VECTIO qua aliquid portatur. PVLSIO qua diſtans fit. TRACTIO qua propinquum. GYRATIO qua regulariter motum in eadem propinquitate & elongatione manet. QVASSATIO qua irregulari trepidatione agitur.

¶ Sex ad actum atq; complementum generationis concurrunt. AMOR, COITVS, SEMINATIO, CONCEPTIO, FORMATIO, PARTVS, quorum efficaciam à ſex præfectis demanare aiunt Cabaliſtæ qui noſtro idiomate dicuntur. AMATOR, VNITOR, SATOR, COMPREHENSOR, PLASMATOR, ORIENS. Quorũ figuræ ſunt IGNIS, AQVA, OLEVM, VENTVS, NVBES, LAPIS, in Exagoni ſex angulis ordinata.

¶ Sex ij actus in uegetabilium & omniũ generatione, quæcumq; ſint, licet proportionaliter ſaltem, ſi non aperta ſimilitudine, cõtemplari. Primó enim MARITATIO conſiſtit in potentia propagatiua teræ & in propagabilitate (exemplo ut uno utar) frumenti. COITVS

cum ſemen terræ committitur. CONCEPTIO cum ſepelitur putreſcens. FORMATIO cum nouæ prolis matrici ſpecies ſuccedit. NATIVITAS quãdo editur in lucem.

¶ Sex in productione & producto licet partes adnotare ad FVLCIENDVM, ERIGENDVM, PROFERENDVM, PROTEGENDVM, ORNANDVM. MVLTIPLICANDVM. Ipſa ſunt. RADIX, STIPS, RAMVS, FRONS, FLOS, FRVCTVS. Itaq; â ſemine ad ſemen egreſsio & regreſsio per ſenarium tamquam á menſura radio per circulum ducto orbis completur, vniuerſi circumferentia ab efficiente,

DISTINXIT RADII TOTVM QVI
Legibus orbem.

¶ Sex item in ſcientæ generatione concurrunt. OBIECTIO qua ſpecies potentiæ preſentatur. INTENTIO qua obiecto potẽtia applicatur. CONCEPTIO qua eius ſpeciei recipitur ſimulachrum. PHANTASIATIO qua ſenſibilem cum ſenſibili ſpeciem componit aut diſiungit. ABSTRACTIO qua cogitatiuæ virtute facultatis ab indiuidualibus denudat conditionibus. COMPLEXIO qua ſimplicem conceptum cum ſimplici, vel compoſitum cum compoſito enunciando vel argumentando confert.

¶ Sex adcurrunt in omni artificio. AGENS, IDEA, INSTRVMENTVM, MATERIA, ACTIO, FINIS, ſeu ſumma ſeu perfectiò,

¶ Sex in omni opificio ſunt cõcurrentia. CONSILIVM, VOLVNTAS, ARS, ſeu ordo, VSVS ſeu exercitatio, VIS ſeu efficacia, ADMINISTRATIO.

¶ Subiecta actionis ſunt.

I. Lex————II. Religio.

III. Politheia———IIII. Mercatura.

V. Diſciplina———VI. Feriæ. Exercit. Luſus

¶ Acto-

¶ Actionum genera sunt circa

II. Alimenta — II. Medicinam in genere
III. Indumentum — III. Habitationē in genere
VI. Ornamenta — VI. Militiam in genere.

¶ Actionum modi secundum primum genus sunt

I. Bené, Malé — II. Apté, Inepté
III. Veré, Ficté — IIII. Simpliciter, confuse
V. Perfecté, Imperf. — VI. Decoré, Indecoré.

¶ Secundi generis modi sunt.

I. Architectonicé, Mechanicé — II. Theoricé, Practicé.
II. Oeconomicé, Politicé, Ethicé. — III. Principaliter, Instrumentaliter.
V. Per se, Per alium — VI. Propter se, Propter aliud.

¶ Tertij generis modi sunt

I. Strenué nauiter, Eneruiter ignauiter — II. Efficaciter, Perperā.
III. Duriter acriter, Molliter segniter — III. Viriliter, Intēsiué effœminaté remißéue.
V. Agibiliter, Operosé — VI. Faciliter, Difficulter.

¶ Quarti generis modi sunt.

I. Audacter, Pusillanimiter — II. Sollicité, Desidiosé.
IIII. Enixé, Negligenter. — III. Intrepidé, Trepidé.
V. Expedité, Præpedité. — VI. Precarió liberé, Seruiliter coacté.

¶ Circumstantium efficienti Primo in ordine sunt.

I. Conuertens, Auertẽs. II. Flectens, Deflectens
II. Approbans, Reprobãs. IIII. Dictans, Edicens.
V. Animans, Deterrens. VI Impellens, obligans, Repellens, Frenans.

¶ Secundo in ordine sunt.

I. Acquiescẽs, Abnuens. II. Permittẽs, Detinẽs.
III. Abhortans, Abhortãs. IIII. Dux, Abductor.
V. Auxiliator, Impediẽs. VI. Administrator, Opponens.

¶ Compone à quocunq;, & ad quemcunq; cuiusq; huius scalæ ordinis, Primum gradum cum primo, & Secundum cum secundo, Tertium cum tertio, Quartũ cum quarto, Quintum cum quinto, Sextum cũ sexto: & videbis & facies, 1. AMOR, 2. LVX, 3. IGNIS, 4. ASCENSVS, 5. RADIX, 6 MARITATIO, 7. INCITATIO, 8. GENERATIO, est harum prima collatio.


CAPVT VIII.

DOMVS QVIETIS. HEPTADIS IMAGINEM APPINGENS HEptagonum circulo inscribo & circumscribo.



T seclum attingat septena cuspide cœlum,
Materies in Opus quæ promouet Ingeniũ omne
Constituat mediam perfecte se inter utrumq;,
Commo-

Commoda ut ambobus patiens substrataq; fiat,
Quando Opus Ingenio obiectum circũfluat usq; ad
Contactum gyri ut hinc Virtus indeq; Cura
Occurrant, & iuncta breui venientia, fluxu
Aeque producto in dorso sint Materiei;
Vt qua Materies extremis distat utrisq;
Septenis videas vicibus fulcirier orbem.



Septena cœlum facili dehinc cuspide surget
Vt septena venit concrescens linea tanto
Per lateris medium punctum producta superné
Cœli extra septum, quanto comprensa sub arcu

Et latere est comprensa minus quo nõ manet Aetas,
Quam sit comprendens Tempus. Sic ergo seorsim est
Actio, Forma Labor, Genius, Subiecta, Necessum.
Quinis ê costis docuit finita figura,
Vt quæq; imparibus conflata est intus & extra.
Gyro adscripta uenit, quando circumfluit anglum
Oppositus gyri uertex lateris've supremum.

HEPTAGONI ANALOGIA
ad Heptadem.

Heptadis est altũ septeno dente retusum
Ac rapida uenit incerti vertigine fati.
Quidquid ab immota pendet variabile mente
Cuspide septena præsento, numina septem hîc
Falcata senior dextra, qui membra parentis
Abscidit. Elysius moderator Iuppiter orbis,
Mauors ardenti rutilus qui cuspide versat
Imperia. Aurati Iubaris mundi atria complens
Robore flammanti. Pollens aliis dea flammis
Alma Venus. Virga venerandus penniger Hermes,
Et triuia in cælo, in syluis spectata & in orco.
Tempora distribuunt æquali pondere secum
Quæ totum reuehunt, certa serieq; reponunt.
Mulciber affabré hæc cælauit numina septem
Thessalici ducis in scuto cum tempora cuiq;
Aptaret domino magni reuolutio secli.
Descendit circumgyrans ab Apollinis horis
Bacchus principium captans á Sole uolucrem
Vsq; ad Mercurium qui te ad primordia Lunæ
Transmittit gyro in lucis spectanda secundæ,

Iuppi-

Iuppiter ad Martem, ad Hermetem te Venus urget
Inque Iouem Saturnus agit, Sol in Veneremque,
Falcigerum inque senem Lucina, ast ille redire
Præcipit ad Solem Bacchi remeantem ab oris.
Atque ita perpetua serie septem illa gubernant
Numina seclorum prolem: dum bis duodenas
Aequas in parteis reuolutio facta diurna
Constiterit; veluti duodeni corpora signi
Momento varié vegetant. Sic Spiritus omnis
Vitæ ac fortunæ parantur ob heptadis actus.
Atque futurorum uicibus pereuntia secla
Materiam linquunt concessam tempore certo.
Per tetradem deducta trias peperit duodenos,
Vt trias adiecta ad tetradem dat nomina septem,
Vnde fluit miseros agitari terque quaterque;
Atque alij consistunt terque quaterque beati
Vt cuncti aut quidam sunt dextri aut forte sinistri.
Horas atque dies, & menses temporaque anni
Numina distribuunt rebus proprio ordine septem.
Septimus hinc hominis reuehit discrimina quique
Annus fortunæ ac vitæ qua nempe reuisit
Ordia, aditque nouos exorsus progenitura,
Hinc climacterum atque scalarem nominitarunt
Illum præ reliquis qui septenaria septem
Terminat, elapso hoc festum celebrâre vetusti:
Sic septem ad primas species sunt cuncta relata,
Fortunis septem veniunt abeuntque, ita summus
Absoluit septem seclum pater ille diebus.

Dextra fortunæ		Siniſtra fortunæ
Beatitudines ſeptẽ		*Miſeriæ ſeptem*
Adolentia	— ☾ —	Defectio
Scientia	— ☿ —	Ignorantia
Pulchritudo	— ♀ —	Turpitudo
Diuitiæ	— ☉ —	Pauperies
Robur	— ♂ —	Debilitas
Nobilitas	— ♃ —	Ignobil.
Longæuitas	— ♄ —	Vitæ breuitas

Telluris moles lato & perſpecta profundo,
Spiritus aſſeruit de ſeptem partibus unam
Obtinet undantem: ſeptemq; oculi omnia luſtrant.
Principibus ſeptemq; aliis moderamina ſecli
Nempe ſecundæis tribuunt decreta magorum;
Sic annis luces diſtinguunt, lucibus horas.
Hoc numero variare vices quoq; Luna reperta eſt,
Et ſeptem circa hunc Solem diſcurrere Nymphas
Per gyrum vitæ ſpacioſum luce perenni
Noſtrûm pulſantes oculos, plaudente chorea,
Atq; ſuper ſeptem domus ædificata columnas
Diuinæ Sophiæ dicta eſt. Septemq; ſigillis
Naturæ arcanum concluſum. Septimaq; aurum
Flamma probat, numero hoc ſontes Lex expiat, Inq;
Iordanis Lymphis Syrus quem ſeptima lauit
Vnda fuit Naaman torpentis pondere lepræ
Excuſſo lætus. Toties cadit atq; reſurgit
Qui duplici vita potis eſt incumbere mentis

Legibus & fati succumbit pondere pressus.
Tot vicibus Celtes, Syrus, Chaldæus, Hebræus.
Postq; ipsos Græcus, Latialis presbiter isto
Tempore cantandos per luces surgit in hymnos,
Palladio vicibus septemq; altare liquore
Per septemq; dies conspersum præcipit, atq;
Septenis sacrare manus sueuêre diebus,
Et vitulos septem rapidis committere flammis,
Sacrificos sancta decuit procedere veste
Intectos totidem per luces, nempe priusquam
Offerrent munus primum ac solemne ministri.
Collibus in septem Balaamus struxerat aras
Nempe precaturus mala cuncta per omnia secla
Saturni populo reparanti tristia secla.
Qui reus in seclo crimen non expiat isto
Fertur septenos functi protendere in annos,
Pollicito septem vicibusq; ignoscere fratri
Iniunctum est denis septenis parcere postquam
Indulctum est vicibus septem per verba prophetæ.
Per luces etiam septem ieiunia seruant,
Qui pœnas proprio sontes de pectore soluunt,
Et functos vita numero hoc lugere dierum
Concessum: totidemq; immunda est fœmina fundẽs
Menstrua. & illius commercia fœda perosus,
Qui non á tactu abstinuit, disclusus ab ara est,
Septenis glauca latuit caligine Moses
Cum fieret viso Hebræorum numine lætus
Rexq; Nabucdonosor compleuit tempora septem
Cæli rore madens: In syluis antra ferarum
Incoluit ferus haud hominum commercia passus.

Septenis annis arsit Gog: mensibus inq;
Septenis iussus sepeliri ut terra profani
Munda foret: Post hac Nequam si spiritus exul
Quando iterum latebras desertas ille reuiset
Consortes reuehet secum septemq; scelestos.
Efflauit misero infœlix de pectore septem
Dæmonia ut numerum referuntur crimina ad istã;
Præcipua ut septem constat ceruicibus hydra.
A` quibus innumeros in ramos spargitur inde.
Balthasar expositus septemq; leonibus apté
Indicat ut septem uxores maris vnius esse
In gyro valeant per alius dicta prophetæ:
Tuti ne videant pauidæ discrimina mortis.
An non pastores septem terra Assuris atq;
Nymbroti armato gladio conspexit & igne?
Vastator Sympson pro septem crinibus ultro
Intonsis fertur mirandis viribus acer.
Pathmius hunc celebrat numerũ persæpe propheta
Auribus ut pleno insinuãtur spiritu ab illo
Septem oculi septem candelæ, labraq; septem
Tot cœtus, totidem rutilanti corpore stellæ,
Cornua, ceruices monstri, diademata, Reges,
Ora, tubæ, plagæ, phialæ, iræ, fulmina, montes.

SCALAE HEPTADIS
Primus Ordo.

SEptenarius est numerus Quietis, Gubernationis, Temporis, Lætitiæ, & Triumphi, sicut thronus Salomonis sedesque regia post sex graduum ascensio-

nem

nem ſequitur: nempe Quies poſt motum, requies poſt laborem, poſt oporationem conſummatio, ſtatus poſt mutationem. Quieſcere in ſeptimo puncto nō ex diuina inſtitutione modo: verum & ex aperta quadam neceſsitate naturæq; ordine conſultiſsimum eſſe conſtat.

¶ Perfectionem fæderis oblatione ſeptem agnarum cum Abimelech conteſtatus eſt Abraam. Tollētibus ſacerdotibus ſeptem buccinas ſepties circumierunt Hiericho ſubduce Ioſue, ut funditus corruerent illius muri.

¶ Numerus Probationis iuxta illud, Eloquia Domini argentum igne examinatum probatum ſeptuplum: Septies in die cadit iuſtus & reſurgit.

¶ Laudis numeros iuxta illud, Septies in die laudem dixi tibi Deus.

¶ Ad ſiſtentiæ iuxta id quod apud Thobiā. Ego Raphael Angelus unus ex ſeptem qui adſtamus ante Dominum. Et Apocalypticus, ſeptē inquit ſpiritus qui ſunt in conſpectu Throni, Septem quoq; ſub malo principatu principes adſtant dæmones, & ſeptē nequioribus ſpiritibus ſecundum omnes potentias alligatur anima, & corpus fœdatur. In cuius rei figuram ſepties lauit ſe Naaman, ſeptties vngebatur altare, ad ſeptem dies, & alia multa relata.

¶ Numerus quo per dona intellectus in ultimo fælicitatis gradu conſtituitur anima. Iuxta Salomonis ſententiam, Sapientia excidit columnas ſeptem ædificans ſibi domum.

SECVNDVS ORDO.

Aliás ſeptem hortos, ſeptem mineras, ſeptem greges, ſeptem campos, ſeptem legionum duodenaria, ſeptem ſyluas, ſeptem domos, ſeptem colores, ſeptem geſtus, ſeptem figuras, ſeptem caracteres, ſeptem ſigilla, ſeptem nomina, ſeptem carmina, ſeptem lapides, ſeptem gemmas, ſeptem virtutes, ſeptem vitia, ſeptem fauores, ſeptem nocumenta: quæ ſunt attributa ſeptem

Planetis, explicabimus & examinabim9 sub naturę gestibus, quæ de vita ad cælestium configurationum normam comparanda dicunt Medici & Astrologi & alij, quoniam propriam & distinctiorē exigunt tractationē.

¶ Septem bene affectorum, principū dona: A` Ioue gubernandi facultas A` Marte animositas & acrimonia. A`Sole sensus claritas. A`Venere ornata & gratiosa affectio. A`Mercurio solertia & interpretatiuū eloquiuum. A`Luna fœcunditas. Per huius similis proportionalisq; septenarij adeptionem beati dicuntur Terq; Quaterq;.

TERTIVS ORDO.

Septē Platonici vacationis genera numerāt. 1. COMPLEXIONIS TEMPERIEM. 2. Lucidā & subtilē MELANCHOLIAM. 3. SOLITVDINEM. 4. ADMIRATIONEM. 5. ECSTSIM 6. PVRITATEM. 7. SOMNVM

¶ Septem mensiū interuallū humanæ speciei fœtus in utero formatur. Septimo mēse dētit. Septimo AEtatis annomutat dentes. Quarto decimo (Secūdo nēpe septenario) pubescit. Vigesimo primo (Tertio nempe septenario) adultus est in longum. Vigesimo octauo (Quarto scilicet septenario) adultus est in latū. Trigesimo quinto (Quinto septenario) adulto est robore corporis. Quadragesimo secundo (Sexto septenario) adulto est Iudicio. Quadragesimo nono (Septimo videlicet septenario) adulta est quacumq; præditus esse Fortuna potuit. A` Septimo Septenario (ab hoc inquam termino) fit declinatio (secundum vniuersum loquor atq; speciem, nō autem iuxta particularium conditiones quæ ex perturbationibus materiæ contingunt) ut omnia simul paullatim, lenteq; in subiecto contēperantiore defluant, dentes, pili, longitudo, latitudo, robur, iudicium, sensus. Itaq; homini per hebdomadas accidūt mutationes Geniorum, facultatum, fortunarum. Septem spicis plenis succe-

ſuccedunt inanes: Septem bobus pinguibus, macilentæ & ê contra, iuxta ordinarium curſum: Sed rerũ fato interdum prudentia maior: Et methodus certa eſt eorum qui natura, libidine, & caſu aguntur. Sed horũ ultimos tutiores eſſe compertum habemus: & in rebus difficillimis quã prudentes & audaces extiterint. vel ſi cum aliquãta prudentia præcipitanter audaciam admiſcuerint, ut Iulius Cæſar. quia SOLLICITVDINE ADVERSVM ANTEVERTITVR FATVM.

¶ Septem ſunt DVRATIONIS differẽtiæ. Prima eſt AETERNVM & TEMPORALE. Cui ſubordinãtur perẽniter, ſemper, quandocũq;, numquam, interdum, aliquando, quoties.

Secũda ANTIQVVM & RECENS, cui ſubordinãtur olim dudum, iam, nũc, Multo vel paulo ante, multo vel paulo poſt, exoletum, inueterarum, antiquatum, neoteriſum, imminẽs, inſtans, remotum ante hoc, vel poſt hoc, dum hoc. Senectus, Iuuentus, Pueritia.

Tertia PRAETERITVM PRAESENS ET FVTVRVM q-bus adſtãt ante, nunc, Poſt, Heri hodie, Cras. Seculo & Anno elapſo præſenti & venturo. Item Aetate, Olympiade, indictiõe, Menſe, Die, Luna, AEſtate, vere, & alij mille iuxta tres hoſce terminos. Anticipãs anticipatum ſimul, in poſterum, tandem, ad extremum.

Quarta in PRINCIPIO, MEDIO, FINE quibus adſtãt antea, dum, poſtea, demum, hactenus, modo, præterea.

Quinta CONTINVE FREQVENTER RARO, cui ſubordinatur Aſsiduê, ſæpe, crebro, ſolito, non intermiſse, alternatiũ, quãdocumq;, toties, quoties, interim, pro more, extra morem, præter conſuetudinem, ſemel, bis, ter, pluries, uſq;.

Sexta CITO, TARDE. cui ſubordinatur, longitudo, Mora, diuturnitas, grãdæuitas, maturitas, immaturitas, tempeſtiuitas, intempeſtiuitas, ſero, lente, ocius, celeriter, Breui, citatim, raptim, contractẽ, actutum, repentẽ,

extépore, ex præmeditato, expectatũ, non ex abrupto.

Septima DIVRNVM NOCTVRNVM, q̃bus adsunt, Matutinum, vespertinum, ortus, occasus, diluculum, vesperugo, Meridianum, merinoctium & reliqua.

CAPVT IX. DOMVS.

Octoadis imaginem appingo, & Octagonum circulo inscribo & circumscribo.




CTOADISQVE *en hic numeri pleniq; figura*
Iustitiæ vera archetypus Samio sapienti.
Scilicet hæc numero pariter pare constituatur
Atq; huic quo genita est similẽ genit atq; propagat.
Principium pariter parium primum atq; elementũ.
Hinc suerunt festum numero solemnius isto
Concelebrare velut iustè soluendo parenti,
Sacra dei obsequio totidem absistendo diebus
Vtq; decora cluit totidem de partibus illa
Quam circum splendent nitidis rutilantia flammis
Numina, quæ in nectunt mortalia pectora cælo
Humanæ mentis quibus illustratur horizon,
Religio, Officium, Pietas, Constantia, Verum,
Integritas, Probitas, Vindicta, & Gratia suauis.
Aspicis ergo ædeis octono cardine cinctas
Vt Ratio est medians cui vires octo ministrant
Adstantes circum, Primum vis ignea Visus,
Auditus pronis intentusq; auribus, inde

Phanta-

Phantasia species sibi componitq; receptas
Et quæ ultra sensum scandit Περίνοια primum
Et quæ omnem sensus gazam ingenijq; recondit
Mnemosine. Post hanc Intellectiua facultas
Proxima cui primo accedit Speculatio simplex
Tandem & Discursus de noto ignota receptans.
¶ Accipe ut è medio hæc tibi circumductio surgat
Quantalibet gyrum tribuat distantia primum
Illius hinc radius duplo concrescat & æquum
Concipiat gyrum reliquum cui continuetur,
Et cuius centro radius finitur ut amplus
Circulus hinc fiat (nisi sit tibi traditus idem,
Dissectoq; fiet radio geminus tibi cyclus)
Contactus punctum quo cyclum paruulus unus
Attingit reliquum centrum tibi fiat, & illud
Quo scindit magnum, radij sit terminus eius.
Quo minor est scissus mediocre & unus & alter
Gyri, quod minimos arcu nectente gemellos
Arcum definit magni qui terminus eius
Est lateris vicibus quod totum sustinet octo
Quo visum radiat directa cuspide Titan.
Dissecti lateris quantum infra punctus habetur
Margine comprensus tantum venit angulus extra
Circum scribendæ formai octo lateralis.
Namq; sagittæ pars quanta est comprensa sub arcu
Quam medius chordæ punctus substentat & extra
Tanta habet & recipi: nam quando extrema coibũt
Perfectum est totũ ut iuncta est cum cuspide cuspis.
Dimetrus ex anglo oppositum quæ tendit in anglũ.
Consimilem gyro circumscribetq; figuram

Si iſtud continuè extremum circumfluat illud,
Vt paribus conſtans numeris eſt quæq; figura
Cyclo adſcripta ſup. poſtquã eſt inſcripta ſub orbe.



OCTOADIS SCALAE.
ORDO PRIMVS.

OCtonarius numerus Repetitionis, Iterationis, Loci, Inchoationis, & Regenerationis, Innouationisq; eſt numerus, ideo imperfectus eſt quia á numero ſeptenario cadit. Anno octauo ſerit qui ſeptimo qeuit, Die octaua laborare incipit, qui ſeptima quieuit. Septem


ptem dierum perfectus numerus complet statū generationis. Primus dies post septimū regenerationi á Iudæis per circumcisionem, & á christicolis per baptismadestinatur. Hinc fœtus qui octauum numerum subiuit, tamquam ad exortus primos uterales reuolutus ineptus est ut viuat tamquam maturatus ad incunabula extra uterum capienda: quæ in attactu ipso octaui vel circa terminū septimi fœliciter adoriretur. Et aiunt quod si pater ad octaui mensis eos terminos concubuerit, fædata cute affectum puerum, & sordida complexione inspurcatum faciet. Sed hic effectus non tam á numero quam ab alijs procedit accidentibus: Sicut etiam quod refert Cœlius de infante qui octauo cōceptiōis mense noctu, Saturno in statione prima in signo Sagittarij ascendēte, semiuiuus licet ꝓdierit, remedijs tamē & fomentis medicis adiutus facultatem vitæ ad competentē usq; ætatis terminum est adsequutus: hæc quippe & maiora per artem contra ordinarium naturæ cursum fieri posſunt: quinimo nihil intelligo in natura particulare, cui necessitatem absolutam atq; simpliciter attribuam.

¶ Hic numerus Pythagoricis Iustitiā significat, quod aiunt primus est solidorum primusq; omniū inter numeros pariter pares, nempe bis quaternos, qui mox in bis binos diuiduntur, dispescitur. Bis enim bini bis octonarium constituunt. Et Orpheus cum diuinam iustitiam vellet obtestari, per numina octo iurauit quorum nomina & præsidentiæ sunt.

I.	*Vulcanus*	*Ignis*	*Caliditas*
II.	*Oceanus*	*Aqua*	*Humiditas*
III.	*Ceres*	*Terra*	*Frigiditas*
IIII.	*Cœlius*	*Cœlum*	*Diaphanitas*
	Nempe		
V.	*Apollo*	*Sol*	*Lux*
VI.	*Diana*	*Luna*	*Fulgor*

VII. Phanes——Erus——Vmbra
VIII. Chaos——Nox——Tenebræ.


Et in Musicis soliditatem quandam constituere comperitur.



SECVNDVS ORDO.

OCtonarius numerus in genere corporeorum atq; sensibilium, ut pote perfecté par, atq; quadratus est, ut in ędificijs nostris, quatuor latera octo terminantur lineis punctisq; primó, proindeq; á numeris qui ab octonarij radice prodeunt, ut sunt sexdecim, trigintaduo, 64. & alij proinde in eodem pariter pares ordine. Sed pro loco alius numerus alijs debetur locatorum speciebus. Exagonas enim apes sibi domos constituunt. Aranearum quædam propter numerum tibiarũ exagonas, quædam tetragonas. Serpentum genus auium & ferarum plurium rotundas. Reis trilatera loca &

trilinealis figuræ tamquã indignis loco, tellure, sepulchroq; olim destinabantur non sine maioris (& si defunctis) supplicij nota ab ijs qui id se nõ temerè facere cõgnorant. Octo sunt adæquatæ locales differentiæ INTVS, EXTRA, SVPRA, INFRA, ANTE, RETRO, DEXTRORSVM AD LAEVAM. Octo cardinibus secunda numeratione sub primis quaternis definiuntur Motus stationes. Sicut enim in cælo sunt. 1. ORIENS. 2. ME



RIDIRES. 3. OCCIDENS. 4. SEPTENTRIO. 5. Punctus medius INTER OR. ET MER. 6. Medius inter MER. &

Occi. 7. Medius inter Occi. & Sept. 8. Medius inter Sept. & Ort. Ita octo sunt rerum vicissitudinem termini distinguentes.

Tertivs ordo.

Octo sunt in secundo ordine locales differentiæ. Prima est Domesticvm & Peregrinvm, cui adsunt Alienum, Consors, Aduena, Inquilinus, Indigena, Exiliũ, Patria, Peregrinatio, Lares.

Secunda Longe & Prope, cui adsunt Abstans, Præsens, Adstans, Iuxta, Accedens, Recedens, Adactũ, Abactum, Attingens, Adsidens, Absistens, Contiguũ Sepositum, Finitimum, Longinquũ, Affine, Cælum, abyssus, profundum, sublime: aer, aqua, terra penes, iuxta.

Tertia Externũ & Internvm, cui adsunt circa, Intra, Intestinum, Insitum, Iniectum, Deforis. Centrale, circumferentiale, conceptum, partum, eductum Inclusum exclusum, continens, contentum, comprehensum, circumscriptum, definitum, concauo, connexo.

Quarta Desertvm & Tritvm, cui adsunt deuium, peruium, inhabitatum, incultum, frequentia, desolatio, sublime, imum, Mõs, vallis, clausum, hians, Gurges, Sylua, Charybdis, Fouea, Orcus, Ciuitas, Domus, Templum, Cenaculum, & reliqua.

Quinta Simvl Separatim cui adsunt, Interuallũ, medium, spacium, Iunctum, ab iunctum, infixum auulsum, continuum, discretum, hærens, semotum, unitum, distinctum, intercedens, consequens, contextũ, copulatum, disgregatum, diductum.

Sexta Citra, Ibidem, Vltra cui, adsunt Ante, post, Retro, á Fronte, á Tergo, in corpore, in primo, in medio, in postremo occursu, Ad caput, ad dorsum, ad pedes, ad caudam.

Septima Oppositvm Concvrrens, cui adsunt E regione, cõtra, ex aduerso, diametro cõiuncta, trigono

tetragono exagonoq; aſpectu ſe reſpicientia : tanto ſpacio, tot ſignis, vel ſtadijs ſepoſita. hoc vel illo ſitu figurationeq; coordinata.

Octaua APPOSITVM & INCOMPOSITVM cui adſunt Commodum, incommodum, capax, Incapax, configuratum, inconfiguratum, (locatum nempe cum loco) Adiectum cum ſubiecto, adiectum cum adiecto ſubiectũ cũ biecto, pars cum parte, pars cum toto, totum cũ toto.


CAPVT X. MVSA.

Enneadis imaginem deſcriptam do.



NNEADIS *domus explicita eſt exinde ſacrata*
Quam ſi noſſe cupis velut olim ſtruxerit almus
Muſarum pater, huc mentis conuertito lumen,
Finibus æquali diſtinctis interuallo
In ſenas poſtquam partes eſt circulus actus
Heic centrum Mens eſt. Cœli via Apollinis axis
Per Mentem archetypæ penetrans usq; ora Dianæ
Orbis qua facile in partes diſpeſcitur æquas
Illius ut dextram radius nempe atq; ſiniſtram
Diſtinguit ternas in partes ut Bonitati,
Quã prope Apollo Charis Bonitati eſt, huicq; Diana
Succedit. pariter cæli pars altera ſurgat
Quantum ubi diſtantem Fortunam cernit Apollo,
Tanto & ab Erigone eſt Fortuna hinc, inde Diana.
Inde per Erigonem & Fortunam tramite iacto

Perq; Bonū & Charites qui ultro percurrat utrinq;
Ad geminas usq; has quæ in Apollinis atq; Dianæ
Attingunt cælum punctis. unde angulus æquus
Exibit quatruplex: Pluto hunc, & Iuppiter illum
Obtinet & reliquos, Saturnusq;, Oceanusq;.
Si mox per medium cælum Saturnus ad oras
Oceani veniat, tangat Pluto Iouis altum
In quatuor punctis cælum findetur utrinq;,
Qui quantó absistunt axis de cardine utroq;,
Tanto edunt arcus tractum laterisq; petitum.



Nonagoni Analogia Ad Enneaden.

Alma trias numeri proprijs si partibus ipsam
Integram referat primogenita Enneas exit:
Nempe Hierarchiæ triplicis vis, qua referente
Sis gradibus triadem consurgit noncuplus ordo.
Mitte etiam ut trias est per se deducta, per omnem
Et Monadē, & quidquid monadis de fonte resurgit,
Innumeros rerum partus miro ordine signat,
Celsumet in obtutum specierum lumina mentis
Promouet: atq; ut se generatim cuncta propagent
Edocet in propriam formam, effigiemq; alienam;
Inde nouem toto numerantur in ordine Musa,
Ad numeros plectri moderantis Apollinis, altis
Saltantes modulis. Totidemq; animæ esse recessus
Cernimus. Ad mentem totidem perducere portas.
Vt videt hoc animal, digestaq; trutinat aure,
Vt confert visa auditis, Phantasiat ex ijs
Educit formis occulti plasmata sensus
Cogitat, & Meminit, Discurrensq; arguit, atq;
Ad species Intellectus consurgit apertas.
Hisce nouem veluti fœturæ mensibus inde
Paturiunt nec enim se partus continet ultra.
Symposium faustum numero de simplice adortum,
In triadis minimo Enneadis summoq; quiescit.
Ac de compositis fundamine surgit ab isto
Formato per se, aut triadem, nouies nouem, aut ter.

ENNEADIS SCALAE.

ORDO PRIMVS.

ENNEAS est Intelligibilium cognitionis & sapientiæ numerus. TRIPLICEM celebrant Platonici trinitatē. PRODVCTORIAM, CONVERSORIAM, PERFECTORIAM. Harum Prima est Bonū, Intellectus, Anima. Secunda Mercurius per Rationem ad sublimia reuocans. Venus per visum alliciens ad superna. Phæbus per Auditum spiritum extollens. Mercurius ad Bonum quod est Voluntatis obiectum. Venus ad pulchrū quod est Intellectus obiectum. Phœbus ad Animam, quæ numerus quidam est harmonicus, spectat. Tertia trinitas perfectoria singula quæ repetit in secundo ordine superiori, prioriq; adcommodat ordini. Per vitam ducit ad Animam, per cogitationem ad Intellectum, per voluntatem ad Bonum.

SECVNDVS ORDO.

Magi, Cabalistæ, atq; Platonici Christiani Tres agnoscunt Angelorum totidemq; cacodemonū hierarchias; quarum in tres singulæ distribuuntur ordines; quorum Infimos tres Areopagita appellat Purgantium. Medios tres Illuminantium Supremos tres Perficiētium, Illorū Hebraica, Latina & Persica nomina sunt vulgata. ¶ Horum figuræ sunt Nouem gemmæ.

Sardius——— Topacius——Iaspis———
Chrysolythus— Onix——— Berillus——
Saphyrus———Carbūculus—Smaragdus

NOVEM PLANTAE.

Palma————Oliua———Vitis———
Ficus————Amigdalus——Nux———
Pinea————Laurus——— Myrthus—

No-

Novem Animalia.

Aquila———Homo———Leo———
Columba——— Ouis———Aries———
Turtur———Ceruus——— Taurus———

Novem Alivs Ordinis.

Accipiter———Behemot———Draco———
Leuiatan———Lupus———Vrſus
Aper———Mulus———Equus———

Svb Iis Novem Felices Effectvs.

Amor ———Votum——— Spes———
Gratulatio——- Conſolatio— Viſio———
Poſſeſsio———Honor———Gloria———

Novem infoelices.

Odium——— Ira———Deſperatio--
Inuidia——— Indignatio——Furor———
Luctus——— Contemptus--Gehenna—

Tertivs Ordo.

Tres fuerũt principió Muſæ quas Pierius Macedo dicitur in nouenarium explicaſſe. Quia nouenario fœtus humanus perficitur:Nona quippe Luna á prima conceptione epxlicatur.Neq; temerario quodam caſu. Poeti cum opus indicans Nonum prematur inannũ dixit ille: illius nempe numeros Muſarum numeris abſolutos,pro fundioribus exquirens.Nunc circa triũ parentum ſingulas trinam prolem ut melius potes conſidera.

¶ Nouem ſunt cognoſcitiuæ potentiæ in homine. Visvs,Avditvs, Gvstvs, Tactvs , Olfactvs, Phantasia,Cogitatio,Memoria,Ratio.

¶ Nouem ſunt in homine indicatoria.Frons,Ocvlys,

LVS, OS, LINGVA, BRACHIVM, MANVS, PENIS, GENVA, PEDES.

Calliope—Clio—	*Terpsicore— Melpomene*
—MNENE—	——AVEDEN——
——*Vrania*——	———*Euterpe*——

| MNEMO |
| SINE |

| *Polyhimnia Erato*—
| MELETEM— |
| *Thalia* |

¶ Huc pertinent multæ Veritatis & Intellectus Enneades, de quibus alibi proprius, ut circa Palladis statuã in libro Triginta statuarum non edito sed scripto.

¶ Nouem sunt sub LVCE, OCVLO, & VISIONE termini. Sub Prima inquam tres. REVELATIO, INSPIRATIO, DOCTRINA. Sub Secunda tres. FIDES, DISCIPLINA, DVBITATIO. Sub Tertia tres. EXPERIENTIA APPLICATIO, CONTEMPLATIO.

¶ Nouem sunt sub CAECITATE, MALITIA, & INORANTIA termini. Prima Addiscentis. Secunda docentis. Tertia doctrinæ seu scripturæ. Sub Prima tres, INDISCIPLINATIO, CONSVETVDO, CREDVLITAS. Sub Secunda tres, ADDITIO, SVBTRACTIO, MVTATIO. Sub tertia tres, AMPHIBOLIA, CONTRADICTIO,


formatio, in primo ordine. Collectio, Explicatio, Declaratio, in ſecundo ordine. Obiectio, Svbiectio, Commentatio, in tertio ordine.

¶ Nouem diuinæ voci cui omnes ſenſus (nẽpe infinité ſignificanti, non ut ut noſtræ definita intentione prolatæ dictiones) iure optimo congruunt ſub quocumq; qui verbis expreſsius aperitur ſenſu quem literalem ſcholaſtici appellant; quorum primus eſt Historicvs quem Thalmuticum dicunt Iudæi, qui res geſtas Dei, Numinum, & hominum aperit. II. Physicvs rerum ſẽſibilium naturam & ordinem inſinuans. III. Metaphysicvs, qui res diuinas definit, vel de eiſdem aliquid demõſtrat. IIII. Ethicvs, qui ea ad mores & exempla quibus in nobis ipſis & ad alios reformemur edicit. V. Legalis, qui affectus, opera, cultus, & ceremonias inſtituit, & alijs pro meritis diſtribuere & retribuere ordinat. VI. Anagogicvs, qui res unius ſcripturæ vel partis vel voluminis ſignificantes res alterius ſcripturæ partis atq; voluminis complectitur: á ſenſu item rerum viſibilium extollit percipiendum, ex ordine, communione, concatenatione, & analogia rerum ad res & á rebus. VII Propheticvs, qui per ea quæ de præteritis habentur rerum præſentium ſtatum explicat aut etiam intelligit: vel qui de abſentibus atq; de futuris dicit vel etiam iudicat: per ea quæ coram ſunt vel præſentia: vel abſq; medijs ſola concitatione, vocis, literæq; dictamine furit. VIII. Mysticvs, qui ſub ænigmate & omnibus enumeratis ſenſibus imperuio dictamine claudit ea quepaucis vel nulli in præſentia reuelantur: quem ſenſum Cabaliſticum appellant Iudæi. IX Tropologicvs.

¶ Non ſolum nouem ſenſus in quacunq; diuina dictione (quelis eſt Moſis, Iobi, Dauidis, Salomonis, & his ſimilium Hebreorum: Heſiodi, Orphei, Homeri, Sibyllarumq; repentino furore accenſorum ut vaſa diuinitatis eloquentis eſſent) ſed etiam nouies nouem debebis ad-

I tendere

tendere quandoquidem hi ſenſus non ſolum ad literæ (grammaticæ nempe rationis) expreſsionem ſunt diuiſi: ſed & certé in omnibus inſiti, impliciti, adnexi, uniti. Sic enim in diuini verbi ſenſu uno ſunt omnes, ut ſenſus unus eſt in omnibus; quamuis alius alibi explicatur ad noſtrum captum: quemadmodum mens eius qui dicit, eſt omnia in omnibus: Senſus enim diuinus in litera eſt ſicut in corpore anima: ubi corpus eſt ſecundum unam partem in uno, ſecundum aliam in alio ſpacio atq; loco: anima veró (ſicut vox & ſonus) ut eſt in toto & in quacunq; parte tota eſt. Quinimó ſicut anima á corpore nõ comprehenditur; ſed ſine modo (quem quilibet poſsit digné audire) corpus comprehendit: ita & diuinus ſenſus per diuinam literam non definitur, ſed in ſua infinitate & abſolutione extra atq; ſupra illam permanet & ex



tenditur

tenditur. Interim nullus absq; expresso lumine sensuũ se præsumat explicatorem: sed qui congruentia secundum omnia, & conuenientia de arca ingenij poterit adducere: Neq; infelici grammatica illa perniciosa, imperitaq; inuidia, literæ immensus angustissimusq; alligandus est sensus usq; adeo balbutienti, ut neq; ad sensus humanos explicandos sufficiens existit, ubi innumeris conceptibus, & intentionibus infinitis, certus definitusq; vocum numerus debet inseruire.

¶ Propositum subiecto insinuamus archetypo: ita reliquorum singulos per se ipsos (nempe ubi una historia aliam significat historiam, una lex aliam, & unum quodlibet aliud eiusdem generis) atq; per alios omnes sensus deducere docente: sicut signum A. per A. & reliqua octo deducitur elementorum. Ibi A. significat Historiã, B Physicam, C Metaphysicam, D Ethicam, E Legem, F. Allegoriam, G Analogiam, H Prophetiam, I Secretum.

CAPVT XI. MVNDVS.


Decadis domus & Archetypus, cuius simulacrum decagonum est appictum in Scuto.



Rincipivm *primũ* Monas *& substantia prima*
Verũ, omne, existens, quo sunt vera omnia, & unum .
Inde Dias *rebus tribuens discrimina primum,*
Per quam diuersa, & quæ sunt contraria constant.
In Triade *aduersa & contraria currere in unum*
Compositum possunt, per quam omnia fœdera fiunt

Per Tetradem *solida est data consistentia, agésq;*
Et patiens, locus, & tempus benè distribuuntur.
Pentadis *officio media, organa, sensus & artes*
Pro modulo actiuum passiuaq; proxima nectunt.
Coniugium *& rerum generatio ab exade persit.*
Ad finem properans praxis motusq; sub ipsa est.
Heptadis *est requies qua feriat omne laborans*
Et consummatum semet reflectit in ipsum.
Iustitiæ archetypus comprenditur Octade, *qua res*
Seruantur, seruant, tribuunt, & grata rependunt.
Consimile à simili Enneadis *deducitur usu*
Tartarea ut nouies lympha interfusa coercet.
Simplicium numerũ claudit Decas *atq; recludit.*
Fontibus ex istis quidquid coalescit in unum,
Et numeri genus omne tenet genus omneq; ad ipsam
Respicit: hanc omnis ratio atq; proportio spectat
Vsu hominum monadis repetens exordia meta est.
Immensi numeri parium impariumq; reponit
Hæc species cunctas vehit & discrimina cuncta.
Accipe nunc veluti domus hæc formata perenni
Consistit specie primæ dictamine mentis,
Fallere metriæ quæ comperietur ad usum.
Circa Opus Ingenium magnum confluxit in orbem
Qui latere obtensus deno consisteret inde
Lux ergo Morphe ut circa ipsum lata repertum
Subiectum capiet gyri est ubi peruius illi
Punctus gyranti. Morphe radio huic sociatur
Et circum gyrat quo fluxu Tempus & Aetas
Occurrunt secta in maioris margine Cycli.
Tunc si Subiecto nectantur Tempus & Aetas
Et denis binas signasti in margine costas.

Constitvtio Geometrica.



¶ Ibi AB extrema & media ratione diuiditur, quando ipsi ad angulum rectum æqualis capitur A C. Moxque AB bisecta in puncto O quanto distãtia CO superat distantiã O A, tanta inter A G O capiatur A D & habes primum propositum.

¶ Mox triangulum æquicrurum habebis, cuius angulus ad basim duplus est reliquo, si B circumfluxum faciat circa A. vbi in peripheria æqualis ipsi BD adcommodetur BE, quod E fluat in A & habes secũdũ propositũ.

¶ Tandem pentagonum facies æqualibus ipsi AD captis AF, EG, BH. Rursum æquales ipsi AB per punctum G fluente B, & per punctum H fluente E ducantur BK & EI. & habebis tertium propositum.

¶ Circulum circumscribes & decagoni puncta in-

uenies si Anguli externi infinite fluant 1.E per D. 2. B p F.3.I per G.4.K per H.5 ut postea circa centrum in quo se fluxus intersecat circumfluat A, & arcus Decagoni A M definiantur pentagoni filij.

¶ Quod si inscriptio pentagoni in dato circulo petitur aut decagoni circa rectam AN Angulo EAB æqualem facies: & opere Solimj te ad portam Veneris ad ducentis.

¶ Vbi circulo pentagonum vel detagonum circumscribere intendas, consule Oceani sigillum.

SCALAE DECADIS
PRIMVS ORDO.

DEnario rerum genera distribuuntur, plenitudo nẽpe entis intelligitur explicari; quia & decem sunt rationes quibus primum principium bonum atq; causa, rebus se communicat, diffundit, & applicat. Suum enim propter Esse ille producit. 1. rerum Substantiam. 2. sua Magnitudine Quantitatem. 3. Sua Pulchritudine Qualitatem. 4. Paternitate & Dominio Relationẽ. 5. Omnipotentia Actionem. 6. Omni agitatione Passionem. 7. Omnipræsentia Vbi. 8. AEternitate Quando. 9. Prouidentia Dispositionem & Situm. 10. Plenitudine Habere.

¶ Hinc Decem illi Indumenta (quæ Sephiroth Mecubales appellant) ad tribuuntur. Indumentorum nomine celebrata, quia deum in substantia absoluta innominabilem & incomprehensibilem non significant, sed externis quibusdam respectibus tamquã lucis in accessibi lis velaminib9. Ipsa sunt EHIEH, HOCMA, BINAH, KEIHER, NEZAH, HOD, TYPHERETH, GEBVRAH, MALCVTH. HESED. Hinc & decem quæstionũ numero omnis rerum & intentionum inquisitio, inuentio, & iudicium defini-

definitur. 1. VTRVM, ſub qua ſunt tres differentiæ. Prima affirmati & negati. Secunda crediti & dubitati. Tertia certi, rati, & ficti ſeu apparētis. 2. QVID ſub qua ſunt, Primó quid nomen. Secūdó quod genus. Tertió quæ eſsē tia propria ſeu differentia. 3. QVANTVM, ſubqua ſunt, Primó Momentum, Secundó Numerus, Tertió Magnitudo. 4. QVALE, ſub qua ſunt, Primó naturales facultates. Secundó habitus & diſpoſitiones. Tertio actus interni ut contemplationes paſsiones, & externi ut figuræ. 5. QVARE, ſub qua ſunt, Primó Cauſaliter. Secūdó Effectualiter. Tertió Finaliter. 6. QVATENVS, ſub qua ſunt, Primó Eſt. Secundó Poteſt. Tertió Agit. 7. QVANDO, ſub qua ſunt. Primó Duratio ſeu rei vita. Secundó Sideratio ſeu conſtitutio cæli. Tertió Ordo ſeu vicíſsitudinis ratio. 8. VBI, ſub qua ſunt, Primó ut in principio & conſeruante. Secundó ut in genere, loco, & patria. Tertió ut in partibus & ſubiecto vel toto. 9. QVOMODO, ſub qua ſunt, Primó ſub alio. Secundó in ſe. Tertió ad aliud. 10. QVO, ſub qua ſunt, Primó concomitans. Secundó Poſſeſſum. Tertió Medium, via, & inſtrumentum. Quæ ſané decē vicíſsim ſe ipſis ſuisq; ſpeciebus & ſubalternatis ſingula formant omnia & (ut in Enneadis figuræ irradiatióibus eſt manifeſtū) formantur ab omnibus.

¶ Decem ſubſunt ex quinq; differentijs veri ſpecies.

Circa præſens *nempe eſt quod*	Fuit, ——	*Semper*	1.
		Aliquando	2.
	Fuit, & eſt,	*Semper*	3.
		Aliquando	4.
	Fuit, eſt, erit	*Semper*	5.
		Aliquando	6.
	Eſt, & erit,	*Semper*	7.
		Aliquando	8.
	Erit, ——	*Semper*	9.
		Aliquando	10.

In primo ordine est VERVM. In Secundo ortus Solis, & Eclypsis· In tertio meam numerationem esse vel futuram hanc. In quarto me numerare. In quinto me numeraturum quod nunc numero. In Sexto me (cum numerauerim) numerare. In septimo me numerare vel numerasse. In octauo me simili tempore numerasse, vel (cũ numerem) numerare. In nono verum me numerasse. In decimo me præterisse hos numeros.

¶ Decem habemus entis species (accidentia.n. entis, & circa ens, in serie creaturarum nec á Mose nec ab alio sapiente enumerantur). I. ABYSSVS, seu umbra, & spacium. 2. LVX Mosi primogenita. 3. SPIRITVS, aer, æther animus. 4. AQVA Mosi, seu natura humida Trismegistos 5. ATOMVS Democrito, Arida Mosi, Terra Empedocli quinq; primaria simplicia quibus totidem succedunt composita. 6 DII ex simplice lucis substantia cum spiritu vel Animo qui votis & iustitia delectantur. 7 DAEMONIA ex aqua ex spiritu, quæ delectantur sanguine plura: quorum minus impura odoribus vegetabilium & aromaticis capiuntur. 8 ANIMALIA secunda, ut Astrorum corpora & eorum quæ in ijsdem sensu donata viuunt ut in Tellure, Luna, & Sole. 9 PLANTAE arbores & herbæ. 10. MINERALIA, Lapides, Metalla. Inter hæc sunt quæ speciem propriam constituentia non habentur, ut Ros, nix, coruscatio, flamma, nubes, quæ inter simplicia sunt atq; perfecte (ad quorum perfectionem tendunt) composita. Lapides ex alto cadentes & fulgura ad mineralium genus pertinent, & si in matrice Telluris non fieri videantur. Zoophita inter animalia & plãtas sunt, quæ ad utrumlibet possis reducere genus; dum in alterius ordine supremum, alterius veró serie imum tenere gradum posint. Inter quælibet duo similiter genera medium est, quod hac ratione capias, quando continuatione concatenationeq; quadã, á supremo ad imum naturæ scala deducit. Interea nullus denario numero

mero rerum distributioni conuenientior apparebit.

Secvndvs ordo.

Denarius est numerus completus & pefectus ex numeratione hominis: designatione nempe quæ ex digitis est. Significãter & naturali adcommodatione ad digitorum manus conformitatem quinq; volumina legis nempe Pẽtateuchum Moyses exarauit: Christus ad duo præcepta dilectionis tamquam ad duas manus & Mosaicas tabulas Legem redegit suam. Vtraq; subinde Lex decalogi expressione digitis omnibus manuum operum distinctionem significantibus notatur, quorum ordo respondet. Vnitati, 2. Veritati, 3 Bonitati, 4. Amori, 5. Patientiae, 6. liberalitati, 7. Sinceritati, 8. Fidei, 9. Abstinentiae, 10. Continentiae: & ad hũc sensum moraliter referunt quod dicitur in libro Iobi, Deum signasse in manibus hominum, ut nouerint singuli opera sua. In denario ergo operabilia operumq; instrumenta sunt constituenda: Sed operis tẽpus & media senarium exquirere fuit in superioribus ostensum. Aristoteles non fortuito inquit, sed natura omnes tum Græci tum barbari usq; ad decem numerãt. Sed naturam illam non explicat, quia scilicet digitorum explicatione & complicatione nec non articulorum qui in ijsdem sunt notatione cogimur vel muti vel silẽtes exprimere. Et in quarta Telluris parte, quam Americam dicimus, discalceatum hominum genus, quã nos in decade, ipsi in vigenario (digitis nempe pedũ quoq; numerationi adsignatis) periodum unde monadem repetant constituunt. Sic ergo non temeré á nobis dictũ est alijs speciebus alios ex digitis & profundioribus causis esse numeros, sicut & articulorum & quæ ex articulis figurarum. pluribus. n. auium (si numerant) octonario digitorum numerus terminatur: & araneæ & apes iuxta

numerum crurium hedras & angulos domorum faciũt. Patet igitur qua ratione expressé ad hominis speciem periodicus numerus sit denarius, Eius ergo figura linealis est circulus qui cum monade valet 10. Plana duo circuli, qui cum monade valet 100. Solida tres circuli qui cum monade valent 1000. & sicut non sunt plures dimensiones tribus: ita digitorum periodus ad periodum articulorum tantum triplicata deductione crescit. Sic Plato ad culpæ deletionem utitur numero Denario, Centenario, Millenario, qui ex denario consurgunt. Vnde illud, Centũ errãt annos volitantq; hæc littora circũ, & Hos omnes ubi mille rotam voluere per annos Rursusq; incipient in corpora velle reuerti. Apocalypticus deuinctam intelligit bestiam annis mille. Et Danieli numerus idem cubitus unus appellatur. Nec nõ Origenes, Christianus Theologus, & Philosophus Platonicus, tẽpus hoc tribuit tenebræ & lucis vicissitudini.

TERTIVS ORDO.

DEcem circulis sphæra tum visibilis tum inuisibilis definitur. HORIZON Appollonio in libro de tribunalibus spirituum est duplex illorum, ordo superior & inferior, maior & minor ubi maior, influxũ impressionemq; facit in minorem: ille secundum quosdam intelligit animas nostras in minore, dæmonas verò in maiori: secundum alios duas Hierarchias, quarum altera alteri præsidet. Hi ut dicit Astaphon in libro Mineralium constellatorum & in tetradis scala notauimus in intersectionibus circulorum contemplantur. O quanta (inquit) virtus est intersecationibus circulorum & quã sensibus hominum occulta. Cum caput Draconis in sagittario exstiterit Diacedio lapide posito in aqua naturaliter spiritus ad dandum responsa veniũt, qui lapis ta-

ctu corporis hominis mortui(non aliorum animalium) virturē amittit. ¶ MERIDIANVS qui idē & merinoctialis circulus á loco Meridianos Dæmones appellant:pro quibus dicit Hypparchus in libro de cautelis naturæ. Vt sol in linea circuli meridiei decipit eleuantem, Sic spiritus per umbram homines decipiunt:quia in rei veritate non poteſt haberi aſcendēs,& ij qui volunt de futuris iudicare inde principium habent erroris. Et ego in libro de ſphæra,errorum iſtorum cauſam detego, & meridianū â meridie auerſos inquirere doceo.¶ COLVRI Sol ſtitiorum & COLVRI æquinoctiorum rationes expreſsimus quatenus exprimi poſsunt,atq; etiam ad ſufficientiam uſq; debent. in ijs quæ de ſcala tetradis adnotauimus quatuor in pecies quę quatuor elemē tis præſident,& eorum naturas differentias & viciſsitudines ſuis viciſsitudinibus, naturis, potentijs, actibus, atq; figuris referunt, quatuor illa cardinalia puncta tenēt & obſeruāt radios ſolis in illis.¶ TROPICVS capricorni non habet intelligentias quæ ad noſtratium uſus pertineāt ſed omnis cultus & ſuperſtitio ad ¶ TROPICVM cancri conuertitur, cuius diſtantiam á circulo Arctico duplam ait Salomon in libro umbrarum ad maximam Solis declinationem:& diſtantia poli Arctici duplam eſſe ad maximam declinationem vitæ cœli. Hinc Ciccus AEſculanus (tempus lucis nactus) Principem ſpiritum qui Floron dicitur,& duplici virtute diſtat ab Aſmito â quo tandem malé magus ille miſer perditus fuit & deceptus:Sed non deceptus,quia illius caput deberi eleuari ſuper populum Romanum prædixerat in umbra ex ſpeculo chalibeo,ſed cum minimé omnium id formidaret fuit in patribulum ſublatus Romæ in cāpo Floræ. Inuocatione rite facta decepit etiam Maſsilienſem , ſed non decepit, theſauri inquiſitorem cui dixerat, Vade vade inuenies Theſaurum quod tibi per totam vitam ſufficiet:Sed cum ille effoſſa montis cauer

na invenisset quatuor auri uncitas ruina obrutus interiit, & cadauer inuentum est habens aurum in manu. Regi Mamphredo irrisit dicens, Irruite in campum hunc & inclinabuntur vobis inimici vestri. quem cæso exercitu cõquestum iussit respicere hostes, qui iacentia cadauera spoliantes inclinabantur: Interrogatus ab AEsculano de umbra Lunæ respondit: Vt terra terra est, Humiditatum est terra. Si totam umbrã habueris, te non decipiet sicut umbra. Interrogatus de Thesauro furtim abrepo ubi lateret. D. Inter pabulum, stabulum, & oratorium. Sed alia via inuentum est in sepultura quæ erat in templo. Nulli fauent nisi fortasse quibus se sponte offerũt. Qui eos quęrunt importune infelices sunt & desperati homines, & certe supplicio nõ indigni. ¶ Arcticum circulũ potentissimi & perniciosissimi hostes hominũ dicuntur tenere. Iuxta illud: Ab Aquilone pandetur omne malum. Vnde non temere refert propheta Principem Samäelem dixisse: Sedebo in monte Testamenti in laterbus Aquilonis, ut similis altissimo siem, & istos circulum arcticum incolentes nobiloris esse naturæ testatur Salomon hebręus, & quidam christiani necromantæ dicunt eorundem relatu eos â Cherubin Hierarchia superiore propter superbiam deturbatos. Antarcticum circulum incolentes ita alloquitur ille in libro de Vmbris, O`Antarctici manes diuinitate depulsi cur tantæ naturæ nobilitas videtur astringi speculo mineralię? Respõdent enim tum ex speculis tũ ex statuis Aureis, Argẽteis, Stanneis, & alijs. ¶ Zodiacum variatis vicibus vagi sicut planetæ septem principes tenent (quorum vulgata ab alijs sunt nomina) de quibus in Heptadis Scala pro sua ratione meminimus. ¶ Eclyptica linea occultũ & simplex genus habet citra quatuor illa puncta, de quibus in scala tetradis & alibi commemorauimus. Sed his parabolice loquẽtes, aliud intelligũt: egoq; non multum plusquam explicetur.


Men-

MENSVRAE EPILOGVS.

Nititur ut variè mensuram agnoscere vitæ
Signis distractus palma diuinus & eius
Producti parteis sulci qui defluit alto,
Nempe Iouis monte & Veneris sublime perambit
Et triquetri Martis latus unum creditur. haud hunc
Certo Iudicio certis & Legibus aptum
Principium ad artis metriæ forte reportant.
Cum tamen id firmo verum consistere sensu
Concessum cunctis, atq; experentia ab omni
Parte probet vitæ spacia ut subiecta notentur
Hæc paria imparibus spacijs: certaq; remissis
Lege tamen semper, nec non satis ordine certo.
Totius ergo eius defluxus puncta notato, ut
Ternum æquo à geminis punctum abstans interuallo
Sistat sub geminis, tractus basis inde recuruæ
Excipi ab opposita punctum medium patiatur
Cuspide, protensusq; sui vestigia linquat
Fluxus. Hic octonas in parteis scinditur æquas
Vultq; paralelas per septem iungere fines
Nectendo aduersum geminum latus: Inde recuruæ
Rimanti parteis primas hoc ordine agendum.
Alternæ é septem quatuor capiantur ut illæ
Vnius exæquant totidem partesq; recuruæ
Quando paralleleq; tomos capientur ad omnes
Atq; sigillatim subiectis ordine dicto
Obtineant fines cum rectis semper eosdem.
Quo circa exiguo á curuo nihilominu nobis
Temporis à magna quam quantum parte refertur

Rectas

Rectas ac tantas ſubtendas partibus hiſce
In triquetrum ſimilis generis migrantibus ut ſic,
Omnia perſpicuè ſignis clarentur eiſdem
Quorũ eadẽ eſt ratio. ſiquidẽ experientia monſtrat
Caſibus é varijs qui emenſo tempore vitæ
Occurrunt tali metrum variante tenore
Continuê & æqué ratione feruntur iniqua.
Propterea in ſimili comprenſa recurua trigono
Perpetuo veniat ſimiles parteisq; capeſſat,
Cuſpis ut Arcturi & Saturni Horeſcopus aptant
Partibus hinc ſimiles bene partes ſubſtituentur



Con-


Consimiliq; modo æquê distent disq; secentur.
Pro exigua tandem rectam statuendu recurua
Non multum errabis, quia sensus indicat ipse
Subtilis iactus quæ non manus adsequitatur,
Nempe acies paruo in spacio medium, mediiq;
Vlterius medium & quod circum cernere tanto
Perfacili certoq; magis conamine debet
Quanto alios sensus præcellit luminis actus
Ac minimum tandem rectum, minimumq; recuruũ.
Consimili in puncto tantaq; in sorte coibunt.
Nã minimum á minimo numerus discriminat unus.

Figvræ Epilogvs.

Organon ecce tibi tandem generale reporto
Quo valeat cunctas ad amussim expromere formas.
Non opus est medium varium per singula signumq;
Obiectis reparare nouis: sed cuncta per unum
Perficies Cyclum, cuius distinguere limbum
In multas lubeat parteis exactius ut vis
Inde opus educi. Porro sit adusq; tomorum
Demum distinctus numerum bissegmine semper.
Sex tantum á primo fundamine continuante
Non intermissa serie ut veniatur ad illud
Subiectum spacium cuius medium atq; quadratum
Duntaxat fines liceat comprendere sensu,
Scilicet ut medii medium á quo forsitan errans
Errorem haud subeas quem perspectiua notare
Possit,

Poßit, quiq; minus naturæ accedere rei
Quæ vix momento mensuram seruat eandem,
Nec sibi respondent per cunctas corpora parteis
Temporis ad multum quantum libet interuallum
Corporis alteritas veniat comperta oculorum
Iudicio. Iccirco haudquaquam speciem temerabis
Naturæ externam si finem ampledine quadam
Comprendas. Atqui cupiens captare per artem
Cuncta per Arcturi mucronem persequitantor.
In parteis radij simili serie exeat, atq; hic
Pergyrum variando locum loca cuncta notare
Aptius amborum punctorum nomine poßit,
Eius nempe quod & limbus quodq; area monstrat.
Nec prohibet quicquam quin sit protensior extra
Limbum per longum radius quia plurimus usus
Inde venit præsertim ut magnas atq; minores
Instrumento uno formas describere poßis
Commodius quorum hoc subiecto adponitur extra
Aut medium, reliquo stātem intra obiecta oculosq;.
Nam sic per punctum radij limbiq; notantur
Quilibet in plano fines ac terminus omnis,
Consimilesq; dabit quæcūq; proportio formas.
Quin etiam interdum gemino si operabere filo
Te gemino limbus numero informabit, ut inde
Non sit opus radio rebus quas fimbria gyri
Comprendat. Rursum poterisq; aptare trigonum
Cuius de lateris medio ac de cuspide fila
Tendantur, ratioq; venit percommoda sæpe hæc.
Porro ubi non multis numeris formanda figura est,

Quanq; Geometræ confirmet calculus, heic tu
Obiecti circa centrum describito gyrum
Aequalem vacuo quem vis formarier ut mox
Productis æquos rectis capientibus arcus
Quæ vel consistant, æquatis finibus intus
Comprensæ aut æquo ducantur ad extima tractu
Qualibet hinc fiunt certé, tomus, orbita, finis,
Costa, basis, facies, punctus, margo, angulus, apta.



FINIS.





IORDANVS BRVNVS NOLANVS,

De Immenso et Innvmerabilibus, *ſeu de vniuerſo & Mundis.*

AD ILLVSTRISS. ET REVEREN diſs. Heroem HENRICTM IVLIVM Brunſuicenſium & Lunæburgenſium Ducem, Halberſtadenſium, Epiſcopum, &c.

CAPVT I.

Est Mens, quæ vegete inſpirauit pectora ſenſu,
Quamq; iuuit volucres humeris ingignere plumas,
Corq; ad præſcriptam celſo rapere ordine metam:
Vnde & Fortunam licet & contemnere mortem;
Arcanæq; patent portæ, abruptæq; cathenæ,
Quas pauci exceſſere, quibus paucique ſoluti.
Secla anni, menſes, luces, numeroſaq; proles,

Temporis arma, quibus non durũ est æs, adamasq;,
Immunes voluere suo nos esse furore.
Intrepidus spacium immensum sic findere pennis
Exorior, neq; fama facit me impingere in orbes
Quos falso statuit verus de principio error,
Vt sub confictο reprimamur carcere vere,
Tamquam adamanteis cludatur mœnibú totum.
Nam mihi mens melior, nebulas quæ dispulit illas,
Fusim qui reliquos arctat, disiecit Olympum,
Quandó adeó illius speciem vanescere fecit
Vndiq; quá facilé occurrit penetrabilis aër.
Quapropter dum tutus iter sic carpo, beata
Conditione satis studio sublimis auito
Reddor Dux, Lex Lux, Vates, Pater, Author, Iterq;.
Adq; alios mundo ex isto dum adsurgó nitentes,
AEthereum campúmq; ex omni parte pererro,
Attonitis mirum & distans post terga relinquo.



VOD uniuersa pro suæ essentiæ conditione ad ipsum ad quem ordinata sunt finem aspirent, trita nimium sententia est. Bona veró tantó eminentius efficaciusq; perquirit unumquodq;, quantó perfectiorem sortitum est naturam. Hoc est quod simplicia simplex, corporeum corporea, diuina diuinum assequi contendunt. Inter uniuersa homo duplicis oppositiq; boni desiderio fertur, quatenus tum corpore, tum animo pro uiribus atq; captu quam optimé disponatur: ut ijs quæ circum in megacosmo cõsistunt ad necessitatem atq; voluptatem perfruatur, & omnium pro suæ nobilitatis consequutione, atque complemento ordinem,

dinem,dispositionem atq; naturam contempletur in cõ finio æternitatis atq; temporis,inter archetypum & exemplatum, intelligibilem inter sensibilemq; mundum positus,utriusq; particeps substãtiæ; extremorum quodammodo interstitium, in horizonte naturæ constitutus. Ex geminis autem tantó maiorem animi quam corporis curam gerit, quanto ille intrinseca rei substantia est,istud vero extrinsecus adiectum quoddam,Ille æternus unusq; perseuerãs,istud ad momẽta quælibet aliter aliterq; cõpositum atq; figuratum, ille ipse met existẽs est,istud vero quiddam circa consistens. Ille platonicis nndiuiduus,impassibilis,per se motus,stans per substãtiam,hærens diuinis,dominus materiæ,à materia liber, incompositus,per se viuens,ubiq; totus, vim habens in finitam,subiectum veritatis æternæ, diuinamente formabilis, faciens omnia, superans omnia: Hoc infra omnia,patiens ab omnibus sensibilibus duntaxat actuabile formis,subiectum opinionis, vim habens undique finitam,nusquam nisi in toto locoq; totum,vitæ subiectum,viuentis organum,compositum,materiæ mancipatum,formæ subseruiens,procul á diuinis,per substantiam fluctuans,ab alio motum,passibile.diuiduum. Porro ad quodcumq; & qualecunq; bonum adspiret atq; contendat; si non fortuna sed cum ratione geri desiderat,meliori quam bruta animantium sorte ad circumstans cælum atq; mundos(sic enim astra appellamus) oculorum aciem interniq; sensus intentiones conuertat oportet.Heic obiecta est illi pictura,liber atq; speculum ubi respiciat,legat,& contempletur,summi boni vestigium, legem, & simulacrum, in dispositione, ratione, & imagine quadã unde species eliciat intelligibiles, ubi summã veluti sensibilius auribus exhauriat harmoniã, qua tamquã per scalam prospecierũ gradibus ad alius superni se se mundi contẽplationẽ adtollat.Sic velut ispacio uniuersũ in quo semet exerceat ratione pellustrat.

¶ Hic dum omnia curat,atq; facit,illud præcipuũ esse ducit ut mens in primo vero, & voluntas in primo bono conquiescat:quandoquidem in conquirenda bonitate adipiscẽdisq; bonis humanus numquam intellectus & affectus expletur;unde euidentissimé constat non ad particularia bona atq; vera, quæ ultra semper aliud & aliud attendant & concupiscant;sed vniuersale bonum atq; verum, extra & ultra quod nullum queat verum reperiri atq; bonum. Quoties enim aliquã superesse noscendam veritatem,& quandiu aliquod superesse bonũ comparandũm iudicamus,aliam semper inquirimus,aliud semper appetimus. Non igitur in veritate terminũ habente,& in bono finibus incluso inquisitionis & expetentiæ finis erit. Insitus appetitus est ut omnia fiant singulis & vnicuiq;, Appetit semper esse quidquid aliquando est,Vbiq; videre quidquid alicubi videt, Vniuersaliter habere quidquid singulariter habet,Toto frui qui parte fruitur,Omnibus dominari tamquam etiam possit, hoc etiam quod omnib. subijcitur appetit,Et cõsequutis non est contentum,ubi aliquid ulterius remãserit assequendum.Sic materia particularis siue corporea,siue incorporea ipsa sit,expletur numquam, & consequutis ab æterno particularibus formis in æternũ nihilominus consequendas cõcupiscens non est contenta;Sensus seipsum non finit, quia quocunq; procedat versum semper & ubiq; incentro se videt esse horizontis,siue per terræ superficiem,siue per uniuersi continẽtiam alios subeundo mundos locum prospectus commutarit. Imaginatio & intellectus ultra positũ numerũ & magnitudinem,atq; spacium tum ad mathematicum tum ad physicum obiectum non sistet umquam. Hæc quippe infiniti fœtura sunt,sicut etiam infinitum circũstat spacium,ita & possibilitas,capacitas, receptio, formabilitas,materia.Quod si non minus magnifica est natura uniuersalis,quam ut naturæ particularis cuiusque pro captu, & naturæ(etiam pro eius immensitate)uni-
uersa-

uersalis exæquare posſit appetitum : inconueniens omnino apertiſsime eſſe videmus, ſiquis exiſtimet intentionem & affectum ſingulis & omnibus ingenitum, inſitum, inſeparabilē, & conſubſtantialē quodammodo ſit irritum, fruſtraq; ad falſum & impoſsibile reſpiciens obiectum: quoniam ex alia parte natura atq; efficiens ille (quocumq; appelletur nomine) uniuerſalis, finito vero atq; bono contenti infinitam particularium rerum adſpirationem uſq; adeo iniurioſe compeſcant, atq; reprimendo defraudent; nec nō finiti boni, veri & entis principia contra infinitum malum, falſum, & inane conſiſtāt. Neq; nos ab iſtius lucis apprehēſione perturbet, quod & deſideriū præſentis vitæ (ſic ut omnia particularia in præſenti forma perpetuari deſiderant) defraudatur: inde enim iſtud euenit quod cum materia particularis uniuerſos ſimul actus comprehendere nequeat, ſucceſsiue cōprehendit atq; ſigillatim, ita quod præſens eſt tantum cognoſcit atq; deſiderat. per naturæ ergo dictamen vult eſſe ſemper, per eam verò (quæ eſt à contractione formę ad hanc materiam, & limitatione materiæ ab hac forma) ignorantiam vult ſemper eſſe hoc quod eſt; neſcit enim aliud vnde venit & quo vadat. Ideo ſi anima cui inſtrumenta corporis equini ſunt comparata, ſciret eam manere corporis humani & omnium reliquorum inſtrumenta ſeriatim vel confuſo ordine quodam, neq; defunctionem præſentium inſtrumentorum ad futuram deinceps (ſecundum innumerabiles ſpecies) uitam pertinere quippiam, non triſtaretur. ANIMA SAPIENS NON TIMET MORTEM, immo interdum illam ultro appetit, illi ultro occurrit. Manet ergo ſubſtantiam omnem pro duratione æternitas, pro loco immenſitas, pro actu omniformitas.

¶ Non leuem igitur ac futilem, atqui grauiſsimā perfectoq; homine digniſsimam contemplationis partem perſequimur ubi diuinitatis, naturæq; ſplendorem, fuſionē, & communicationē nō in Aegyptio, Syro, Græco

vel Romano indiuiduo,nō in cibo, potu, & ignobiliore quadam materia cum attonitorum ſeculo perquirimus, & inuentum confingimus & ſomniamus:ſed in auguſta omnipotētis regia, in immēſo ætheris ſpacio,in infinita naturæ geminæ omnia fientis & omnia facientis potē-tia;vnde tot aſtrorum, mundorum inquam magnorūq; animantium, & numinum vni altiſsimo concinentium atq; ſaltantium abſq; numero atq; fine, iuxta proprios ubiq; fines atq; ordines, contemplamur.Sic ex viſibiliū æterno,immēſo & innumerabili effectu,ſempiterna immenſa illa maieſtas atq; bonitas intellecta conſpicitur, proq; ſua dignitate innumerabilium deorum,mundorū dico adſiſtentia,concinentia,& gloriæ ipſius enarratione,immo ad oculos expreſſa concione glorificatur. cui immenſo menſum non quadrabit domicilium atq;templum.ad cuius maieſtatis plenitudinem agnoſcendam atq; percolendam, numerabiliū miniſtrorum nullus eſſet ordo. Eia igitur ad omniformis dei omniformem imaginem coniectemus oculos,viuum & magnum illius admiremur ſimulacrum: hinc ubi velut in animæ prora pharus ſenſus viſus antecedit, Ratio de puppi clauum tenet,inſpeculam lumen intelligētiæ tollitur,ut de toto horizonte præterita memoria repetat, præſentia meditetur, & futura præuideat. Hinc miraculū magnum à Triſmegiſto appellabitur homo, qui in deum tranſeat quaſi ipſe ſit deus,qui conatur omnia fieri ſicut deus eſt omnia;ad obiectum ſine fine(ubiq; tamen finiendo) contendit,ſicut infinitus eſt deus,immenſus, ubiq; totus.

C A-

CAPVT II.

Discrimen inter lucem & tenebras, Diurnum & nocturnum



T reus in tenebris assuetus quando profunda
Exerit è cauea ad solem attonita ora repente
Conqueritur iubaris non sueto robore læsus:
Sic quem vulgaris sophiæ vinxere tenacla,
Quemq; diu fatuis pauit sermonibus usus,
Heic ubi non poterit radios perferre nitentes
Fulgentis solis turbari fronte videbis.
At non propterea lucem culpare licebit,
Quæ quo splendidior, quantoq; angustior, & quam
Pulcrior est, tantò impense hanc nocturna propago
Sæua strigum semper toruo insectabere vultu.
Altum, difficilem, rarum perferre laborem
Mens me sacra iubet, cæca dum tendit abysso
Captiuos animos sacris numeris in amœnum
Abducere aspectum circum sublime micantum,
Queis cultu vario natura exornat Olympum
Non ullo adstrictum fine, immenseq; capacem,
Quo non sit numerus diuinam concelebrantum
Virtutem; tantum dominum quia curia tanta
Addecet & solium semper super omnia celsum,
Et maiestatem immensam sine margine templum.
Vt varias tamen usq; adeò species animantum
Terra dedit, paucis humana est forma tributa,
Perpaucią; homines veri sunt, quiq; Deorum
Alta inter multos habiti sunt indole digni;

Non aliter talpas hinc contemplabere dium
Sicubi in æthereum aspectum aduentasse licebit,
Horrentes iterum Telluris fodere dorsum
Matris tentabunt veterem adremeare cauernam.
Nocturnus Bubo, dirum mortalibus omen
Vt primum Cypriam viderit claro ex oriente
Surgentem, & valuas rapida vertigine matri
Ad properare rerum Phœbi monstrare parentis,
Non feret ille Iouem refugax peruadere apertum.
Armentum cui iniunctum colere antra Acherontis
Atq; interdictum est sublimem tollere vultum
Incuruo ad Orcum ventre & cuiusq; serenæ
Lampadis aspectus, cornu imperiosa recuruo
Hoc adiget nouiter; reuocabitq; illud Erynnis.
Porro fœlici cognata animantia soli
Antrorum ad umbras noctis fugientia ab umbris
Ad tenebrasq; sinus materni quando molestæ
Innoctis finem trahit orbita temporis illa,
sublatis sublime oculis, animoq; refecto
Respirant, grates vicibus referuntq; benignis,
Insueto cordis plausuq; Orientis adorant
Atria, de quorum stabulis crinitus Apollo
Auratis currum vectantem teladiei
Extulit, atq; operum cælo gratissimus alto
Admonitor spacium nostri percurrit Olympi,
Quando oculos tantos oculum collegit in vnum, ut
Argum Mercurius Phœbi virtute peremit.

AD isthæc queso vos qualiacumq; primo videantur aspectu (si iniqui iudicij titulum abhorretis) ad tendite: ut qui vobis insanire videtur, saltem

saltem quibus insaniant rationibus cognoscatis. gratæ sub echinorum asperitate cóstaneæ abscondũtur, subq; silenis preciosissimæ quandoq; merces occultantur.

O formose puer nimium necrede colori,

¶ Est sententia quam prima eminus fronte stultam & contradictione indignam iudicaui, quæ de propinquo possibilis, & de proximo vera comperta est, demumq; penitius considerata tum necessaria tum euidentissima comprobatur.

¶ Sapientia atq; iustitia tum primum terras deserere incæpit, ubi ex opinionibus sectæ quæstum facere cæperunt. Inde quippe ortum est ut tamquam ad propriam atq; liberorum vitam pro partis opinionibus ad aduersariorum usq; ultimam internecionem propugnarent. Eiusmodi auspicijs cũ relligio atq; philosophia interempta iacet, tum respublicæ, regna atq; imperia, cũ sapientibus, principibus atq; populis turbantur, perduntur, exterminantur.

¶ Heic non ea nobis philosophia proponitur, quæ ad miserorum omnium miserrimos qui pro pane lucrando philosophantur, attineat & adspectet: sed eorum tantum nobile respicit ingenium, qui vel partis vti possũnt, vel aliter quam opinnioe, fide, & assertione seruiẽdo ad vitam necessaria comparant & veritatis maiestatem per se colendam rebus vilioribus non submittunt.

¶ Primum ditari oportet, & philosophari postea. Diues est qui multa habet, ditior cui pauca sufficiunt, ditissimus qui hæc omnia contemnit. portat quas habet diuitias diuitiarum amator, & illis affligitur quas non habet: Considera qualiter prius diuitem esse oporteat quã philosophum. Et rogo ne te Platonis historia fallat & Aristotelis, quorum iste fertur Speusippi philosophi defuncti libellos non editos talentis atticis tribus, septuaginta duobus videlicet Romanorum nummorum millibus: ille autẽ tres Philolai Pythagorici libros (unde Ti-

meum

meum nobilissimum illum dialogum perfecisse dicitur) decem millium denariorum precio comparauit. Ditari ergo prius oportet & postea philosophari. Porró illud á duûm famosorũ sapientiũ gestibus accipiamus ut quãtaslibet diuitias haud quidem pro gloria & opinione, sed pro sapientiæ veræ adeptione profundamus.

CAPVT III.

Dispositio synodorum ex mundis in uniuerso. Distinctio inter astra lucentia per se & per aliud. Cur planetæ qui sunt circa alios soles non videntur.



T solẽ hunc circa Tellus, Luna, aliger Hermes,
Saturnus, Venus, & Mauors, & Iuppiter errant,
Et numerus fasso maior, nam cætera turba
Partim pro vicibus partim non cernitur umquam,
Sic circum fit quemq; alium: nam lege necesse est
Naturæ, flammas fomentum sumere ab undis.
Maximu quãdo hic vult circũ undiq; multa minora
Mutuum ut vires immittant, atq; remittant
Proficuas; ubi conueniens distantia pacem
Conciliat: Nam de aduersis vita atq; nutrimen
Deuenit, harmonicis quia seposita interuallis
Concurrunt, motusq; vagos contemperat æstus.
Sic circũ unumquemq; alium Phœbum cytharœdũ
Plures discurrunt Nymphæ Choreasq; frequentant
Qua vegeto sensu, ac clara ratione videmus

Quando

Quando unam ad normam venit abstās atq; propin
Nec variat numerus primorū principiorum (quum
Conformem in speciē ut nequeant coalascere vbiq;.
Sic meliorantes vesana proteruia fruges
Non perget temerare, volens ea promere sensu
Quæ non sunt sensus. Atq; unum dicerere solem,
In Lunæq; unum specie, Telluris & unum.
Altius atq; ullos ita non errare planetas
Vt non apparent. Et sol ita corpore maior
Sic unus tantum fiet, ut spectabilis unus
Sensu coram inope, ac bruta ratione repreßo,
Qui solem ex astris fixis non concipit vnum
Sideraq; totidem soles quæ fixa videntur,
Queq; ut scintillent species rutili efficit ignis.
Maior ut exigua distantia mole videri
Cogit ut & nullas circum discurrere Lunas.
Vt circa hanc nauim varias mare findere cymbas
Sentimus, cuiusq; datur loca posse notare,
Non sic in reliquis longé lateq; remotis
Idem si fiat pariter, pariterq; videmus:
Siccine distante in sylua malé sane notabis
Vt circa hanc laurum varias errare volucres?
Credere te tamen hoc iubet experientia multa;
Vel saltem à simili stupidum suspendere sensum.
Prediscas ne naturæ breuiata facultas
Hisce locis, visoq; hoc corpore materiei
Ac si causa fiet nostra hæc apprensio rerum.
Atq; ita subsistant quales hinc esse videntur,
Nosq; ita constemus quales inde esse videmur,
Scilicet é templis ubi Lunæ despiciamur.

Ergo principió admirer, dubitemue, nec almæ
Occludam valuas ad mentis lumina, ne sic
Sensibus inueniar frustra donatus ab æuo.
Ceu hunc solem circa video terere aera multos,
Sic infinitos circum consurgere mundos
Oceano illustres alij fuernit ubi soles
Concludū, aut dubitem nō gnorans, mole minores;
Qui veluti constant peregrina luce potentes
Vt speculum obuersas in parteis atq; propinquas
Non parte ex omni, non versum quaq; remittunt
Conceptam speciem sacratæ lampadis. Ergo
Illud principio nostri inconstantia sensus
Edoceat, ceu principium tibi cognitionis
Debeat obiectis conlatis pluribus esse,
Atq; facultatum varijs currentibus unà
Testibus; est etenim diuersis insita rebus
Lux veri, & veluti tenebrarum splendet ab orbe;

VNiuersum philosophiæ momentum quo á prauæ dispositionis ignorantiæ atq; sophismatis finibus elongatur, est uniuersi immensitatem á mundi distinguere unitate, finitudinem rerum, & materei potentiæ diuinæ actiuæ & naturæ pasiuæ repugnare.

¶ Vide nū stellæ sint eiusdē substantiæ & ex ijs conflentur elementis atq; Tellus, an vero alijs?

¶ Num sicut Tellus in medio aere vel æthere consistit, ita & luna & sol & omnia astra; an verò medium sit illius fixionis causa; illa vero omnia orbibus sint affixa solidissimis qui gyratorū quorundam pulsibus atq; tractibus torqueantur.

¶ Num motus istius diurni, atq; variationis eius polorum, quam augium, solstitiorum, æquinoctialiumque punctorũ mutatio consequitur, causa sit subiectiue in Tellure vel extra illam.

¶ Quam bene de natura grauis atq; leuis definierint Peripatetici & vulgus comprehendat, quam solidé naturali motu distinxerunt antiqui & eorum principijs atq; caussis.

¶ Quam famoso illi elementorum ordini natura respondeat.

¶ Quamq; bene uniuersum in suas distribuatur parteis atq; membra. Et plura quæ ex horum capitib. atq; fundamentis præpositis atq; iactis consequuntur.

¶ Ponimus hoc quod summa probabimus eudentia Duo in vniuerso pręcipua primorum corporum genera, Soles nempe atq; Tellures.

¶ De primo genere fixæ (quas appellãt) stellæ sunt, de quarum singularũ loco nõ maior, neq; aliter sol iste spectabilis esset quam illæ á loco istius solis & á nostris sunt spectabiles regionibus.

¶ De secundo genere est Luna, Mercurius, & reliqui Planetarum qui circa solem tum annuis discursitant motibus tum diurnis. Omnia in uno eodemque æthereo spacio, cælo, campo, firmamento non aliter quã Tellurem cõsistere videmus, & ponderib. librata proprijs consistunt.

¶ Neque est quod ad vniuersi speciem magis obtinere medium dicere posśis, quam quodcumq; aliud; cũ constet circa omnia pariter vndiquaq; immensum pro innumerabilium astrorum seu mundorum continentia spacium patere.

¶ Vnum primorum corporum genus absq; alio consistere minime posse illud indicat, quod diuersorum oppositorumq; concursu ad motum, ad generationem & rerum consistentiam natura prouideat.

¶ II quibus absq; ingenio atq; ratione largiti sunt oculi,

oculi ita negabunt circa alia astra fixa nēpe soles discurrere planetas sicut & non apparent:cum & omnis ratio dictet quod tum propter corporum paruitatem tum maximé propter vim luminis remissiorem quæ est in speculo quod lucis vmbram atq; imaginem nó ipsam lucem obiectat,á fixorum astrorum quocumque alio tellures quæ sunt circa hoc fixum astrum non apparere possunt. Porró in ijs quæ eiusdem sunt speciei,ea quæ ad specificæ naturæ consistentiam faciunt, omnino oportet esse eadem. Neq; ad fabulas,sed ad eam quæ sub silenis illis occultatur sapientiam conuersi esse iudicabimur,quod dæmon seu furor Homercius , inducit Iouem cum dijs ceteris nempe stellis ad Oceanum iuxta Aethiopas epulari. Aethiopes sunt opaca planetarũ corpora in quibus elementum aquæ dominatur, qui & hospitaliũ numinum conditione celebrantur. Qui vero deorum & epulantum retinuere nomen, sunt ignea astra quæ dicendis causis magis principe conditione dij nominitantur: sed ij quomodo per aquas nutriantur alia quã vulgus capit ratione, planius in sequentibus insinuabimus.

CAPVT IIII.

Sensu non minus probatur infinitum, quam sophistæ putent finitum esse manifestum. Vt corpus opacum magnum inter duo parua lucida ac si sit nihil intermedians dispereat. Vt mundi & mundorum synodi ut in punctũ distatia teneantur & abeant in nihilum.



On *tollit sensus, non astruit insinuandi*
Iudicium immensi, siquidem neq; conuenit olli:

Stulto-

Stulto etenim tantum verum reputabitur esse
Sensibus expressum, turba importuna sophistæ.
An non quidquid adest oculis comprensile semper
Admittit reliquum ulterius quo contineatur
Teq; ad consimilem formam perducit euntem?
Vt Sensu quoq; teste tuo sine fine procursus
Materiam tribuat.
Aspicis ut turri ex alta conspectus horizon
Connexum plano sic continuare videtur
Ac si non liceat cursu contendier ultra,
Et Natura parens sibi mœnia fixerit illic:
At modo cum liceat loca marginis adproperare
Continuè sic præsentem, absentemq; videbis
Et pariter procul ac propius sese insinuare.
Vndiq; enim simili pro sorte aberitq; aderitq;
Non secus esse putes quādo omnia margo recurua, et
Stellifera cauitate means perstringit Olympus
Apparens varia longe virtute micantum
Arctans subiecta hæc fatalibus omnia vinclis.
Et tibi si præsto est currus rationis adito
Quo pedibus non iredatur; distantibus & te
Iunge astris, quodq; ex illis cognoscito mundum.
Quem par componit substantia principiorum,
Vnde ibi Tellures Solesq; agnoscere poßis
Quos Cereres Bacchosq; vocat veneranda vetustas.
Nam tibi si liceat mundi huius sede relicta
Alterius fieri cuiuscumq; incola Solis,
Quam sol ille hinc est hic maior non erit illinc,
Non facientq; sui sensum currentia circum hæc
Sydera, ne ad minimum siquidem accedētia punctū

Senſus enim docuiſſe poteſt quam corporis atri
Millibus eſt ſpecies numeris abſumpta, priusquam
Lampadis accenſæ perdat diſtantia ſenſum
Addito ut & maius quantumuis corpus apacum
Si ſplendentem inter ſtellam lumenq; videntis
Prægrandi atq; globoſo dorſo interijciatur,
Dum modo ſeruetur tantum diſtantiæ utrinq;
Quanto utrinq; ſuo conſumpta eſt area tractu
Filo quantumuis directo interſituetur
Nil viſum intra apparebit lumenq; videntis.
Contrá ſi alterius propius ſit finibus horum
(Finitimo ut Lunæ Tellus turbatur ab orbe
Lunaq; Telluris) labor & defectus utrinq;
Conſtabit varius.
Ergo quid dices ubi ſpendens area ſolis
Maior tam multo eſt circumgyrantibus aſtris
Tot numeris abſumpta, velut de corde Leonis
Deq; oculo Tauri potis eſt comprendere quisq;
Luminis auguſti unde extenuata poteſtas
Iſtius eſt ſolis ne maior ſit Baſiliſco?
Quam citius ſolis reputem hæc tenuata ſpecilla
De mole hac ſubito in nullum labentia corpus?
Ergo non tantum tibi ſenſus Apollinis huius
Verum etiam Synodi totius, quanta Planetis
Circa iſtum Solem & ſpacij comprenditur orbe
Obteritur ſenſus, tenuatur, & ad nihilatur,
Inde ubi conſpectum geminæ concurrit in vnum
Lampadis aſpectus vix ullo ſtamine ſeptæ,
Cum tamen á ſole hoc ſolem illũ abſtare neceſſe eſt
Diſtans à noſtro quantum hoc ſole eſt Baſiliſcus

Hinc

Hinc aditum nactus plus contemplere profundé
Vt credas totum hoc oculis lustrabile nostris
Non tantum terram, solem, magnam Synodumq;
Si ad infinitum spacium conlata ferantur
Non ullam poßint rationem partis habere.
Namq; infiniti poteris sic dicere partem
Vt stultus poterit sine sensu verba referre.
Vt libet inumeros quamuis stet credere soles
Multiq; illos tum circa vnumquemq; Planetæ
Non ideo numero numerus vult maior haberi,
Innumeri soles, numero sine suntq; planetæ
Innumeræ ut monades æquant diades triadesq;
Innumeras. Vlnas neq; quisquam dicere plures (
Ausit in immenso quam passus, & parasangas
Ne numerum, & numeros; finem finesq; requiras,
Heic ubi nec numero locus est ullus neq; fini.
Nec potis est numero numerus conferrier ulli.

NOn aliter desipit dicens finem vniuersi cõstare sensu, quia nihil ultra stellarum fixarum orbem illum extimum est luminis quod ille indicet; sicut & finem unius syluę quispiam sensu costare ideo dixerit, qa ulterius arbores nullæ videantur. Nos vero & contra vniuersi infinitatem sensu constare dicimus, quia ulterius ad horizontis margines approperantem sensus semper horizontis cẽtrum facit esse comitem indiuiduum: ita ut eidem quemcũq; eius quæ apparebat peripherię punctum facit (ubi illo se contulerit) esse cẽtrum. Hinc & docet sensus, quod si in astrorũ alio quocumq; essemus, pariter nos in centro esse, & Tellurem non minus inde ad circũferentiales partes pertinere videretur.

¶ Ita nec sensu iudice decipietur asserens stellarum

fixarum quaſdam ad inuicem eſſe proximiores quam ſint Luna & Tellus, Sol & Tellus, Tellus & Saturnus. ut apparent Pleiades, cum tamen natura non patiatur ſolem ſoli plus eſſe propinquum, fixam nempe ſtellam fixæ, quam ſit Sol iſte cũ altero de proximioribus, quę ex magnitudinis ratiõe viciniorē cognoſcimus. Id verò ita (antequam aliter in poſterioribus probetur) ſenſu quoq; conſtabit eſſe poſsibile. ſicut ab arce Caleti angulus huius domus ab altero eiuſdē domus angulo plus diſtare videtur, quam eminus poſita Britanniæ extremitas ab altera extremitate. Quod ſi á Britãnia retroſpicias Caletum, vix unius palmæ magnitudinem illam ingentem regionem obtinenti exæquabit. Ex hoc incipere poteris & de ijs dubitare, quæ noſtris antagoniſtis ſenſu, ſuorũq; inſtrumentorum uſu maxime conſtare perhibentur.

¶ Alchazeles Arabs Mahumetanus Theologus, á quo & quidam Chriſtianorum didicere, irrefragibile in libro deſtructionum contra æternitarios adducit argumentũ ex eo qđ oporteret infinitos duodecies plures fuiſſe annos quam menſes, trigeſies circiter plures menſes quã dies, quatuor ſupra viginti vicibus plures dies quam horas. Vnde cadit ſimile argumentum contra immenſitatē vniuerſi, & mundorum innumerabilitatē. quia plures eſſent tellures q̃ ſoles, & deinceps alia mille. In cuius puerilis argumẽti & omnino (quia eſt ab extraneo incõuenient) alieni ſolutione in libro deſtructionis deſtructionũ neſcio quam fœliciter laboret Auerroes. Sed nos hanc ſtultitiam in ijs quæ de minimi exiſtentia & contemplatione dicta ſunt fuſius eluſimus.

CA-

CAPVT V.

Vt in uniuerso ubiq; sit medium, ideoq; nō minus ubiq; in ætheris medio consistere mū dos quam tellurem consistere videamus. Omnia astra circuire etiā fixa, inter quæ sol est vnus. Cometas nihilo á planetis differre nisi situ ad nostrū aspectum, quo eorū lux tamquam de obliquo speculo nobis obijciatur interdum.



ENTRVM *igitur spacij immēsi statuetur ubiq;,*
Vndiq; enim & quaq; est versum dimēsio tanta.
Ergo quo hæc deceat ferri non terminus urget
Corpora naturæ sed conuenientia vitæ
Spectata á sensu atq; animo qui est insitus ollis.
Inde opus esse nequit totum ut per inane feratur,
Et spacij incertos adeant palando recessus,
Sed peragunt orbes vitai circa elementa
Oceano undantes mundi, intra quos breuiore
Soles circuitu vel nullo forte vagantur.
Delius hic varians apparet dimetron usq;,
Non quia circa ipsum semta est eccentrica Terra
Insita, sed quia vult animæ vis cuncta moueri.
Corporaq; in proprium semper versarier orbem.
Hic etenim effectus vitæ est, vitæ hoc quoq; signum,
Vitæ hoc principium, vitam hoc quoq; cōcomitatur.
Sic igitur fixum scintillans dicimus astrum.

Ignea nam ſic apparent collata Planetis
Nam ſiquis corpus cernat contentius horum
Quam ſueuit vulgus facilé eſt potis ille negare
Secluſis ſeptem reliqua æqué abſtantia ab orbe hoc.
Confer enim é minimis ſpica cum Virginis unam
Qualibet aut magna quæ plus diſtabit ab illa
Temporibus varijs varie diſtare videbis.
Iſta fuere mihi phyſica ratione reperta
Pluribú ab hinc luſtris, ſenſu interiore probata
Sed tandem & docti accipio firmata Tichonis
Seruatis Dani, ingenio qui multa ſagaci
Inuenit, atq; aperit conformia ſenſibus hiſce.
Ergo perit cælum quod tantis fixa tenaclis
Sidera contineat, quodq; unum plurima raptet
Queis mage non liceat propria virtute moueri,
Quam ligni nodo ligno conſtante cieri.
Ergo loco conſtans quam poſsit findier æther
(Finditur ut dubio procul omni) concipe tandem
Atq; ſophiſtarum miſera hæc deliria pelle.
Viſi teſtantur noſtra hac ætate cometæ
Quos Stagirita putat tantum intra concaua Lunæ
Ora valere geni, neq; poſſe manere ſuperné
Nulla etenim pro ſorte putat variabile cælum
Fiſsile quod non ſit, non cædat, non penetretur.
At ſupra Lunam peregrina hæc corpora conſtant,
Et modo Telluris verſus properantia partes
Nunc illi magis atq; magis fieriq; remota.
Ergo penetratur ſpacium ne fiat inane,
Nec plenum prorſum, at vera ſubſtantia quædam
Quæ ſpacium primo repleat, quæ peruia cunctis

Cor-

Corporibus fiat, possunt ubi corpora mundi
Legibus æternis motus subigi atq; quietis.

NOn remanebit locus grauitati & leuitati qua minus Tellus & reliqui mundi in Aethereo spacio consistere posint, ac ad vnam magis regionē ferantur ruitent præcipitentur, quam ad aliam Sed causa motus & quietis non erit á loco & spacio cuius est tantum continere capere, sed ab alijs quas compositionis corū natura dictat rationibus. Quæ etiam non permittūt mūdorum corpora incerto cursu quocūq;, ideò sine lege ferri, quoniā quoquouersum æqualiter ijsdē subiectum cedere potest spacium. locus quippe non est omnis sed una duntaxat ex omnibus ad motum causa cōferens.

¶ Quod etiam fixæ moueantur stellæ facile conijci potest notata distantia inter duas quaslibet primæ magnitudinis vno tempore, quæ alia (licet non multo propter apertas promptasq; causas) alio tempore anni poterit conueniri. Et solis motum proprium necessario eum cognoscimus duodecim mensium spacio compleri qui est in circulo medio inter Planetarū circulos cuius diameter duorū tropicorum punctis terminatur. dum Tellus interim æquibiliter absq; illa Copernicana inclinatione motu diurno & annuo moueatur. Non propterea desinimus cum antiquis solem in medio manentem, & sicut alios Aplanem nominare stellam, Satis enim facit ut deinceps á sole tanto proprius stellas appellemus fixas, quāto eorum motus differentijs sensus minus atq; minime mouetur.

¶ Astronomi nostri temporis (quorum Ticho Danus nobilisimus atq; princeps) talia de cometis (quos nos occultas Tellures seu astra intelligimus esse, quia ad oppositionem specularem (qua fiat in eis angulus represen tationis á sole ad nostrum visum) raro deueniunt) talia de cometis certisimé referunt & testantur, ut non pos-

ſint in ea amplius cũ vulgo fide conſiſtere, qua accenſionum materia inter illam igneam & infimã aëris regionem accenſa prædicetur. Sed de ijs infra alio in loco fuſius diſſeremus. Nunc ſatis eſt quod pereat illud non fiſsile, non penetrabile cælum. uni aſtro tot ſphærarũ in uolucra cum epicyclis, & epicyclulis obligata: & incipiet nobis via illa oſtẽdi, & ianua illa adaperiri, qua colligamen illud octaui mobilis cũ aſſecutione ſenſus eorũ motuũ, qui ſunt huius quod incolimus aſtri, diſpereat. Vnde celeberrimus ille naturæ vultus ſenſim incipiat eniteſcere.

CAPVT VI.

Variæ Peripateticorum principum de locatione vniuerſi aſſertiones, & de eo quod finit vniuerſum, quod neq; locus ſit neq; ſpacium.



Vic ſpacio cupiens Stagiræus fingere finem
Promere non potuit valeant qui ſiſtere muros,
Et quærens ubi ſint axis conuexa ſupremi
Nulla cum facie, neq; corpore contineatur,
Nec ſpacio, nec inani, ullo neq; de genere horum
Quod capiat quicquã, vel quod comprendere poßit:
In ſe concludit (pueriliter) eſſe locatum.
Si caret extremo ſubtilis Aueroes inquit
Machina tota loco, centrum cui innititur eſto;
Vel geminus cardo magnum qui terminat axem,
Præcipua ergo loci ratio contemnitur illi
Per quam non uſquam mundum perhibebitur eſſe.

Quin

Quin & dum ratio ulterius perquirit & urget,
Nempe ut conuexum primum dicatq; locatum
Vt parteis inquit quæ in partibus inſituantur;
Inq; illa ergo iſta eſt, inq; iſta eſt illa viciſsim.
Pergo tamẽ, totum cupio quoq; ſcire quid extra eſt?
Reſpondet ſenſu viduata voce ſophiſta
Diuinum ens, Vnum, Conſtans, ſine fine beatum,
Mens ſibi ſufficiens, nihil indiga, cuncta gubernans.
Sic factus nobis ſophus iſte prophæta repente eſt
Implicita filum quia perdidit in Labyrinto.
Porro dic fieri qua nam ratione poteſtur
Vllo ut finitum dicas non corpore corpus,
Non plano planum ſpacioſum non ſpacioſo?
Quare infinitum generis comprendis alius,
Quod non eſt quantum, neq; quãti terminus iſto in
Ordine, quo phyſice ac proprius perquirere ſuemus.
Natura hoc ſiquidem diuina haud eſt minus intra
Totum, nec varia pro ſorte eſt, intus & extra.
Quæ ratione locus non ulla eſt, atq; locata.
Immenſa hunc igitur pro maieſtate colendus
Corporea nihilominus ad ſimulacra relatus
Innumeros inter diuos hæc ſidera mundos
Quos lymphas mẽs ſacra vocat flammasq; miniſtras
Spirituumq; choros, concentu quiq; perenni
Immenſi innumeras templi inluſtrant regiones:
Principe nam tanto tanta eſt quoq; curia digna,
Nec quemquam numeri finem decet eſſe deorum
Quos credo tantos diuina animalia mundos
Qui volucres cæli ſacro dicuntur ab ore,
Eſt quorum nullus numerus celſiq; tonantes

Esset ut ergo malum huic spacio non esse repletum,
Nempe adeò augustam molem non esse creatam,
Sic male non fiet pariter spectabile totum:
Vndiq; enim spacij est eadem natura, voluntas
Efficienti eadem, forma & subiectio prompta.

HEic quis illas Peripateticorum nugas numerabit? Ait Aristoteles in acroamaticis cælũ esse in loco per accidens. Sed istud per accidens quam varias accipiat explicationes videto. Cæli significatio Simplicio primũ distinguitur iuxta Aristotelem, ut Primó denotet vniuersum, Secundó partem ab elementorũ sphœris reliquam, Tertió cælorũ extremum reliqua omnia complectens. Prima significatione est in loco per accidens, id est, per suas partes, quæ sunt cæli & elementa. Secundó, id est, per suos orbes quorum alij ad alios finiuntur. Tertio modo neq; per se, neq; per accidẽs est in loco, sed per se est primus locus, ibi enim est superficies corporis omnia continentis. ¶ Gilbertus Porretanus vult illum esse in loco per accidens, id est, per superficiem proprij corporis conuexam, quem omnes ideo exsibilant Peripatetici quia superficiem illam oportet cum proprio subiecto corpore esse mobilissimam, locum veró Aristoteles ubiq; vult esse immobilẽ, non in subiecto, sed extra subiectum attingentem immediate. ¶ Auempace hispanus, cum Aristotele ultimum cælum octauam sphæram intelligens stellarum fixarum aduectricem, dicit illud esse in loco per accidens, id est, per superficiem proprij corporis conuexam qua septimam, id est, Saturni sphæram immediate continet, medium respicit vniuersi. Sed istum primó eadem ratione, qua Gilbertum exsibilabunt, quia non minus hæc superficies concaua mobilis est, quam illa conuexa.

Proindeq; hoc est, definire locum secundorum mobilium, non primi & vniuersi, nisi recurrat ad illius propositionis (quod vni est per se quidquid alteri per accidens est) conuersiuam, & non exsibilabitur, sed per contemptum relinquetur in pace. ¶ Auerroes ait omne corpus contentum esse in loco per se, id est, iuxta verã locati & directam definitionem, nempe quod superficie corporis continentis est complexum. Vniuersum veró, sicut & ultimum cælũ, est in loco per accidens, nẽpe non per id quod est extra, sed per id quod est intra: sicq; concurrit aperté cum Auempace & Themistio, volens cœlum iuxta tertiam significationem immediate esse in loco per superficiem extremam totius quod complectitur: Mediate verò per centrum vniuersi. Cœlum vero iuxta primam significationem in loco immobili & constantissimo esse intelligit in totius centro ad quod secundum partes omnes respicit, & in quo habet fixionem. ¶ Thomas vult vltimum cælũ non esse in loco per se, id est, per externam superficiem continentis, neque per accidens, id est, per internam contenti superficiem immediate, & per centrũ totius mediate. Similiter neq; ipsum vniuersum vult per accidens esse in loco, id est, per centrum: forte quia centrum non habet rationẽ quantitatis continuæ ideo neq; per se, neq; p accidens, neq; secundum genus, neq; secundum speciem potest esse locus; sed potius habet aliquid cum prędicamento ubi, & aliquid rursum reductiue tamen (proprius quam centrum ad quantitatem continuò) ad situm: sed est in loco per accidens, id est, per eas quibus continuatur, integratur, & quas continet parteis, quatenus diuisibilitatis ratione sunt in loco potentialiter, quarũ data per possibile, vel impossibile diuisione, essent in loco actualiter. Puto eum intelligere sic vniuersum esse in loco sicut ego (seclusis vniuersis) sum nihilominus in loco per accidens, quia meum caput est in collo, cerebrum

in capite, nucha in cerebro, id eſt, cum cerebro & undique, & ubique pars parti hæret, uſque ad infinitum, ne quando exteriores partes non ſecundum totam ſuperficiem eſſe in loco, ſed ſecundum eam qua tangũt alias. Iſti ſunt inter Peripateticos principes, ſub quorũ vexillis reliqui militant vniuerſi. De eo quod intelligunt extra conuexitudinem illam, fuſius in fine dicetur.

CAPVT VII.

Digreſsione quadã loci definitio ex parte, qua tum ſuperficies, tum immobile quiddam eſſe oporteat, diſcutitur.



Orporis inde huius ſpacium quod continet iſtud
Pluria nõ unum numero ſimul obtinet: & ſic
Corpus in hoc ſpacio ſimul haud in pluribus eſſet.
Ad ſpacium corpus, ſpaciumq; ad corpora non eſt
Diuerſa ratione alibiq; alibiq; putandum.
Nam vacuum nihil obſiſtens admittere poſſet
At minime excludit patrantem vimq; capacem
Nec minus eſt nullis arctatum finibus ipſum
Ponere conueniens quam ſit ſine fine bonumq;.
Materies ergo eſt mundi infinita decenter
Exogitata mihi quam nuſquam concaua Lunæ,
Non uſquam emenſi facies ſtellantis Olympi
Terminet, at ſpacium replet quod concipit ultro
Innumeras ſtellas nempe hæc vaga corpora mũdos,

Quæ

Quæ nihilo fæcunda minus tibi fingere poßis
Quam Tellus, iisdem quia sunt compacta elementis
Talibus immensum spacium splendescit ab astris.
Sic physicé ad amplum lux est sine fine refusa
Spiritus illustris quia complet, continet, implet
Quæ sunt igne suo circumspectata vel unda.
Si velut esse potest infinitum simulachrum
Immenseq; capax templum, imperium sine fine
Vsq; adeo admirans magnũ dominum atq; parentẽ
Est insensatæ mentis quæ corpora vastam
Sic speciem nobis perhibent vasta esse putare
Vel quoq; quod factum est diuino robore dignum.
Nam ad speciem veri si sint conlata nec unum
Exæquant punctum qui effectus nomine gaudet.
Ergo quantumuis momentum corporis exit
Maiestatis habet diæ vestigia nulla,
Attamen est veluti dictum est exstare necessum.
Ponere quandoquidem non ullo fine repressum
Conuenit hac causa quia certis interuallis
Dißepti inter se sunt hæc (animalia) mundi
Quæ coram deitate nihil sunt si numerari
Finita possunt tandem ratione, nec uni
Illi conueniat numerum hunc attingere tantum
Qui innumero numero innumerorũ nomina dicit.
Credere precipiunt & sic oracla prophetæ
Tam multos quæ aiunt coram deitate ministros
Quam nullus alius multos comprendat ab ipsa.
Siccine demittis clypeum & amplecteris aram?
Nempe alias nos adducis temere adrationes
Queisq; per immensum spacium totum insinuat se

Spiri-

Spiritus hic simplex infusus totus ubiq;?
Quare inquam sic te confuso nomine finis
Sumere naturam diuinam stulte videmus,
Quam rationealia scio finem principiumq;
Et medium & centrum & totum constanter ubiq;?
Euertis miserande etiam adquā confugis aram
Namq; extram mundum discrimine posta locati
Natura est diuina, si ibi spacij vacuiq;
Abiecti vicibus supplens, conterminat inde
Corporis & spacij & faciei munere functus,
Nempe manet spacium sublato nomine vero
Esse deum heic intus quiduis, extraq; iubebis,
Natura occulta qui sensum excuset ineptum,
Omnia nempe potens. Nihilominus urgeo si vis
Respondere manens sacratam tutus ad aram
Dic Epicureo si cui percurrere ad oras
Extremas liceat volucrem iaciatq; sagittam
Margine ab extrema nonne ad externa feretur?
Scilicet intorctum validis pro viribus ibit,
Metaq; delato ulterius sic transilietur
Vnde aliud spacium tibi constituatur oportet,
Quod quoq; si claudas parili argumento aperimus.
Si non pertransit iaculum quod mittitur ultra,
Est quod ibi statuas prohibere, obstareq; pollens
Dimēsum pariter quicquā quod & vndiq; claudat
Dimensum hoc aliud non ut actu est animorum
Contentum corpus, formæ actu materiesq;.
Sed scio quid dices sacratam tutus ad aram
Corporis & spacij & vacui sit terminus omnis
Soluensq; hos nodos unus qui est omnia solus.

OMnes talem accipiunt locum per accidés quali ne per accidens quidem loci definitio compe-tere posſit. Si enim eſt ſuperficies corporis ſiue contenti ſiue continentis, ſiue concaua ſiue conuexa miniſtri eſt, quod non poteſt eſſe immobilis, quã immobilitatem ultima definitionis loci differentia requirit, non ſolùm iuxta Ariſtotelẽ, ſed omnes quomodocumq; motum definientes: & merito, quia in loco & ſecundum locum nõ loci debet eſſe motus, oporteret enim alioqui locum eſſe locatum ſicut vas vini, quod cum & ipſum ſit corpus, mouetur ſecundum locum. Si dicant ſuperficiẽ moueri per accidens, quia motus per ſe corpori conuenit, tunc non eſſet quod Ariſtoteles diſtinguat locum naturalem à vaſe: proinde illa differentia eſſet ſuperflua in definito, quia ſuperficierum non eſt alia mobilis, alia immobilis. ¶ Superficies itemque eſt corporis cõtinentis non eſt immediata corpori contento, quia ſic inter ſuperficiem ac ſuperficiem mediat ſpacium, ſicut inter punctum & punctum linea, & ſi ita, rurſum urgebimus inter ſuperficiem qua ſpacium tangit (utcunq; tangat) hinc ſuperficiem contenti inde continentis quid mediet, non eſt via verbis quibus effutiant Peripatetici, ni velint extra proprias egrediendo metas concedere inane, & repetere antiquorum ſententiam, qua ſpacium ſit locus, vel loci genus.

¶ Non plus alij ſapiunt, qui ad centrum locum recurrunt, quod non eſt in genere ſuperficiei, neq; per ſe, neque per accidens, ſi peripatetice ſentiamus, ideo non erit locus iuxta allatam loci definitionẽ ullo pacto, quod aliam ad hoc ſeruitium velis loci aſsignare definitionẽ. ſit (rogo) quæ illi cõueniat, non per accidens, ſed per ſe.

¶ Horum vniuerſorum nullus Aquinate melius loci immobilitatem excuſauit, qui hinc quidem pro materiali quodam in loco corporis continentis accepit ſuperficiem, inde vero formale, diſtantiam ſcilicet, ordinem

ordinem & habitudinem, quam superficies illa obtinet ad centrum, polos, & uniuersi extimam superficiem. Ex huius ergo ratione quod formaliter est in loco immobile quiddam iudicãdum est, idq; ab Aristotelis sensu nõ abhorrere probat, ex eo id ipsum innuente, quod concauum lunæ sursum, & centrum terræ deorsum immobilia sunt. Ex qua sané propositione non male quidem præsbiter peripateticus solis elementis locum qui ab Aristotele definitur cõuenire ait, & iuxta definitionẽ illam cœlum pro secunda, atque tertia significatione nõ esse in loco habet. Sed urgetur qũo cœlum moueatur secundum locum. & quomodo de loco extimæ superficiei dubitet Aristoteles. Sed ad Aquinatem redeo cui iam proprius locus non erit superficies corporis continentis neque contenti, sed quod circa utraq;, vel circa quod illa utraq;, est: vnde etiam proprij loci ratio prorsus extra illam definitionem est petenda.

CAPVT IIX.

Phantasiá motus diurni ab externo illo principio versus hoc mũdi medium incuruo, impedimentũ esse quominus vniuersi conditio apprehendatur, sed eam purgant. Primo, indistinctio spacij á spacio. Secundo, inconuenientia potẽtiæ æternæ sine actu: cũ actus huiusmodi & potẽtia nõ differãt. Tertio, Deus non tantum agentis finiti, quantum infiniteóciantis, & potentiam naturalem impedientis titulum susciperet.

Adde


Dde ut inepta loci est finitio qua mihi totum
Concludam nusquam, neq; dici posse locatum
Id cui præcipué hoc nomen quadrare putandum
Et ratio ut reliquis ideo fiet esse locatum.
Nam sunt pars eius spacium quod replet inane.
Non locus est facies eius quod continet ergo
Corporis, aut clusi quod contineatur ab illo.
Nam cum contento aut hoc quod continet iret.
Sic veluti locus est motus, foret atq; locatum,
Sic foret atq; locus motus, velut estq; locatum.
Ergo si extremum locus est immobile quiddam,
Est interiectum ambabus spacium faciebus,
Cuius adhuc finem si quis perquireret ultra
(Nam spacij proprius debet quoq; terminus esse)
Extrema numquam potis est consistere fine,
Si geminas inter facies spacium esse necesse est.

ET ex Peripateticis plurimi Aristotelis sententiæ contra vacuum acquiescere non potuere quam præ cæteris audactius Philoponus est insectatus, cuius omnia argumenta ad eam quæ naturalium corporũ est in eodẽ spatio quod ab omnib. aliud ꝙ dim dimẽsum esse oporteat cãm spectãt: ubi quippe nullius corporis sunt dimensiones spacij dimensiones esse decebit in quibus illę recipi possint. Quinimo illæ dimensiones nusquam absq; dimensionibus istis esse possunt. ¶ Est ergo spacium Quantitas quædam Continua Physica, Triplici dimensione constans, In qua corporum magnitudo capiatur Natura ante omnia corpora, Et citra om

nia corpora consistens, Indifferenter omnia recipiens, Citra Actionis Passionisq; conditiones, Immiscibile, Impenetrabile, nõ formabile, Illocabile Extra & omnia corpora comprehendens, Et incomprehensibiliter intus omnia continens. Quo loci munus actuale habente, locato nihil potest esse æqualius. A quo ne cogitatione quidem dimensiones locatorum corporum erũt separabiles. ¶ Quod Primó sit quantitas patet per differentiam ęqualitatis, quam cum contentis atq; comprehensis corporibus habet. ¶ Secundó quod Continua quantitas, de illo non est dubitandum, cui nulla physicarum magnitudinum æque potest esse continua, cuius quippe actualis diuisio est impossibilis. ¶ Quod Tertió Inter physica omnia natura primum & primó necessarium: Ipsum etenim locandis corporibus præesse oportet, & cum locatis esse, & mutuo iisdem succedentibus immobilem consistere & omnibus demum recedẽtibus remanere. ¶ Quod Quartó physicum patet quia á naturalium rerum existentia non ulla absolui ratione potest. Quinimo rerum efficiendarum seu quacũq; forte producendarum potentiam tum actiuam concomitatur omnino, tum inseparabiliter passiuam, nisi vel totam possibilitatis rationem ad ipsum referre profundius sapiendo malimus Heic tibi pauperrima illa naturę & naturalium distributio in materiam formam atq; compositum non satis faciat; inde enim spacium præter naturale & antenaturale iudicare oporteret: nõ est enim materia neq; forma. ¶ Quod Quintó indifferenter omnia recipit inde patet ex hoc: quod difficultas in recipiendo omnis á recedentis & succedentis potentia & impotẽtia corporis ꝑficiscitur. ¶ Quod sextó nil agat nilq; patiatur manifestũ ex eo ꝙ nullius est particeps vel susceptiuum formæ vel qualitatis. per accidens enim valde ubi rationem loci locatum adæquantis recipit, cũ adæquati ita figura sicut & magnitudine concurrere in-

tel-

telligitur. ¶ Quod Septimo immiſcibile clarũ eſt quia corporũ inuicem cedentiũ ſecundum partes mixtio eſt. ſpacij vero non eſt cedere ſed ſibi inuicem cedentia ſuſcipere. ¶ Eadem octauo ratione impenetrabile.Id enim penetratur.cuius partes á partibus diſtantiores fiũt vel diſcontinuæ ſunt aut diſcontinuabiles , tales per harum conditionem ſecundam ſpacij nequeunt eſſe parteis. ¶ Nono non formabile : hoc enim materiam oportet eſſe ſeu ſubiectum & omnino alterabile. ¶ Eſt Decimo illócabile quum ſpacij non debeat eſſe ſpacium neq; loci locus. ¶ Vndecimo Extra omnia cõprehendens quia quando finẽ omnia habuerint atq; figuram,ultra ea minime non poterimus intelligere ſpacium comprehendens. ¶ Duodecimo Incomprehenſum quia non ita eſt intus ut comprehendatur ſed ita ut exæquet propriis dimẽſionibus alienas ,ſicut diaphanitatem dicimus in cryſtallo,exęquatiué. ¶ Tertiodecimo æquale locato,quia locatum ipſum æqualius (ut Rhethorum more loquar)nõ poteſt eſſe ſibi. ¶ Quartodecimo ne cogitatione extra corpora,ſiquidem corpora ne cogitare quidem niſi alicubi poſſumus : licet optimé cogitare ſe dicere poſsint plurimi,quemadmodũ & alia multa dicere poſſunt quæ non intelligunt:non ſic poſſumus corpus abſtrahere á ſpacio cogitatione,ſicut á corpore ſpacium. ¶ Quintodecimo neq; ſubſtantia neq; accidens,quia nõ eſt exquo res ſunt,neq; quod eſt in reb. ſed potius in quo res localiter ſunt natura (quidquid ſit de duratione) ante locata,cum locatis,poſt locata. Secunda quadam attentione ad prædicamẽtum ſpectans quantitatis, & continuæ quantitatis generi ſubalternatur:hoc quippe quó velãte vel extra corpora neceſſario conſiſtit,accidentis non capit rationẽ. itaq; per accidens ad vulgo nominatorum generum aliquod reduceretur.Nobis vero interim quiddã extra genus intelligendum eſt:ſicut unitas & terminus neq; ad ſubſtã-

tiam pertinent neq; adccidens nisi secundo quodam cum relatione ad quantitatem discretam vel continuā respectu: sed iis spacium multò magis ad necessitatem existentiæ rerum naturalium concurrit pro quo locum atq; materiam unum idemq; Plato esse voluit: sed eius rei rationem pluribus inculcare tedet. ¶ Ex iis facilè patebit quid respondendum sit litigatoribus, qui ex petitione principiorum volunt omni dimensionis deberi locum; & locis vim attractiuam expulsiuā, alteratiuam, immo & generatiuam tribuunt; usq; ad illam Præsbiteri neoterici facultatem qui eo procesit usq; ut cogitatione, spaciū ab interuallo, id est, interuallū ab interuallo seiūgens, strenué admodū plurima persequatur deinceps.

CAPVT IX.

Pleraq; ex præpositis resumuntur & confirmantur.



Ec causa est qua extra mūdum quoq; nō capiamus
Quæ mundo absente hoc mundus caperemus, ubi iste
Dimensum spacium, quod ni sit, mundus abesset.
Non fugere urgemur spacium plenum vel inane
Phantasiæ istius deuincti carcere gyri,
Quo extrema à medio pariter distare videntur
Lampadibus sensum fixis faciente diurni
Illius motus quo circum cuncta rotantur,
Præter tellurem media instatione manentem.
Quidquid id est mundo spacium concedere oportet
Quod moli par sit, sublata mole manensq;

Credi-

Credideris, aliudq; putes, comprendere poſſe
Aequale huic mundo poſitus ſi ceſſerit iste.
Quale igitur ſpacium ſublato hoc corpore mundi
Non potis es fugere à mundo inquimus eſſe ſeorſum.
Id ſi ita, quod ſpacium á ſpacio diſcrimen habebit
Præterquam quia ſors Fati ſic ſanxit iniqua
Vt nihilum ſpacium reliquum ſine fine receptet?
At quare æternum ſtat contentiua facultas
Atq; alia á proprio quæ non cognoſcitur actu,
Si æternis actus non differt atq; poteſtas?
Forte voluntatem vis iſta vetare Deorum?
Vtpote naturæ valeat qua obſiſtere rerum,
Cum veré natura manus ſit cunctipotentis
Vis, Actus, Ratio, Verbum, Vox, Ordo, Voluntas?
Naturæ curſum quicumq; ergo impedit ille eſt
Excors, inſanus, calomaſtix, impius, exlex,
Numinis intemerata etenim natura miniſtra eſt
Legum ſuppeditans iuſtarum vera elementa,
Cui Deus obſiſtens ſi quis fingatur adeſſe
Multum equidem deſit Genius quo poßit haberi
Spectandus nobis, titulo laudisq; vehendus.

HEic habes argumenta Primum ex indifferentia ſpacij incluſi & excluſi quorum varia nequeat eſſe potentia. & per conſequens neque actus. II. Ex eo quod ſenſus vndiq; ſuperatur nuſquam ſuperat. III. Eadem materia, eadem potentia, idem ſpacium, idem efficiens æqué ubiq; potens Deus & natura. IV. Proin circumſcripto ab hoc ſpacio mundo iſto, ſpacium hũc exequans mundum ab eo quod extra mundum ponere cogimur eſt indifferens. V. Bonum

tamquam nihilum malo, ens non enti, verum falſo opponeretur. VI. Infinita cauſa iniurioſe finiti dicetur effectus cauſa, quinimo ad finitum effectum neq; nomen neq; rationem poteſt habere efficientis. VI. Indignum maieſtate & bonitate eius ſi finitis adſtātibus poſſit contentus eſſe miniſtris. cui argumento ex ſacris deſumpta authoritas non, refragatur, licet infinitum pro indefinito á nobis numero ſciant excuſare, neque enim ita & diuina bōnitas atq; potentia indefinité tantam eſſe affirmare audebunt.

CAPVT X.

Noua energia quadruplex adducit argumētū & vna apud nos pariter atq; vulgus nō numero efficax authoritas, ad propoſitum.



Iue igitur ſpaciū hoc mundum quod cōtinet iſtum
Mentis decreto ſeu caſu perficiatur (ſtet
Quærimus an cluſi ſpacij iſta potētia cō-
Cum reliqui excluſi, nihilum quod continet extra,
Non eadem, an perſe nullo diſcrimine capta eſt?
Numquid ubi eſt nihilum diſcrimina fingere poſſis?
Anne ubi diſcrimen nullum eſt, varia eſtq; poteſtas?
Quodſi non quicquam eſt ulla quod ſorte repugnet
Quominus atq; ipſum inueniatur corpore plenum.
Quin potius ſpacium eſt res quædam nata repleri.
Dedecet ergo ſiet nequicquam tanta facultas
Quam faciat fruſtra Deus & Natura manere.
Ergo age ſuſpicias ingenti corpora gyro,
Quæ mira circa hunc ſolem ſerie acta cientur

Quoſq;

Quosq; alios ultra queis quæq; familia soles
Inde per immensum quod visum terminat atq;
Præstringit, quia se promunt ut promere possunt
Consimiles species, neq; finem pollicitantur.
Dum varius varia stellis distantia molem
Ad minimam usq; procul visus superatur horizon.
Hinc infinitum sensus ratioq; reclamant
Nempe eadem forma est per totum materiesq;,
Donatum parili spacium patet undiq; honore,
Permanet atq; eadem rerum illa potentia semper
Vim conceptiuam nil finit materiei (plet
Pro fine fine aditu est quod semper & implet, & ex
Ac Deus efficiens & vbiq; & vndiq; præsto est.
Talibus á causis, elementis, principijsq;
Quæ non deficiunt, ne & poßint adnihilari
Dicendum nihilum spacij non esse repletum
Nusquam ut abesse potest pollens producere mūdū,
Semper ut est spaciū, vis promptaq; materiei (stat
Esse bonum est, Non esse malū est, Bonus & pater ad-
Fœcunda est mater genitalia semina rerum
Vndiq; concipiens & versum quaq; remittens
Non umquam exhausto prægnans de fonte mariti.
Hinc velut in spacio hoc concepta est machina mūdi
Quæ est potis esse alio in spacio concepta seorsum,
Nec non quidquid habet sinus iste immēsa potestas
Vndiq; deprompsisse potest specie, aut genere vnum:
Nam tantum spacium quod mundum continet istū
Mundo isto ablato nullo discrimine ab illo
Distaret spacio quod circumquaq; seorsum est.
Ergo ita & id possum recta ratione repletum

Credere ut hoc video quam ditet copia rerum
Cum nihil obsistat, cum sint quoq; principiorum
Innumeræ partes & ubiq;, atq; vndiq; præstó &
Vni una est ratio, similis simili, æqua coæquo.
Cum ratione igitur paribus paria tribuuntur
Materiæ, spacio, præsentiq; efficienti.
Oppositum veró ac diuersum non sapienter.
Adde etiam infinitum si superaret inane
Vt nihilum immensa mundum retineret in aluo,
Namq; infinito collatum finibu pressum
Est nihilum adipsum quia nulla proportio restat,
Istud idem dicet si conferat efficienti
Cui sine fine vigor finitum deniq; factum
Quisquam infinité potius reprendet auarum
Quam meritó bene pro factis extollet eundem
Nempe bonum dicunt quod se diffundit, habetq;
Effectum bonitatis ut hinc doctoribú sacris
Inuenta est ratio geniti quod tantum adæquet
Virtutem, deus atq; fiet genitans genitusq;
At nos dum physicé sanctum perpendimus actum
Quo se diffundet, bonus & dicatur ad extra
Et sine fine malus bonus & finite erit ille
Cum tanto á rebus proprium magis abstrahat actũ.
Quod si certa foret tantarum copia rerum
Trutinam ad numeri possent ratione creata
Nominibus dotata suis quoq; adacta videri.

QVemadmodum quoq; bonum est mũdum esse hic & malum foret non esse; haud aliter in simili spacio á similibus causis bonum est esse, & malum perpetuó non esse mundum. Si ergo mundus

dus iste solus est & non alius, quomodocumq; nomē tibi mundi accipiatur; bonum (ut supra quoq; dictum est, esset finitum singulare, & indiuiduum, malum autem infinitum diffusissimum & uniuersalissimum. II. Nullū neq; ex parte efficientis neq; ex parte rei factæ, neq; ex parte spacij neq; aliam fingere posśis caussam tanti boni esse impedimentum. III. Nullum ociosum & auarum potest ad bonorum effectum se communicare & diffundere, & sine causa non se diffundēs potest esse bonum. Primo sicut nō potens est priuatiue malum, ita potens & nolens idipsum positiué & affirmatiué esset, idemq; pro finito effectu finite bonus esset efficiens, pro infinitę autem actionis represśione esset infinité malus. IV. Quinimo effectus iste quem tibi obiectas tamquā rem magnam mūdum ad infinitum: immo ad innumerabilis finiti differentias nihil est sicut quodcumq; magnum corpus á momento maioris continentis tum demum tamquam centrum in nihilum euanescit.

CAPVT XI.

Etiam si mundus iste sit perfectus, non tollit esse innumerabilib. qui sint eadē ratione perfecti, vel magis, ubi spacium pater efficiēs bonus & potens, materia obsequens, effectus laudabilissimus.



Ec bene cūctarum huic mundo perfectio rerum
Largita est horum sensu, firmataque voce.
Infinita etenim quæ possunt undiq; tantis

In ſpacijs & tam multis ſuccedere ſemper,
Omnia qui poterunt, iſto contenta putari?
Si vir enim ſummus, donatus & indole tanta,
Quanta homines cuncti ditantur ſic ſtatuatur,
Quid vetat eſſe alios homines, illiq; ſubeſſe
Ordine in hoc generis, & partibus materiei
Quæ ſe ita propterea amplificat; vel qua ratione
Harmoniæ tantæ ac numeri ſeruarier ordo
Ille valere queat, niſi pluria diſtribuantur?
Optima namq; monas numerũ quæ complicat omnẽ
Corporea pro ſorte unum duntaxat id ipſum eſt
Arcens innumeros ullo ſine limite mundos.
Non ſatis eſt vnum, quia mens fœcunda per amplũ
Totum ſe fundens extra omnia, cum ſit in omni
Et ſimili bonitate potens fœcundat inane; ut
Per totum generoſa ſui ſiet obuia imago.
Sic ſynodum extra omnem ſtellarum pergere mente
Te via ſacra iubet nihilominus & velut illic
Eſt deus immẽſus, veſtigia ſic bonitatis
Sic ſpacium templi & magni ſpeciem ſimulacri
Haud iure aſſeritur ſibi non occurrere ubiq;,
Vndiq; qua & verſum vertatur cunq; potensq;
Et bonus haud rebus parcé inſinuatur agendis.
Innumeros iuxtaq; gradus diuina poteſtas
Innumeris in ſubiectis recolenda ſubibit,
Qualia ſunt Tellus, Sol, Luna & liquidus Aer.
Deficiens faciens ita non credetur ab ullo
Si quanta eſt ſpacij, ſi quanta potentia inanis
Ad complectendum, exæquandum, concipiendum
Materiæ & quantum petit ampla potentia in ipſo
Con-

Consistens substrata modis adeó numerosis
Fœcundus, tantũ valet actus sufficiensq;.
Deficiens nunquam efficiens, quia terminus ipsum
Aut opus illius miræ signum bonitatis,
Temporis atq; loci nusquam mensura coercet.
Adde ut & immensum quoties intellego templum
Nullius aduersi argumenti vincla subibo
Cogetur potius confusus abire minister
Stultitiæ, tanto lucis splendore repulsus,
Cui temeré immensum spacium corpusq; negatur;
Adstruiturq; simul gemina illa potentia frustrá,
Et nullis bonitas subiectis insinuanda,
Ac tam parca sui, ac tam sordida, tamq; remissa.
Immensum natura sinum quando explicat ut quid
Vsq; adeó frustrata dolet, sublataq; tanta
In hausto á fonte est fundendæ gloria lucis?
Quale putem ingenium sobole fraudantis auita
Mũdorũ innumeri numeri quos margine nulla im-
Mane capit spacium, quó contemplarier apté
Alta queat deitas, virtutisq; actio & actus,
Cum nihil impediat, contra nihilumq; reclamet?
Quid speculũ sine fine negem, & dignũ simulacrum
Promere naturæ ne corporeo clueatq;
Infinita modo substantia, visq; perennis?
Cur non explicité immensum quoq; creditur esse
Vt deus implicité in toto est, & totus ubiq;
Nempe per effectum sibi non occurrat abunde?
Et quid ego reputem plus ire ex ore prophano, &
Sacrilego auditu indignũ quam quod potis ille est
Effectum sine fine bonum producere: porrò

Illi non placeat? cur non intelligit excors
Poßibile, & facere, & fieri, & factum placitumq;
Atq; necessum & opus venientia prorsus in unum;
Nec potis est facere id quod nō placet, haudq; proba-
Vt qualis non est, talis nequit esse profecto. (tur.
Sic neq; velle potest quod non vult: namq; moueri
Illi congrueret, seq; ipsum posse negare.

INfinitę caussę & principio nihil potest esse magnum immo ne quidem aliquid, nisi infinitum. si ergo se rebus corporis communicat seu (potius) suam magnitudinem in rerum corporearum & multitudinis existētiam explicat, obiectum pro captu eius essentiæ simulacrum atq; potentiæ vestigium infinitum magnitudine & absq; numero subiiciat oportet. Sic ab uno consimile unum est neq; aliter diuinitatis imago corporeo potest esse modo. Vt quippe repugnat finito actio infinita vel subiectio, ita & infinito efficienti finiti formatio, infinitoq; spacio seu materiæ finita formabilitas, siue volūtarium dicas principium siue naturale: quoniam in infinito quāta est natura tanta est potētia, actio, & effectus, quod negare ita est facile ut & impoßibile est probare. ¶ Licet autem sigillatim ad indiuidua respiciēti, sub ea qua singula sunt ratione proxima atq; immediata ad finitum principium atq; caussam referri debeant, quandoquidem finitam potentiam finitus respicit effectus, in uniuersitatis tamen computatione infinitum efficientē primū singula & omnia in immenso innumerabilia cognoscunt. ¶ Heic siquisqnam non sophistice, uel pro authoritate tuenda, uel pro gloriæ de proposito quocumq; defendendo cōseruatione, vel pro seruili & mercenaria quadam fide ignobilißime contestanda, sed serió pro veritatis atq; propria dignitate contemplari: illud primó sibi ante rationis oculos proponat oportet ut

confi-

consideret uter eorum qui duas contradictionis partes tuentur exigere probationem debeat ab altero:& cuius maxime interſit oſtendere & probare. Quilibet dicet eũ decere probationes cuius eſt dubia ſẽtẽtiã. Eiusq; ſubinde dubia eſt ſententia, quiá ptincipiis per ſe manifeſtis & ab utraq; altercantium parte conceſsis aliud, vel cõtrarium eius quod ab illis conſequatur, conſequi ue poſsit affirmarit. ¶ Principia cõmunia ſunt. I. Diuina eſſentia eſt infinita. II. Modum eſſendi modus poſſendi ſequitur. III. Modum poſſendi conſequitur operãdi modus. IV. Deus eſt ſimplicisſima eſſentia in qua nulla compoſitio poteſt eſſe vel diuerſitas intrinſecé. V. Conſequeter in eodẽ idem eſt eſſe, poſſe, agere, velle, eſſentia, potentia, actio, voluntas, & quidquid de eo vere dici poteſt, quia ipſe ipſa eſt veritas. VI cõſequẽter Dei voluntas eſt ſuper omnia, ideoq; fruſtari nõ poteſt neq; per ſe ipſam neq; per aliud. VII. Conſequẽter voluntas diuina eſt non modo neceſſaria ſed etiam eſt ipſa neceſsitas, cuius oppoſitum non eſt impoſsibile modo ſed etiá ipſa impoſsibilitas. VIII. In ſimplici eſſentia non poteſt eſſe contrarietas ullo mõdo, neq; inæqualitas: voluntas in quã nõ eſt cõtraria & inęqualis potentiæ. IX. Neceſsitas & libertas ſunt unum, unde nõ eſt formidandum quod cum agat neceſsitate naturæ nõ liberé agat: ſed potius immo omninó non libere ageret aliter agendo quam neceſsitas & natura, imo natura neceſsitas requirit. X. Potentia infinita non eſt niſi ſit poſsibile infinitum; non eſt inquam potẽs facere infinitum niſi ſit potẽs fieri; quæ enim impoſsibilis vel ad impoſsibile poteſt eſſe potẽtia? XI. Sicut eſt mũdus in hoc ſpacio, ita & poteſt eſſe in ſimili ſpacio iſti ſpacio, ꝙ hoc mundo ablato poſſumus æquale huic mũdo remanens intelligere. XII. Huic ſpacio in quo eſt mundus ſimile ſpacium extra mundum non eſt ratio quę tollat neq; faciat eſſe finitum. XIII. Mundus in ſimili ſpacio extra

iſtud

illud non esset huic mundo impedimento, neq; maior ratio esset qua hic formidet ruere illum, quam ille istũ, quandoquidem ubiq; medium est in infinito secundum rei veritatem, sursum veró atq; deorsum secundum certam eorũ quæ sunt in vno uniuscuiusq; ordine habitudinem. XIV. Melius est esse quam non esse, dignius est facere quod est bonum quam non facere. Ponere ens & verum improportionabiliter melius est quam sinere nõ ens, & nihil. XV. Potentia & voluntas naturalis frustrari non debet, & ad infinitam durationem spacium esse sine proprio actu, tunc enim potentia ad impossibile referretur. XVI. Potentiam infinitam (extensiua siue sit siue inten siua) ad esse frustrari est, sic actu malum infinitum poni sicut et actu est spaciũ infinitũ. XVII. Sicut hoc spacium potest recipere hunc mundum & ornari, ita & simile quodcunq; spacium ab ipso indifferens, simili nõ absente principio similé cõcepisse. XVIII. Ornamentum istius spacij, huiusq; mundi perfectio nihil est quod addat vel subtrahat vel sufficientiæ vel indigẽtiæ præstet ornamento atq; perfectioni alius cuiuscunque spacij quominus non ita actuari exigat illud, quam actuatum rerum plenitudine sit istud. XIX. De deo & de natura quam optime sentiẽdum. XX. De rebus maximis nihil temere citra sensum atq; rationem defendendũ: ¶ Hisce ita cõstantibus, Probandũ est aduersario esse vim & causam, qua infinita essentia atq; potẽtia finité operetur. II. Qua cõstare possit potẽtia actiua infinita cum possibilitate finita rerum. III. Qua spacio quod hoc mundo absente comprendimus, cui simile semper accipimus esse, minime ultra adiectũ possit esse spaciũ. IV. Qua tota materia est finita & margine illius extimi cæli comprehensa. V. Qua Deus non vult quãtum potest. Qua esse plures hoc nobis manifesto mundos non sit conueniens. VI. Necessitatem in Deo aliud esse à libertate, VII. Potentiam cum volũtate & actione

actione non concurrere. VIII. Posse aliud quam uult, Velle aliud quā potest. IX. Alia habere nomina quā habeat. X. Posse aliud velle qua quod uult, posse aliter esse haberi, quam sit verè, & necessitatem esse aliud & citra diuinā voluntatem, & é conuerso. Posse item velle quod non uult, stante quod non possit esse quod non est.

CAPVT XII.

Ad id quod dicunt infinitæ potentiæ actiuæ non respondere possibilitatem rerum. Item eam posse quę non faciat neq; velit, neq; consequenter probet.



Ræteritum præsens, quidquid capis, atq; futurum
Ante Deum præsens vnum est vnumq; perenne
Vtq; simul nequeunt contradictoria stare,
Sic & quæ ad partem sunt contingentia utramq;
Temporis istud habent pro conditione futuri.
Omne etenim quādo est (quoniā est) est esse necesse.
Eligit ergo Deus quod vult, dat, scitq; facitq;,
Non variare potens ipsum non seq; negare:
Quod vult atq; potest est vnum prorsus idemq;
Nec potis est facere quod non vult esseq; factum,
Nempe ipsum fatum diuina est ipsa voluntas.
Ergo alius quam sit veluti non est potis esse,
Sic aliud fieri quam sit non posset ab illo.
Est siquidem natura Dei substantia simplex,
De qua quantumuis prædicent nomina mille

Nullo

Nullo re pro signata discrimine distant,
Diuersos quamuis actus referant rationi,
Sensibus, & varijs effectibu dum speculamur
Est quoq; de obiecto varius conceptus eodem,
Ingeritur varijs in mentem namq; fenestris.
Nam velut in sphæra longum, latũ, atq; profundum
Conueniunt, atq; obiectum capiuntur ut unum:
Non secus in mole hac quæ non finita probatur
Altum quod dicis, dicam nihilominus imum,
Et tibi quod latũ est mihi longũ est, atq; profundũ.
Maiori id ratione decet verum esse putari,
Sicubi natura est quæ totum totaq; ubiq; est;
Quanta eius bonitas tanta est sapientia, virtus,
Actus, amor, vita, imperium, decus, atq; potestas.
Atq; ideó nihilo est maior, sed cunctivalenter
Omni ex parte sibi occurret totaliter omne
Aequé infinitum centrũ est, æqué omnia finit.
Ne breuiata manus patrantis tanta putetur,
Quam tanta exagitat virtus, sapientia, amorq;.
Nunc valeat Genij species male suada maligni
Credens finitum hoc totum, & quod differat ultro
Actus & effectus. sicq; audens iungere in vnum
Obiectum simplex quæ non consistere possunt.

INfinita virtus si neq; á seipsa finitur nec ab alio, tunc necessitate suę naturæ agit: Non agit necessitate naturæ alia á se & sua voluntate, in eorum morem quæ necessitati subsunt; sed ipsa est (ut sæpe dicimus) necessitas. Agit ergo necessitate, quæ neq; ab intrinseco & per se, neq; ab extrinseco & per aliud frustrari potest. Non primó, quia nõ potest aliud esse atq; aliud: non se-

cundó,

cundó, quia ista necessitas reliquorum omnium lex est. Anteuertens ergo naturam illam, necessitatem, & volũtatem & potentiam nihil esse potest, quominus procedat secundum totam potentiam quæ est ipsa bonitas, aut nihil, & secũdum totam bonitatem quæ est ipsa potentia aut nihil, quæ est infinita, aut nõ ipsius; quæ se diffundit infinité, aut non ab ipso. ¶ Nostra agendi libertas fertur imperfecte, & in imperfectum aliquoties obiectum: proindeque affectu atque rerum latentia undique turbatur: quod si citra turbatam voluntatem, atque cognoscitiuæ potentiæ cursum absque ignorantia & aliis passionibus ageremus; duorum oppositorum operatio nostra perpetuó definita esset ad melius. Antequã enim operemur inter utramq; viam hęremus & consultamus: incertiq; tandem, & cum turbato definimus affectu. Deus ut natura cum sit perfectissimus uno de duobus eoq; conuenientissimo modo: & quia nõ coactus agit, libere agit; & voluntas cum bonitate, & bonitas cum necessitate concurrit. Iccirco cum in omni specie unum sit optumum, unum necessarió agit & non aliud, utq; non potest esse nisi bonus, non potest aliter facere quam faciat. Quare necessitate naturæ bonum facit atq; melius; atq; unum & alterum oppositorũ quod est deterius neq; eius potentiæ neq; voluntatis neq; necessitatis obiectum poterit esse umquam vel subiectum. Caueat ergo præsbiter ille qui diuinam libertatem æqué inter contingentia & possibilia collocat atque nostram: neq; imperfectioni naturæ adscribat quo sit ad alteram partem definita, ab ea auersa quam non absq; maximo errore persequeretur. uno modo hirundo facit nidum quo meliore & adcommodatiore facere non posset, sic & formicæ caueam, varieq; aranearũ species telam atq; retia: de quorum omnium sensu definire formidauit ille Salomon qui sapientissimus citra moré præcipitantium sententias dixit. Quis nouit an spiritus hominis ascendat sursum, aliorum vero deorsum? Ad im-

perfectionem ergo lucis & celestis cuiusdã vigoris referendum est quod homines ambigant consultando, in omnibus quę ad uictum, cultum, & defensionẽ pertinẽt, quod si optimé omnes saperẽt, optimé & consequenter uno modo gubernarentur omnes. Non melius ergo rite consideranti de hominis libertate sentiendum, qualis ea cumq; sit, aut umquam fuerit, vel esse posit, quam de iis quæ sub incertitudine versantur, vertiginisq; casu æstuant. Non est ergo dignum ut Deum ex huiusmodi generis libertate æqué vel inæqualiter ad duo contradictoria volenda, vel agenda, velle vel agere posse referatur; id enim totum á contingenti ambiguoq;, & fluctuante inter contraria principio demanat: sed illius generis est libertas, quę idem est quod ipsa necessitas, cui nihil superstat maius, Cui nihil obsistit æquale, Cui omnia in omnibus atq; per omnia obsecundando subiiciuntur.

CAPVT XIII.

Vbi in infinitum tendit imaginatio de quã titate centinua & de numeris, actiua item potentia quæ est in elemento, receptiua item quæ est in spacio, formabilis quæ est in materia: cur intellectus ille qui intelligendo facit, finita intelliget, volet, atq; faciet extra se? cur optimus agens finitum ponit numero & magnitudine bonum cum omnis natura exigat infinitum?



Vm numero numerum molem moli superaddit,
Apponens monadi plura et complurima multis

Per-

Percurrit finem meditatio quemlibet ultra.
Ergo sophista caue ne tactus lumine tanto,
Vsq; adeó impurum persistas dogma tueri,
Vt minus illum actum quam nostra potentia possit
Promere concludas, vel promere nolle reare
Plané pollentem frustrá.
At veró ut sterilis non est mens illa, perenne
Tempus, & immensum spaciū, numerū innumerūq;
Discursu nullo conceptans, atq; labore,
Multó plusquam sol sua per naturæ elementa
Non vi distractus fundit lucem atq; calorem,
Sic sequitur tali ex conceptu verius esse
Quicquam consistens, pulcrum, verumq;, bonumq;
Quam nostros queat ante oculos substernier ergo
Ille ut naturam resq; extra intelligit esse
Sic sunt omnino, non est quicquam impediensq;
Nam species concepta deo est effectio resq;.
Sic ergo expansum infinitum & multiplicata
Innumero numero quæ sunt distincta sub ipso
Ceu perfecta monas tota intima & extima tota
Omnia substentans graditur super omnia (nempé
Sola ipsa in toto, & totum consistit in ipsa)
Alté comprendit cui nil superadijciatur.
¶ Debile præterea indicium tibi non dabit ignis
Quem tibi in exigua contractum monstro fauilla,
Lignorum quem si fotrix substantia pascat
In non finitum excrescet semperq; manebit.
Ergo virtutis si tantum corporis huius
Se præfert species qui nam trepidare decebit,
Ancipitiq; animo populo sese addere ut erret

Tutó cum multis quàm stare á partibú veri?
Et se fidenter profiteri nobilitatum
Splendore insignis sophiæ diuisq; propinquum?
Aio principium primum virtute superstans
Principijs atq; ijs quæ horum glomeramine fiunt;
Voto, opere inferius tibi non fingatur & actu.
¶ Sic ergo quando in spacium virtute capaci
Materia est semper cupidé substrata, valensq;,
Formator præsens, vis prompta, & semina præstó,
Quis cursum tantæ bonitatis præpedit error?
¶ Nunc spaciū tantū est, nūc tāta potētia inane est,
Ac priuata suo quædam natura tenore
Nempe locus, vacuum, cupiens natura, capaxq;
Materiæ adsimile, aut substantia materiei est
Fiendiq; facultas non temeranda Platoni,
Vrget compleri, iustas tollitq; querelas
Affectantis opus pulcrum, verumq;, bonumq;?
Importunus amor stimulat vim concipiendi
Quod neq; cognosct, neq; complectatur auitum?
Indeq; ab aduerso grandi stimulo bonitatis
Spiritus hic molem exagitans, animansq; perennis
Pleniq; tudo patris per quam decet esse beatum
Quantum mens potis est non inuidiosa beare,
Quis circumciso sensu, & ratione retonsus
Vsq; est ut tantam nequeat comprendere lucem
Quāta amor hic geminus, gemina ista potētia p̄stāt
Ne sine fine malum sancta de mente tryumphet
Fitumq; bonum immenso contrastet inani,
Ne æternum infœlix genitor genitrixq; querantur.
Dede manus ergo, tibi nec Stagiræus inepto

Garritu sensus præstringat.

VEstigium, simulacrum, & speculum infinitatis in omnibus quæ videmus atque singulis experimur; ad hanc imaginationis & intellectus numeros numeris, & magnitudines magnitudinib⁹, & species specieb. adiicientis absq; uis, termino cōtēdit hācq; cōtestatur. Hoc sensus nō detestatur uisus, qui quocūq; pergat ubiq; se esse in centro æquè quoquo uersum respiciens horizōtis formatione indicat, hoc appetitus animalis seu rationalis qui adeptis umquam non est contentus quandiu aliq̄d remāserit adpiscendum: ubi quippe maiora q̄q; sperantur prima sordēt. Hoc prncipiorū naturalis potētia etiam actiua: vna enim facula innumerabiliter accensibilibus, & infinito accensibili proposito sufficiens esse videtur. En ut quo nos cumq; vertamur, infiniti species non deserit.



IORDANI BRVNI NOLANI,

DE MAXIMO ET IMMENSO.

LIBER II.

CAPVT I.

Vulgata ſententia eſt, Paruus error in principio magnus in fine ẽ, parua & minima qpṗé omnia ſunt ſemina & elementa, in quibus ſpecierum tota pené ſubſtantia conſiſtit.



Ccurſu geminûm perplexus quãdo viarum
Ancipiti temeré meditatur mente viator
Qua ſibi pergendum, via quæ carpenda minus ſit:
Triſtis ut erorris ſibi ſuaſio nulla relicta eſt
Securus graditur cantu ſolentia captans
Quando non multo aut nihilo differre videntur,
Arcté principio communi namq; propinquant
Heic multas centrum methodos ubi terminat vnum
Immenſum quæ protenduntur in interuallum.
Aſt tractus adolente via diſcrimina creſcent
Senſim & ſenſibilis complebitur amplius error.
Non aliter ſi forte inter nihil eſſe putabis
Num ſit vel non ſit quicquam quod contegit omne;
Ac ſi de quantis ea controuerſia multum
Non poßit ſophiæ curſum variare. nec hilo
Solemnes metæ turbentur principiorum:

Stella-

Stellarum nempe eſt eadem & natura animantum,
Atq; elementorum manet hæc concordia diſcors,
Siue intra fines numerus ſit, ſeu ſuper illos.
Rem veró melius ultra ſpeculando videbis
Vaſtorum errorum monſtra & portenta creata;
Nempe oculis rationis erit ſatis undiq; apertum
Quam lateat ſpecies legum naturæ utriuſq;,
Ignisq; extinctus, lux ſuffocataq; mentis
Altero ab iſtorum, namq; in contraria pellunt;
Quæ quantum á tenebris lux diſtat, falſaq; veris,
Tãtum ex ijs primis prima hæc , mẽbraiſtaq; abillis,
A medijs longé ijs media hæc, hæc ultima ab illis.

QVam bene inquit Ariſtoteles non parui referre ſit ne immenſum infinitumq; corpus quẽadmodum plures ex veteribus philoſophis putauerunt, an hoc ſit ex impoſsibilibus unum. In eo enim quod res hoc vel illo modo ſe habeat, omnis veri cognitio conſiſtit atq; ſumma. itaq; de hoc nobis maxima cum diligentia definiendum Hæc ſententia communis mihi & illi eſt.

CAPVT II

Primum Ariſtotelis contra immenſitatẽ multis (tamquam pluribus argumẽtis) conſtans partibus ex primo motu argumentum adducitur & examinatur.




Rgo illud primum ſenſu comprendere oportet
Inquit Ariſtoteles, an ſimplex ſit ſine fine,

Corpus namq; istud primum monstrare decebit:
Corpus enim simplex vel mixtum cernimus esse,
Hocq; nequit sine fine dari nisi præsit & illud.
Ergo in eo satis est si demonstrauero finem.
¶ Non elementorum corpus simplex, neq; cæli
Esse infinitum patet hinc quod mobile gyrans
Primum infinite occurret sine mole profundo
Et pertransibit, duplici fluxuq; notato
Centri quorum alter medij per compita cæli
Tendatur qui cum cælo in gyrum moueatur;
Alter non ullum raptatus circinet orbem,
Et quem sustineat cæli dissector horizon,
Numquid non medij transibit linea cæli
Hanc reliquam fixam siue una ex parte sit illi
Terminus in centro, siue ex utraq; per ipsum
Transeat & quædam sine cardine dimetrus exstet?
Adde velut spacium geminũ intercrescre fluxum
Tantó plus constat, quantó maiore recessu
A medio capitur; quod si sine fine recedit
Linea tunc nulla est quæ illuc ubi linea sistit
Altera discurrens valeat pertingere tandem
Si pertransiri spacium sine fine negandum est.
¶ Porro quis usq; adeó fuit umquam stultus ut illud
Immensé expansum quando fateatur; idemq;
Dixerit inuersum, aut centrum confinxerit illi?
Parmenidis sensus Xenophanis, atq; Melissi
Vnum principium, vnum ens sine fine repertum
Immotum dicunt omnes ratione coacti,
In cuius spacio mundi innumeriq; mouentur.
Perge ergo in mentem reuoces quinam ille sophorũ
Prouo-

Prouocat hac liteis queis strenuus usq; triumphas?
An non commentis hærens proprijs procul horrens
A mente illorum præconcipis imq; probatum,
Principio adsumens technis illudere fictis
Continuas, & de cælato facibus orbe
Constituis totum tibi mobile, quale repressum
Inde superficie est, hinc centro, quodq; reuinctum
Cardinibus certis, certo super axe rotetur.
Huicq; infiniti succurrit opinio deinde
Vt tibi cum sensu sit disceptatio nullo;
Phantasia hæc etenim mota tellure peribit
Qua circum totum gyret quantumlibet ultra
Tendatur sine fine mihi, tibi fine premendum.
Quapropter cumulos nebularum discute tantos;
Aera per liquidum iactu contende oculorum
Illius & spacij noli sine lumine finem
Asserere & pariliqua pergis pergito semper
Consimile ad spacium (quid turbat posse?) tenore.
Vndiq; quodq; vides circum confinia terræ
Transparens itidem circa confinia Lunæ,
Solis, & astrorum reliquorum corpora crede.
Innumerosq; huius generis comprendere mundos
Immensum spacium qui certis interuallis
Distent, quo non interimantur, quin potiùs se
Ordine quo dictum est valeant refouere vicißim.
Immensum spacium hoc immensus & aer abundé
Cognoscunt omnes totum non posse moueri:
Quo nam tendet enim spacium si non habet extra?
Interea innumeris paßim splendescere mundis,
Ordine quos certo circumuolui, atq; rotari

Quidnam posse vetat? quid non conclamitat esse?

SIc argumentari incipit Arist. Omne corpus aut simplex est, aut cópositú: & ita infinitú corpus aut simplex est, aut cópositú. Cui respódemus esse tú simplex, tú compositum, quia nó potest esse cópositum infinitum, nisi infinitum sit ex quo componitur simplex, infinitum inquam tum cóputata magnitudine totius, tum partium supputata multitudine. Sufficit ergo mihi (inquit Aristoteles) videre nó esse simplex corpus aliquod interminatum & immensum. Primum autem de primo examinando corpore. Infiniti corporis infinitæ sunt lineæ, quæ producútur à medio. quarú si sunt distinctæ quantumuis modicum á centri (ut esse possunt) regione cumsensim distantia in infinitum crescat, sicut finis non



datur

datur in longitudinem, pariter omnino non poterit in latitudinem admitti. Ideo neq; tempus quo fit motus, neq; spatiũ ipsum finitum esse conuenit. si enim A D & A C sunt infinitę, spacium inter D & C nõ poterit esse finitum, nullum ergo esse poterit quod motum expleat tempus.

¶ Neq; posita fixa linea A C. linea veró A D mobili poterit esse principiũ quo linea A D incidat in lineã A C. Neq; erit differẽtia, si ponas ambas motas inuicẽ occurrere, vel alterõ earum stare, ut infinita infinitam possit incurrere, & deinde præterire. heic enim nulla tardioris ex una & velocioris ex ambabus motis lineis esse differentia poterit. Neq; discrimen poterit esse ullum inter impossibilitatẽ qua immensa A D transeat immensam A C, vel immensam G E. Quinimo oportebit immẽsum cõcurrere tẽpus ad hoc ut linea infinita vel minimũ moueatur. ¶ Ad hæc qui poterit motus circularis esse nõ exstante circulo? quomodo vero vel circulare erit vel circulariter agitabitur infinitum, cui non magis secundum figuram moueri conuenire potest, quã esse figuratum? Inconuenit ergo infinitum moueri, sicut impossibile est immẽsum tẽpore finito spaciũ præteriri. Hæc & similia quę ad unũ omnia tandẽ redeunt sunt q̃ adducit argumenta ubi nescirem referre, num veriora, num autẽ magis extra propositum verba recenseat. ut enim certa sunt hæc omnia, ita & certé nihil ad propositum facientia. ¶ Nõ habebat sané vir iste unum cuius nomen vel fingere norit q infinitũ mobile statuerit: ad q d ergo oportuit tot multiplicare rationes atq; verba? Ostẽdit optimé philosophorũ hic princeps, ut peius quã Andabatarũ more digladietur ubi neq; ad homines neq; ad hominũ sensus rectos habeat oculos. Vide prius infinitum spaciũ, hoc nõ mouetur. Vide infinitam materiam in spacio, & hæc non mouetur. Vide astra in spacio, hæc mouẽtur, hæc appellata sunt mundana corpora. quæ sine nu-

mero

mero sunt quorum singula mouentur vniuersum infinitum mobile nemo dixit vmquam ; in vniuerso infinita mobilia nemo cum ratione poterit inficiari. Quam turpiter in principijs hærendo proprijs & negatis disputat iste dialecticorum pater, inimo logices uniuersæ (qualẽ in calce se elenchorũ profitetur) inuentor, atq; cõplector: Inter uniuersum & mundũ nullum accipit discrimẽ, antiqui veró capiebant: uniuersum appellat hoc quod circa tellurem moueri imaginatur omne, quod illi non afferebant Hoc intelligit in infinitum sub eadem motus diurni & reuolutionis norma in immensum vnum continuum excrescere quod illi non intelligebant neq; infans & vocale brutum non posset vmquam imaginari. Hisce iactis frudamẽtis quam se strenué pugil iste se torserit vidimus. Quin etiam postquam finitum sub hac imagine mobilis rapiditate diurna mundum concepit, qualẽ etiã Epicurei & alij finem rebus nõ cõstituentes sibi propotuere, saltem aliquid prestare posset, ut vel dubium aliquod de vnitate mundi posit intrudere mẽti: vel fidem de pluralitate, vel immensitatem saltẽ externi spacij extenuare.

CAPVT III. PONIT ET SOLVIT SECVNDVM ARGVM.

Secundum ex reliqua motus (quę per rectam lineam est) specie argumentum adducitur, & examinatur, inculcando I. Sursum & deorsum non ex natura rei esse. II. Aequali pulsu ad sibi conueniens ascendere & descendere partes, & alio quocunque rapi. III. Motum rectum non esse astri ullo pacto, ideo nec Telluri cõuenire. IV. Iisdem omnia

nia aſtra conſtant elementis, quæ duplex ad genus omnia reducuntur ex ſuperabundante & dominante igne vel aqua. V. Ex iis innumerabilibus ſuo ut ſunt ordine diſpoſitis non grauibus in ſuo loco, non modo infinitum non ſequitur, ſed ne finitum vel minima ratione phyſicè graue, ſed logicé, arithmeticé, geometricé.



O X quod cælorum ductu eſt con atus in orbem
Hoc elementorum recto concludere motu
Nititur, atq; alias vires exprimere fruſtra.
Non umquam pote ſit (Stagirites inquit) ab ullo,
Et fingi, & leuiore mihi ratione probari
Tractu infinito motum ſurſum, atq; deorſum;
Namq; ambo ij motus cum ſint contraria quædam,
Atq; pari metro ut vigeant contraria opus ſit,
Quod poterit motus ſurſum ſine fine probari
Si definitur centro contrarius illi?
Vnius extremi quare ſi fine videre
Alterius poſſum finem, quoq; credo ſequenter
Quam media arctari deceat quoq; limite certo.
Sic igitur fines nequeunt protendier ultra
Aëris atq; ignis, quam Tellus ſurgat. & unda.
Quod ſi (ut & eſt certum) finem decet eſſe locorum
Qui poterunt fines extra iſtos ire locata?
Illud item apprimé grauitas leuitasq; docebunt,
Et quod naturæ nulla inclinatio vana eſt,
Corporibus ſiquidem præſcriptus terminus eſt qui

Hæc

Hæc tandem sistat gremioq; receptet auito
Quæ scandunt, ideo ut certe quandoq; quiescant.
Addito præterea ut leuitas in corpore tanto
Aut grauitas sine fine foret: quod dicere si uis
Te triplici argutum absurdo dixisse pudebit.
Primum est quod grauitas finiti corporis, atq;
Infiniti mensura inuenientur in una.
Namq; graui quod sit finito pondere tantum
Ponderis apponam quo tandem æquabitur illi.
Siue infinita ex massa subtractio fiat
Ex isto mox absurdum sequiturq; secundum,
Quod grauitas tandem finitæ molis ut esse
Aequalis potuit (si quantumuis superaddas,)
Maior subiecta hac infinita inueniatur. (steñi
¶ Cũ graue p̃terea atq; leue hæc duo principia ex-
Tardi, & velocis, maior tibi tertius error
Improperatus erit quod tunc sine fine citato
Aequetur currens quod non sine fine citatum est.
Nam tardum & velox grauis & leuis esse sequuntur.
Et quia conferri nequeunt sine fine quod exstat
Ac quod finitum est, illud fateare necesse est
Vt non finitum vel non motabitur, aut si
Huic ratione aliqua tribuatur posse moueri,
Vt graue finitum moueatur tempore oportet.
Mobile enim ternis simul esse in partibus umquam
Non aliqua poterit nobis ratione suasum:
Ergo nec instanti potis est aliquando mouere
Quisquam quantumuis pollens sine fine sit ille.
Omnis quapropter cui tempore fluxio obibit
Atq; á finito veloci æquabitur ultró,

Namq; operæ est virtus finita ut suppetat omni
Finito pulsu, momento, & pondere adacto.

SOLVTIO.

Tu veró solidum rationis concipe lumen.
Namq; in eos primum iacularis inania verba
Per discrimen eius quod sursum est atq; deorsum,
Quale ullum non est ponentibus hoc sine fine.
Quid medium quidue extremum præsumis, & hisce
Principiis hæres propriis, illisq; negatis?
Hoc est principiis ostendere velle petitis.
Ergo age respires & nostra hæc concipe dicta,
Vt ratio sensum propriis moderetur habenis
Innumeros noscens mundos, spaciumq; capaci
Cuncta sinu claudens, itidemq; fatebitur illud
Quod solem hunc circa atq; illum discurrere gyris
Finitis varij possunt debentq; planetæ.
Sic & nos de Tellure hunc profitebimur esse
In medio mundum, quia cæli magnus horizon
Tellurem, ut centrum cohibens, punctumq; videtur.
Vt certé nihilominus iis qui Cynthiæ ab oris
Respiciunt circum dispersos vndiq; mundos,
Et Tellus medium circa reuoluta videtur,
Vt quodcunq; extra est spectatum sensile lumen.
Non aliter breuiora terens per compita Apollo
Circuitus medij qui errantibus ambitus istis
Temporis hoc ipso quo circinat interúallo
Illius augustæ sibi suadet & incola lucis
Cuncta illud circum medium versarier astra:
Non igitur proprie est mediam sortita cauernam
In toto Tellus mater, sed ad hanc regionem

Mun-

Mundiq; aſpectus tanti quantus capit illam
Senſibus obieſtam ſpeciem, qua cuncta putantur
Lumina cælato circumuerſarier orbe.
Perſpectum eſt nobis quantum videre vetuſti
Et quæ terrenis deſcendere multa videntur,
Aſcendunt aliis. At quæ ſublata volabunt
Anticephi dicent Lunares lata deorſum.
Ergo ad finitos ſunt hæc diſcrimina mundos,
Non autem ad totũ immenſum referenda putandũ:
Vnde & idem corpus dum motu fertur eodem
Illinc ima petens ire hinc diceturin altum.
Ergo inter fines proprios finita feruntur
Corpora, nec curſu infinito pergere rectá
Conſequitur dictus ſapientum hæc ipſa putanda.
Indefeſſa tamen proprios reuoluta per orbes,
In medio aut circum medium ſpectata perenni
Aeuo fœlici ſeclorum ætate fruuntur.
De grauibus leuibuſq; alia eſt ſententia prorſus
Nobis quæ certis vero ſtat conſona ſignis.
Motus enim rectus grauium leuiumq; quid eſſe
Totius aſſeritur, ſi tantum partibus iiſce
Conuenit à propria quæ ſunt regione reuulſæ?
Nam totum & partes in toto circulo aguntur.
Rectá autem ferri profugum refugumq; videmus
Fruſtumq; è laribus propriis quacumq; locorum
Adſpirat ſeu ſint ſurſum ſeu poſta deorſum,
Ad læuam dextramq;, antrorſum ſiue retrorſum.
Hinc aer liquidus, lymphæ, peregrinus & ignis,
Non certam ad ſedem ſed circumquaq; feruntur.
Vt ſibi conueniens opus eſt aliiſq; fouendis.

At ve-


At veró mundis de integris ista referre
Scilicet ut propria quadam grauitate premantur
Forte premantq; aliud plané stultißima vox est.
Nam velut istæ atomi in radiis quas cernere solis
Possumus haud grauitate premũt hũc aera quaquã,
Sic infinito in campo vastißima mundi
Corpora sunt nihilum quo tantus findier aer
Poßit, tamquam ista sit mole premente grauatus;
Libera sed peragunt qualem dictante benigna
Natura cursum norunt magis esse decentem.
Porro atomi exagitatum hunc aeris insequitantur
Motum spirantis qui pars est corporis huius.
Externus vero mundos qui continet aer
Non vehit atq; agitat neq; pressus sustinet illos
Verum ita firmat eos ut parte tranabilis omni
Consistat, proprioq; actis obtemperet ultro
Appulsu, nihilo ut ab auita præpediantur
Hac methodo quæ natura præscribitur illis.
Non grauis est igitur Tellus magis in regione
Hac, quam sit propria in regione Venus Pyroentes
Cynthia, Apollo, Dios, Saturnus, Mercuriusq;
Quotquot in immenso sunt scincillantia campo,
Vnus continuus quæ circumplectitur aer.
In quibus & veluti parteis Telluris aguntur
Mẽbra ubi comparibus, totidẽq; iisdemq; elemẽtis
Constantur quæ hæc in nostra regione videntur.
Ergo Telluris quia eadem conditione
Congaudent omnes celebres effectibus iisdem;
Nil vetat esse quidem quod terræ partibus illis
Idem conueniat quod terræ partibus istis.

¶ *Cumq; infinitas Tellures asserere ausim*
Subiectum sine fine grauis fateamur oportet
Et leuis, & medij frigentisq; atq; calentis,
Numquid propterea dogma hoc absurda sequētur?
Innumerū hinc igitur numerū grauiū esse fatemur
E' quibus haud poterit conlectum dicier unum,
Quod sine fine graue est, veluti millena librarum
Conligat é variis mensuris computus vnus
Subiectis plumæ in quibus illud distribuatur.

SEcundó circa secunda simplicia córpora quæ motu recto aguntur, eodem effutiendo tenore aęrem verberat. postquam enim neminem posset nominare qui ignem vnum posuerit continuum infinitum sursum mobile ad ulteriorem terminum vel deorsum, ait tamen contrariorum contrarij sunt motus, contrariorumq; motuum termini contrarij. Termini contrarij per lineam rectam seu per diametrum definiuntur, hij sunt sursum atq; deorsum; contrariorum veró & alterū finitum esse oportebit si unum non erit in finitum: Iam nobis cōpertissimus est terminus eorum quę mouentur recta deorsum & ad centrū, in quo quiescát densa, spissa, frigida, grauia: non est igitur possibile sursum non esse terminum sed infinitum superstare rarum, calidum, leue: quod si extrema finita sunt, medium non poterit esse sine fine: adducit exempla & geometrarum more demōstrationes ad propositum proprię imaginationis; nihil autem quod ad antiquorum & nostram faciat sentētiam. Nos emim grauitatem leuitatem medium & exremum sursum & deorsum nulla esse demonstrabimus, motum item secundum naturam nullum esse rectum neq; in toto subiecto mundo neq; in partibus mūdi naturaliter constitutis. Ostendemus insuper motum illum circula-

circularē qui est ab A orientis ad B occidentis punctū, rursumq; á B puncto recursum ad A nusquam in natura datum neq; dari posse, neq; rectá seu diametraliter motum ab A in B & á B in A esse ex dictamine naturæ.

¶ Proinde partium naturalium quæ sunt in etherogeneis Telluris & aliorum astrorum membris qualiscunq; supponatur vel ponatur ille motus partium quæ sunt in toto & mouentur per totum ita ut aliquando teneant sphæræ medium aliquando vero extremum numquā aliq̄ superficiē proprij superegreditur astri. Itaq; sicut alius est mundus Tellus, alius veró luna ita suum habet hæc medium illa suum: suum habet hæc sursum & illa suum: neque hæ differentiæ simpliciter & per se possunt in toto vel in partibus assignari sed tantum positione & habitudine quadam capiuntur. Rursumq; capientibus in ea significatione mundum qua astrorum synodus sol erit inter planetas medius quisq; ꝓprios, cui modo sursum modo deorum sui fiant planetæ vel modo dextri modo sinistri, & quibus vicissim sicut nobis modo sursum fit á nostro, modo deorsum ab antipodum horizonte, modo dexter modo sinister sicut habitantibus sub polo; modo in medijs inter sursum atq; deorsum differentijs ut ijs qui plus minusq; á ab æquatore distant atq; polis. Quod veró ad singulos spectat mundorum ut ad tellurem in suis partibus, deorsum est suum uniuscuiusq; á quouis suæ circumferentiæ puncto medium. sic enim maximé partes ad unionem in toto seruandam ordinantur atq; conspirant. Hinc & si Sol solem, Tellus tellurem, Tellus solem quantumlibet vicinum vel etiam contingentem haberet non esset in potentia partium vnius ut ad centrum referrētur alterius. Sit Tellus A Luna B quæ se attingant in puncto C, ibi nimirum particula Telluris circuibit suum A vel descendet versus A. particula veró Lunæ C circuibit vel descensum faciet in A. Sic æqué undiq; D & E ferentur ad B F & G



ad A. Rursum H & I ad B. K & L ad A, M & N ad B; O & P ad A. Q descendit usq; ad B, ascendit usq; ad C. R descendit usq; ad A, & descendit usq; ad C. Hæc ad communẽ sensum dicta sint & posito spacio inani, per quod partes rectá ferri debeant. secundum naturam enim motus iste rectus non cognoscitur.

Haud aliter quam nostri corporis partes in sua veluti sphæra atq; regione (de propinquis ut cerebro corde brachio, & similibus non loquor sed prioribus) quoquo versum impetu appulsuq; proprio feruntur, quæ eadem extra illam manerent, quæscerent, torperent, speciem deniq; mutarent. Partes Telluris atq; Lunæ seorsim positæ, impetum eum perderent sicut neq; partes maris ex-

tra propriam ſedem fluxum non concipiunt illum atq; refluxum.

¶ Et valde rationi atq; experientiæ conſonum eſt,ut quantó quidq; magis á ſuo recedit loco tantó minori ad illum impetu reſpectet atq; feratur, ut maximé tandem ultra definitum quendam abſcedens terminum ne reſpiciat quidem;etiam ſi aer qui eſt ſupra Telluris extimam ſuperficiem(quem æthera dicũt, quia per ipſum aſtra diſcurſitant)eiuſdem eſſet cõditionis atq; iſte quẽ vulgus mediam regionem appellat & inter telluris mẽbra cum ſapientibus antiquis computat Ariſtoteles. quantó enim plus aquæ ſubeſt,tanto grauius ſupernatare poſſe pódus experimur:haud aliter quanto plus ſubeſt aeris,tanto magis ſuperinſiſtere volucris poterit:ut patet in ijs quæ immotis pennis volant ſuperné, quo crebris aerem ictibus verberando peruenerant. Itaq; non ſolum ex parte minoris appulſus ex diſtantia, ſed etiam ex minoris attractus ex parte multi medij ſuſtinentis ratione pro leuiori habetur quidquid ab imo longius abſiſtit loco. Hoc non ex noſtris ſed ex vulgatis aſſertum volumus principijs.nam vulgus de partibus Telluris cometarum corpora conſtituens & in incentiua aeris regione collocans aliam non poſſet adferre rationem ſi cogatur definire quare tam vaſta,tam inquam multa materia conſtantia illa corpora,quam multa ab uſq; adeo potenti in illa parte igne(cui æqué potens in inferioribus hiſce non poteſt eſſe locis)non deſcendat naturaliter potius,quam ita violẽter circumraptetur. Sed hęc abſurda ex alijs parentibus,filijs & nepotibus, & quaq; circum infinitis famulantibus abſurdis importuné unũ falſum alio falſiore principio perpetuo demóſtrantes excuſare, ijſq; quorum tota in auribus eſt anima perſuaſum,ratum certumq; efficere poterunt.

MINIME GRAVE	LEVISSIMVM
MINVS GRAV.	LEVIVS
GRAVE — RESP.	LEVE — RESPECTIVE
LEVE — RESPECTIVE	RESPEC — GRAVE
MINVS LEVE	GRAVIVS
MINIME LEVE	GRAVISSIMVM

CAPVT IV.

ARGVMENTVM TERTIVM.

Tertium ex abſoluta uniuerſi natura (ut ſcilicet elementa cõplectitur atq; cælũ, vel tũ recto, tum circulari motu exagitabile) refellitur argumentum inculcando. I. Particulari motu nihil infinitum ſibi conſtituere terminũ II Quodnon ita nobis eſt infinitũ, ſicut ipſe ſibi cõfinxit, quaſi hinc ſit continuũ unũ ignis, inde vero continuum unum aqua.


T postquā monstrasse putat quā particulare
Corpus non ullum infinitum repperiatur,
Mox infinitum quoq; quod generale negandum est
Commento orditur tali monstrare sophistæ.
Non infinitas species supponere rerum
Sed definitas dare sum ratione coactus,
Vt definitæ motus sunt atq; elementi
Compertæ species duplici ratione volente.
Partibus ex hisce infinitis quælibet ignis
Aut lympha est, quib. est grauitas leuitasq; tributa,
Non finita quidem sunt quandocorpora tanta.
Vltra opus est quodq; ex istis sine fine ualere
Ac spacium decet esse capax sine fine profectò
Vnde infinitus vàleat peragi quoq; motus,
Quod plusquam satis est dictu à ratione alienum:
Nemo etenim loca ad illa meat quæ visere numquā
Posse dari credat, ceu quiuis æstimat Orcum
In nullo esse loco, non curat tendere ad Orcum.

Responsio.

E` dictis porro nostris non ista sequuntur,
Circulus est quibus infinitus principiorum,
Nec per inane immensum atomos mundosq; vagari,
Ceu Epicurei volumus sine fine deorsum.
Nam mirum ut potuit talis sententia mentem
Indugredi infinitum contestantis, ut ullus
Terminus aut medium qua transitus est minimorū,
Queis natura dedit perfundier vndiq; circum,

Continué ad imum caſu influitantia dici
Malint quam fluxus generali nomine ferri,
Ac longum ſi per tractum delata ſubirent,
Impetis adpulſus vi definita profundi
Ora infinito ſpacio defuncta ſuperné.
Ponimus interea ſpecierum de uariarum
Concurſu totum conſiſtere, non tamen illas
Innumeras, atqui hæc quæ conſtituuntur ab illis
Tellures, Soles, Lunæq;, atq; id genus aſtra.
Vnde locus non eſſe poteſt quo tale ſequatur
Abſurdum ſine fine grauis, ſine fine deorſum,
Proxima ſed repetunt connaturalia quæq;
Vt partes huius Telluris corpus ad iſtud,
Lunai partes ad Lunam per regiones
Quaſq; ſuas; quare hac ſic motus terminus arctat
Vt certa mundus donatus margine, quiſq; eſt

TErtió circa totum argumentatur dicens. Ex accommodatis ergo ad partem perſpectum eſt immenſum non eſſe corpus: ſequitur ut deinceps videamus an infinitum ſit corpus vniuerſum primum de toto infinitatis genere dicẽtes. Corpus omne aut immẽſum aut determinatũ. Si eſt immẽſum, aut eſt ex inter ſe ſimilibus, aut ab inuicẽ diſsimilib. partibus. Si ex diſſimilibus, aut eſt excertis definitiſq; ſpecie, vel ex infinitis. At nõeſſe ex infinitis ſpecieb. manifeſtũ eſt, quia numerata ſunt ſimplicia corpora ſecundũ ſpeciẽ, & ſimplicium corporum ſimplices motus atq; qualitates. Quod ſi finiti ſunt motus & qualitates (quoniam ſimplicem ſimplicis corporis oportet eſſe motum & formam illius motus principium quoq; ſimplicem) quî fieri poteſt ut ex ipſis

ex ipsis cōsistere possit infinitas?ut inquam ignis sit interminatus,aqua sit interminata?Ita non hinc infinita leuitas consequetur atq; grauitas?An non & loca infinita esse magnitudine oportebit?Quod si ita descendent deorsum,quod dabitur spacium si est occupatum ab infinito corpore,quod spaciū sursum , vacare poterit?Et quomodo infinitum ex una poterit esse parte & non ex altera? Leue infinita leuitate non ascendet,graue infinita nō descendet grauitate.Si vero ex similibus uniuersum cōstitutum partibus intellegas,necesse est ipsum uno duntaxat motu exagitabile esse,hoc autem velerit recta,vel circulariter;si recta vel motu leuis, & tunc quo nam ascendet immensum? vel motu grauis & tunc quonam descendet interminatū;extra quod neq; locus esse poterit neq; vacuum? Si circulo motū velis redibunt partes quas in primo explicamus argumento.

¶ Quia immo quodcunq; & qualecumq; etiam citra prædicrarum qualitatum conditiones moueri non poterit,siquidem neq; sua moueri poterit natura,neq; externa vel violenta aliqua,non natura quia motus huius modi ad locum sibi conuenientē est alium.Non violentia,quia á loco sibi conuenienti est alio.Atqui extra immensum ubi poterit cōueniens vel incōueniens esse locus? Ponatur præterea casus ut graue infinitum transeat,infinita grauitate infinité ponderans infinité mouebitur deorsum , Atqui omnis motus finiti & certi debent esse termini:quid enim est quod perpetuo quorsum & numquam quousq; ferri debeat? An tibi in infinitū tendere aliud est quam nō in finem tendere,quod quid est quam contendere ad partem nullam?

¶ Sed ô bone qualem tu fingis distinctionem contrariorum corporum neq; á nobis expressam,neq; á natura constitutam vidisti , certum est huiusmodi infinitum unum vel duo neq; moueri posse neq; consistere , neq; grauis suscipere rationem neq; leuis , neq; ad locum a-

liquem appulſum habere neq; á loco,neq; in loco,neq; circa locum aliquem ſeu centrum circumferri. Vide an aliquid aduerſus intentionem noſtram cui unum eſt cõtinuum ſpacium;in quo ut ſuprâ dictum eſt diſcretos re tinent diuerſa corpora ſine numero,ſed determinatarũ ut explicauimus ſpecierum ordines atq; receſſus. Quo te alió proripis? quid ſomnias; quid vagaris; quibus cũ diſputas? cõtra quale agonizas immẽſum & uniuerſum? Infinitum uniuerſum eſt immobile; in infinito uniuerſo infinita diuerſorum generum ſunt mobilia.quorum ſin gula finibus & regionibus ſunt contenta proprijs, ſuos quæq; aſtrorum peragunt circulos, & non in infinitum euagantur.Hæc ex partibus etherogeneis ſecũdum ſpeciem finita & determinata corpora quæ ſecundum ſpeciem finitis determinatiſq; conſiſtunt elementis,& forte ad eandem tandem omnia referri poterunt ſubſtantiam,quod non urgemus:Hæc elementa ſiue vnius ſiue plurium capiantur ſpecierum, ſi effluxum ab integro mundo non habent,illorum etiam motus erit finitus,ſecundum numerum ſcilicet & in particulari, & æterna ſecundum materiæ videlicet numerum eundem ſingula aſtrorum erunt;alterabilia veró ſecundum paruas & magnas diſpoſitiones & actus.quorum alterationem exceſſiuam ſi quis ad generationis & corruptionis nomen velit promouere nõ impebiemus neq; urgebimus qui nihilum de nominibus veritate in ſuo ordine conſiſtente ſollicitamur.

CAPVT V.

Digreſsio quædam,quod ſi veluti diſſolubiles ex natura compoſitionis ſunt mundi, diſſoluantur partibus á toto corpore diffluentibus, non inconuenit uniuerſali agitatione a-

ne atomos (seu quomodocunq; appelles prima corpora) infinité vagari



T Tamen atque illud si velles dicere tandem
Quod si mutantur, senio torpentque relapsi
Mundi, ceu Tellus senio confecta videtur,
Illud item inuenias profitendum, magnaq; cuncta
(Quod patet in paruis) pereant animalia mundi,
Nempe immutentur, labantur, dissoluantur.
Materies veterem speciem pertæsa recentem
Aucupet assiduè, fieriquod concupit omne,
Viribu proq; suis omni enti consimilari:
Qualem Anaxagoras intelligit esse. potestq;
Si effluxus proprij & peregrini influxus adurget.
Tunc certas variando vices, fluxumq; atomorum
Credere in immẽsum haud dubia ratione valemus.
Ac veluti varios animas tentare recessus
Perpetuò est notum, sic corpora materiei
Inferrri versum totum nil posse vetabit:
Singula nam fine ac nihilominus ordine certo
Hos varios peragunt cursus faciesq; resumunt.
Quod si ille à rebus non esset fluxus, & ille
Influxus possent res omnes perpetuari
Ceu vires certé retinerent semper easdem.
Ergo ut natiui maior confluxus habetur
Sic magis atq; magis uegetant, ultroq; adolescunt
Certam usq; ad metã qua adtacta exinde fatiscunt
Corpora, namq; premens eadem est contrarius ordo

Semi-

Somnia uti circum dum corpora conglomerantur
Atq; atomi ad parteis adduntur continuandas,
Interea proprios consurgit corpus in artus.
Vt partes autem é centro exglomerantur eædem,
Tam bene composti fiunt diuortia sensim.
Hoc si in principibus contingat corporibusq;
Vt Solet in paruis, atomos circum sine fine
Concedam facilé, ac circum per inane vagantes,
Quando infinitæ succedunt alteritates
Corporibus, quæ mox vna è regione repulsa
Excipiant aliæ. Interea ne credito posse
Tales naturæ canones consistere; nempé
Hac forma excursus fiat decliuis ut umquam
Ad metam non impingant sistantq; vagari
Donec fortunam incurrant peragrando in eandem.
Nam nisi consistant ratione hac quæ patefacta est
Tandemq; é propriis demigrent sedibus iisce,
Quæ cauet opponens te mille absurda sequentur.
Attamen esse nequit, quia paßim corpora magna
Concipiunt aliis hæc quæ pelluntur ab astris,
Vt quoq; materies nostra hinc demigrat & illinc.

PLato in Timeo ita summum deum deos alloquẽtem ex Chaldeorũ arcanis introducit: VOS QVIDEM DISSOLVBILES ESTIS NEQVAQVAM VERO DISSOLVEMINI Cui affine est illud quod in vulgatis diuinis monumentis habetur. DEVS STETIT IN SINAGOGA DEORVM. Hos Plato aperté intellegit esse astra, quæ omniá ex quatuor integrata intelligebant elementis, sed propter dominium lucis ignes habebantur omnia præter Lunam & antichtoná Tellurem: similiter

diuina

diuina monumenta ministros dei flammas ignis appellant, stellas cæli, quibus similes sint sancti apud nos, volucres cæli, terram viuentium, aquas super cælos obtéperantes ordini altissimo. Illa animalia si eo quo nos dissoluimur ordine corrumpuntur, ut scilicet eadem elementa ad aliorum compositionem indiuiduorum excursione quadam facta á proprio supposito, procedant (hoc certé nescimus ut certé scimus composita esse) & consequenter dissolubilia; certum est tamen omni indicante natura potentiam superstare & prouidentiam infinitæ uirtutis quæ cum iustitia moderatur totum in infinito, cuius voluntate hæc in æternitate possint vigere vel tépori subesse. Naturæ porro suæ destituta non unquam possunt æterna esse secũdum numerum, quia eorum singula ut sol & tellus finita sunt virtute, intrinseco quodam á principio non possunt habere seu recipere effectum infinitum, consequuntur enim se tria hæc Esse, Posse, Operari. Tũc dico, si principia prima horum corporum effluunt; certum est successione quadam in infinitum & vniuersali agitatione moueri, per singulos veró progressus perpetuó certũ definitumq; terminum ea incurrere oportet.

CAPVT VI.

Quartum argumentum soluitur, quod est ex toto motuum genere, & ostẽditur quemadmodum & si duo infinita se contingant, vel adtingant, vel admisceantur corpora, non sequitur actio vel passio infinita nisi extensiué; unde nullum esse posset inconueniens.



Vrsum principium ex aliis motus speciebus
Concipiens, vires sic orsus viribus addit.
Et corpus sine fine nequit consistere-quod quid
Finitum peragat, quod ab ipso vel patiatur:
Passio nempe omnis velut est in tempore motus,
Exiget & tempus. Quare contingat oportet
Finitum ut corpus comprensum margine certa
(Si quando hæc possis se inter collata putare)
Qua & infinitum forma afficiatur eadem,
Atq; data possit parili virtute moueri:
Namq; duo hæc inter cognata proportio constat;
Efficiensq; minor poterit quod maior habere,
Perficietq; minor vi quod maiore peractum est.
Nec pariter faciet quisq; sine fine potenter
Subiecto in quoquam finito. namq; ibi tempus
Exigitur ceu vis, finitum & quod sit utrumq;.
Nam sicuti locus haud poterit finitus habere
Complexu corpus comprensum quod sine fine est,
Sic infinitæ formæ vis, materiei
Quæ definitæ mensuræ subsit inepta est.
Finitum & patiens infinitum efficientem
Quodnam ferre potest, ubi certa proportio agentis
Virtutem faciat vi cum patiente coire?
Proinde infinitum duplex hinc indeq; ponas,
Actio nimirum ex istis non ulla sequetur.
Namq; infiniti complebitur actio numquam
Contra infinitum, neq; principiatio fiet;
Nā quantum hoc urget, tantum contrástat & illud.

Immen-


Immensis inquam si rerum summa duobus
Consistat primis quæ sunt contraria certé
Gignitur aut nihilum quia lis dominatur auara
Nempe é distinctis iis actio nulla sequetur
Tantarum ad prolem usq; adeó dignam specierum
Altero ab alterius depulso finibus æqué.
At verò si forte locum leuis occupet illud
Quod graue, siq; grauis leue, tunc immensa potestas
Aut æqué alterutrum penetrat, vel sistit utrinq;
Nam aut par obsistens est hinc, illincq; resistens
Aut tantum hoc illinc, illud superatur & isthinc

QVartó per omnes mutationis species argumẽtatur. assumens principium quod omnis mutatio est in tempore. Omne quod in tempore mutatur est finitum sit ergo ab infinito calefactum aliquid vel pulsum vel alio quocunq; passum modo: & cũ omnis mutatio sit de termino in terminum oportet eam in definito quodam esse tempore sit tempus illud (Annus) quo minus est mensis. hunc effectum qui est finitus habere oportet proportionem ad aliquem effectũ qui in parte istius temporis promitur ab agente finito: habeat ergo ut sit quadruplo maior; sequitur nimirũ, quod quadruplicata virtute illius finiti agentis vel agente finito quadruplo maioris virtutis idem possit á finito produci effectus, qui ab infinito productus est æquali tempore, Quinimo non est opus ut multum adijciatur quo agens finitus & tempus finitum maiori agat in quacũq; proportione virtute maiorem effectum illo: & tunc finitus agens maiorem infinito agente producet effectum.

¶ Item sicut est ratio magnitudinis ad magnitudinẽ,

ita est

ita est & virtutis ad virtutem, ita est etiam ratio temporis ad tempus. Itaq; si absurdum est (ut & certe est) infinitũ, & finitũ pari tẽpore cõmutare id qđ maius est seu maioris virtutis, minori tempore commutabit quam quod minoris est virtutis, Id si ita, sequetur, quod infinitũ nõ in tempore mutabit. Addo hisce Arist. verbis quinimo & finitum á finito adminimum instans vsq; absumitur, ut paret in analogia visibilium: non enim oportet in infinitum procedere, ut visus vel visibile deuanescat & absumatur propter excellentiam vel defectum qualitatis, propter acuitatem, & obtusitatem anguli: cadit enim angulus lineæ super lineam maximus & minimus. Sic tempore quo mobile in magna circumferentia pertransit minimo certum spacium, minimum inclusæ minoris circumferentiæ proportionale spacium pertransibit in non tempore, & maxima ratione tandem in non tempore transibit minimi circuli partem: quid enim minus potest esse minimo siue simpliciter minimum capias, siue secundum naturam? si inquam minimum tempus quo aliquis naturalis motus perfieri potest capiatur secundum spacium AE in maiori circulo, non erit tempus naturali motui quo aliquid moueatur secundum B F, tanto minus secundum C G, DH. Itaq; non est quod & ad infinitam usq; magnitudinem & virtutem recurrat Ari-



stoteles

ſtoteles ut & non in tempore motus conſequatur, & tranſitios ſed in hoc nullus error eſt

---

CAPVT VII.

Reſpondetur ad quartum arg. oſtendendo I. Quomodo in infinito ubiq; finita ſit actio atq; paſsio. II. Non ſequatur actio infinita caſu, quo uná ſeduo contraria attingant extremitate. III. Caſu etiam quo inuicem miſceantur in corpus unum. IV. Caſu quo circa unum contrarium finitum, immenſum ſit alterum. V. Quod tamen neceſſarium ſit cõtraria ęqué extenſiué ponere & materiæ magnitudine, & numeri multitudine infinita.



T verò immenſo quod nullus terminus ambit
Actio non ulla eſt prorſus, neq; paſsio: porro
Ipſius eſt in ſe cunctos comprendere fines.
Mox nihil ipſius pars eſt, verum omnia in ipſo
Conſiſtunt definitis virtutibus acta:
Per numerum innumerum, infinito robore ubiq;
Finita virtute valet per ſingula, nempe
Rebus dans cunctis quod agant, & quod patiantur,
Ordinibuſq; ſuis varientur conſequitanter.
Quamquā ergo innumeræ partes patiantur agantq;
Aduerſi mundi hinc, atq; illinc ſint ſine fine,
Et ſic contraſtent, ſic concilientur in unum;
Immenſum immenſo non inde repellitur uno

P Actu,

Actu, at finitis qui sunt sine fine per omne
Distincti spacium. Quare natura refutat
Vt gemina hæc sine fine sient contraria, & unum
Continuum fiet hinc, reliquum verò fiet illinc,
Quæ rationis opus capit atq; insana mathesis
Quando in natura hinc duce frigore, & inde calore
Milite finito pugnabitur undiq; passim,
Et nusquam numero innumero consurgere contra
Constabit: numerum verò innumerum, numerumq;
Innumerum gerere in spacio sine fine perenne
Bellum, dum semper contraria sunt & ubiq;,
Et semper numero numerus contrastat ubiq;, &
Innumerum innumero non ulla in sede repugnat,
Atqui extra ad libitum ratio dum supputat, exit
Altera vis isthinc sine finibus, alteraq; illinc.
¶ Addere præterea dictis illud quoq; possis
Vt quamuis planum duo corpora terminet unum
Quæ parte è reliqua magnum per inane profusa
Ambo infinitum in corpus consurgere ponas
Mutuum, & obsistant; haud uis sine fine sequetur
Aduersam quæ vim sine fine obtundere tentet;
Nusquam etenim vis tanta potest conlecta videri,
Atqui extensa viget dimensaq; taliter omnis
Partibus ex illis procul hinc, hisq; inde remotis;
Contra istas neutrum partes pollebit & illas,
Proxima, sed tantum pars partē attingit & urget.
¶ Immo & concurrant tota hæc contraria in unum
Nusquam virtutis sine fine ille actus adesset,
Vndiq; finitum finito antistat, agendo.
Credimus hoc totum tenebris ac luce, calore

Fri-

Frigoreq; affectis compactum partibus, & nil
Sinceré hoc unum reputari posse vel illud.
Sic vis finita est finitæ opposta decenter
Ordine ut ex tali sit consistentia rerum.
Mutuô namq; ubi se vincunt contraria paßim,
Vincens in pace hunc quem nactum est sedis honorẽ
Poßidet ad tempus, donec victoria versas
Concipiendo vices, alió imperiosa feratur
Et facie turbata fuant paullo ante serena:
Hostis ut in pace est quia vinctum supprimit hostem.
Sic ergo aduersis ex istis corpora constant.
Nam serie paßim fatali aduersa triumphant
De aduersis, quæ mox rota temporis alteret; atq;
Fœdere discisso talis respublica finem
Incurrat, teneatq; recens ea regna potestas.
¶ Immo & Tellurem frigens suppone elementum
Continué effusus quam circumplectitur aer
Algens ex ipsi tantum regione propinqua,
Ast reliqua liquidum qua cælum tangit adurat:
Aethereum spacium quoq; mox sine fine putemus
Nec non Hyppasi ausimus sensui adstipulari,
Num tu propterea poteris concludere firmo
Tamquã ex principio in nihilum quod oporteat esse
Deductam algentis vim corporis atq; repente
Vel sensim exitium tandem incurrisse perenne?
Id fieri qui posse putas si proxima tantum
Pars partem oppugnat. nequeunt distantia longe
Seposita propriæ virtutis fundere sensum,
Nempe infinitum finitis partibus infert
Corpus in externum propriæ vestigia formæ,

Queis á finito interdum vincatur, & ultró
Contrastans serie semper seruetur eadem.
Illi infinitum noua fercula namq; ministrat
Perpetuó, & quantum vis corporis egerit huius
Tantum suppeditat; quia spissum fortius istud
Innata semper remanet virtute tenaci.
Ambæ hinc consistunt species, isthæc quia vincens
Egestis gaudet; lucrum iacturaq; par sunt,
Illa etiam semper tantum instauratur & ullam
Iacturam minimé incurrit, quia suppeditabit
Et quod contrastans carpsit dum carpit & ultra.
Egestum proprias ideò sedesq; reuisit,
Indolis antiquæ speciem nouiterq; resumit,
Seu ex finito sit corpore, seu sine fine.
Imbellem imbelli imbellis ratione refutat
Quem laudis falsæ non veri cura refixit.

HEic sunt pleraq; bene allata & optimé habent si dignius applicentur ad propositum, nempe eorũ qui infinitã potentiam referũt ad actũ finitum, & finitum effectum infinitæ se ipsam moderantis efficaciæ prædicant. An non aptius Timeus finitũ afferẽs mundũ á secundis numinibus altissimo præcipiẽte numine pro ductum, ueritus ne minus effectui inadæquatam causam impertinenter adduceret.

¶ Heic ulterius est aduertendum ut ab omni corpore extensiué virtus profundatur nõ intensiué, quia sicut ubi pars una corporis est, ibi non est alia; ita vnde pars vna corporis agit, non agit alia: ergo licet ponatur casus ut duo infinita corpora concurrant in unum terminum, ut corpus AB, & corpus BC in terminum BI, ibi nimirũ

A E B D C

F N G O H
I K P L Q M

Pars D non poterit agere niſi uſq; ad partem E & E niſi uſq; ad partem D ſimiliter G valebit in E & N in D non autem O in E & F in D. Pars item E reddetur intentior atq; fortior per partem F, nõ autem per partẽ I. pars item D roborabitur adſiſtentia partium O, H, nõ autem partium L, Q M. In corpore ergo infinito non intendi uſquam poterit infinité virtus

¶ Ponatur inſuper caſus, quod concurrant, miſceantur, ſemper finitum pugnaret cõtra finitum, proximum contra proximum vicinum pars tangens contra tangentem ut N, cõtra G & K contra P. adtingens; contra adtingentem ut F contra O, & M contra K.

¶ Proptereaq; ſuppoſito Quod Hyppaſum & Heraclitum accipimus ſenſiſſe qui circa finitum hoc frigidũ corpus infinitum obiecit ſpiritum igneum (de cuius opinione non poſſumus perfecte definire quando ignorantum ſophiſtarum relatu afferantur) non propterea ſequitur neq; repentina neq; tarda corporis infiniti contra finitum victoria, per ea quę proxime poſita ſunt atq; cõcluſa Et notandum quod qui vnum principium vnamq; ſubſtantiam profeſsi ſunt, eandem ijdem contrarijs ad diuerſorum contrariorumq; compoſitorum productionem intellexerunt procedere diſpoſitionibus. Et quia de duabus diſpoſitionibus in ſuperis lucem dominari atq; ignẽ viderant, ideó ignẽ potius infinitũ ex ſenſu profeſsi ſunt: & ſignificatio ignis apud eos non eſt

eadem atq; alios ſapientum ergo quorum caremus monumentis, quam melius fieri poteſt ſentiẽdum, ut ſi quid minus definite vel vere eos dixiſſe accipiamus, ſaltem aliquo modo probaliter intellexiſſe. Sed de opinionibus hiſce aliás.

CAPVT IIX.

QVINTVM ARGVMENTVM *& Reſponſio.*

Ad quintum (quod in verbis implicatur) argumentum oſtenditur, infinita plura diuerſarum ſpecierum non incõuenire ut uniuerſum unumq; infinitum conſtituant; materiã nempe ſub omnibus, & ſub ſingulis ſpeciebus infinitam eſſe neceſſum eſt.



Num ergo dicam infinitum continuumque,
Principiis variis quod componatur, idemque
Materia ut ſolis ſine fine eſt materiesq;
Telluris, quid nam mirum abſurdumq; ſequetur?
Attonitis oculis tumido ſpectabilis ore
Inducas ſine fine dari uno in corpore poſſe
Nempe infinito; per plurima rurſus in uno
Diſſimili ſpecie quorum unumquodq; decebit
Materia immenſa pariter conſtare. Quid obſtat
O' bone cum multis ens conſtans ſit ſpeciebus,
Cuilibet immenſam molem ſubſternier? Immo
Eſſe operæprecium ſapienti hæc ipſa fateri

Oſten-

Ostendam, manifesta satis meditantibus aptè,
Namq; infinitum quidquid componit & ornat
Finibus adstringi nequit, ut quoq; multiplicantur
Per numerum species quas concupit adsimilare
Consimiles spacium: definitis elementis
Innumeras cerno Tellures solis & orbes.
Materiam immensam lapidis, ligni, atq; metalli
Et carnis, densi, rari, calidi, atq; rigentis,
Siq; lubet pondus, motum, lucem, atq; tenebras
Subiectum paßim (ut dixi) sine fine videbis.
Nāq; infiniti est quidquid sine fine, ut & ipsum est.
Nec minus est ex iis quicquam numero, nisi spectes
Ordine finita ac serie, canones synodûmq;.
At si continuum cernas concurrere in unum
Omnia ceu plenum, lux, aer, inane, locusq;
Maius ibi atq; minus numero vel mole nequibunt
Extra finitum confingier interuallum.
Dum innumerum reputo solem Terramq; vagātem,
Vnumq; interea solem circundare plures
Tellures, illo hos circum numerante planetas,
Tellurem quamuis populos comprendere multos,
Ciuibus & multis populum consurgere quemq;.
Vndiq; nimirum populus numerosior exit
Orbibu terrarum, Tellures solibus vnis.
Atqui infinito in uno á numero numerus non
Differt: atq; monas numero coæquabitur omni:
Mille infiniti non sunt plus, quam duo, tresue,
Et vicibus non finitis comprensilis unus.
Non igitur plures soles, quam dicere ciues
In toto poteris, sed tantum ab ordine mundi

Huius & alterius; numero quæ constituuntur,
Mensura, ac propriis momentis, ordine certo,
Innumero nempe atq; immenso non locus ullus
Esse potest pluris, modici, pauci, atq; minoris,
Quæ numeri & mensi discrimina cernimus esse.

QVoniam quidquid in infinito est infinitum oportet esse si ex eo infinitum constitui intelligatur, non inconuenit infinitos intelligere soles & Tellures, ex quibus tamquam primis in synodos mundorum concurrentibus, uniuersitas est innumerabilium astrorum, quorum propriarum singula specierũ varietate exornantur, ut & illis sub speciebus innumerabilia contineantur indiuidua singulis: sic & immensa est astrorum materia, non minus immensa eorum qui sub forma ignea seu solis, quam eorum qui sub aquea seu Telluris sensibus offeruntur. vbi licet non sint nobis sensibilia, quid prohibet quominus similia similiter se habentia principia, atq; ex principijs earumdem specierum composita, similibus rationibus exstent sensibilia quibus & efficientia sunt atq; seruantia? Vt stupidé Peripateticorum princeps quasi nostrum ex hac regione sensum iudicem faciens atq; causam extra cælũ neq; locum neq; sensibile quippiam esse colligit hisce verbis Ac si omne corpus sensibile uim agendi, capiendi, & quasi patiendi habet, aut utramq; fieri non potest ut immensum corpus sit sensibile: atqui omnia corpora quæ in loco sunt, sensu percipiuntur omnia, ergo neq; finitũ, neq; infinitũ corpus est extra cælum. ita & ego puer sic nihil ultra Vesunium mõtem esse credidi, ut nihil quod sub sensum caderet habebatur.

¶ Infiniti quidquid est sine fine ut & ipsum: Hoc ut intelligas illud quoq; sciendum est tibi, quo non concludas Tellurem hanc, solem hunc, vel syuodum istam, plane-

planetarum circa hunc solem, & quamcunq; similem aliam, vel quotquot numerabiles accipias, esse infinitas, quia sunt in infinito, seu infinitæ. Tunc quippe tamquã infiniti aliquid sunt habenda quando ad incircumscriptum & immensum sub ratione indefinita capiuntur. Vt veró sic finita & terminata sunt nullam ad infinitum habentia proportionem sunt, eatenúsq; nihil ipsius vel in ipso esse intelliguntur. Sic extensiué infinita est lux, tenebræ, plenũ, inane; sic non sunt plures quam soles tellures, qu amtellures animalia, & plantæ.

CAPVT IX.

Digressio quædam ex dictis resumens cõmemoranoa: Vt in immobili infinito uniuerso infinita sint mobilia, infinitę Astrorum synodi, ut Heracli sensus stat contra Aristotelis rationes inualidissimas: minime aũt securus est (si ex relatis verbis velimus iudicare) secundum naturæ veritatem. Vt non commomode ad unam substantię speciem uniuersorum corporum naturam redegerint antiqui, alibi propandum heic supponitur. Vt errantium circa hunc solem male est definitus numerus mundorum.



Ouimus ut tantum spacium comprendere possit
Tot numero sine fine suis regionibus orbeis,
Quorum alÿ in reliquos vires iaculentur, ut ignes
Oceanos circumstantes feriendo, vicißim

Frigoris & parili plagas virtute reportent.
Mutuum interea refouent mutuumq; alimenta
Vitai vegetes ultro citroq; ministrant
Heic ubi discrete contraria distribuuntur
Vndiq; finita ut perimat pereatq; potestas:
Namq; infinito quamuis sit latio nulla,
Non ulla alteritas, non crescat, non minuatur,
Quid prohibet partes ne commotentur in ipso
Atq; locum mutando vices tribuant capiantq;?
Quas sane partes non ipsius esse, sed ipsi
Inquam vel potius toto consistere in vno
Si tamen aut totum aut integrum dicere poßis
Quod nullis pressum sit finibus. Ergo simul sint
Infinita duo sibi partibus obuia paßim,
Vndiq; finita simul hæc virtute coibunt,
Et de infinito infinitum non patietur,
Dico infinito in spacio frigus calidumq;
Per spacium tensa, & lucem tensam atq; tenebras,
Quæ natura suo distinxit in ordine paßim
Altera ab alterutris, ut sunt contermina ubiq;.
Quare naturam ad rerum si respiciamus,
Sic dico nusquam ut quod possum dicere ubiq;
Quidquid cõprendens quod non cõprenditur usquã,
Nec faciens patiensue aliquid possesq; putare.
¶ *Ergo elementorum virtus, finitaq; moles*
Quantumuis subiecta datur ceu finxerat ille
Qui nihilum cælos aliud cognorat ab igne,
Vel nihilum cælos cognouerat aera præter
Cuius in immensum pandatur fimbria campum,
Non tamen iccirco Stagyrita sapisse putetur

E' me-

E' medio reliqua hæc tollens elementa repente,
Quod nec in immenſi progreſſu temporis ullo,
Colliget adtendens quod paullo diximus ante.
Nam ſeu finita eſt circum dimenſio cæli,
Seu magnum ſemper corpus ſine fine ſuperſit,
Non niſi vicina poterit de parte mouere;
Corpore in extencto quia vis extencta putanda eſt.
Intensé numquam calidum cauſſare vigorem
Certam ultra metam poterit ceu namq; propinqua
Non tota eſt moles, neq; virtus eſſe propinqua
Tota poteſt. Ergo non actio tanta ſequetur
Vndelibet quanta eſt magnæ dimenſio molis,
Ducere nec iuuat abſurdum reliquo de abſurdo,
Quod duo ſint ſine fine loco peregrina, uiciſsim
Obuia; & extremo ſibi contraſtantia ab uno.
Namq; ut ſunt ſine fine, loco peregrina putare
Quisnam infans poterit? legem quis ad ordinis ullã
Regere: ſi ſurſum deorſum, dextrum atq; ſiniſtrum
Et ſunt finiti & ſunt diſcrimina finis,
Heic ubi plura ſimul certo ſunt ordine clauſa.
¶ Sed quidnam Epheſio infinitus proderit ignis?
Quid Metapontino tam multus ſeruiet aer?
Cur corpus ſine fine volunt cõprendere mundũ heic,
Non alibi ſimili ſimilem finireq; ſemper
Virtute ſphæram: ſimili quia ſtante tenore,
Diſsimilis caſus rationem reddere oportet.
Dicere quapropter mundos ut & eſſe videmus
Hoc uno in ſpacio parili forma atq; colore
Cum Tellure ſuo libratos pondere circum
Vndiq; (ubi haud ſpacio eſt finis ſtatuibilis ullus)

Nil

Nil contra ſenſum inducit, nihil à ratione
Diuerſum, nil quod naturæ cunctiparenti
Conueniat minus, & non illa immenſa poteſtas
Exigat efficiens, patiens, capienſq; neceſſè
Vt tantum eſt verum, ſubſtans, ſapienſq;, bonumq;.
¶ *Nec ſciet Heraclitus ſe iunctam fingere lucem*
Ignis, nec calidum nullo inſiſtente vapore.
Nullus enim eſt ignis, quem nullus ſubſtinet humor.
Naturæ humenti accedens quapropter habendus.
Aut humens natura ſiet pro materiei
Conditione, quia eſt illius forma reperta
Et lux atq; calor. Nullis rationibus uſus
Naturam humentem aſſeruitq; Theleſius ignem.
Sed quid tantopere eſt ignem tibi multiplicari?
Nonne opus eſt aliam quoq; mox adducere cauſam
Sidera qua rara non ſint velut æthera maſſa,
Corporeq; in denſo faciant conſiſtere lucem?
Non ignis natura quidem communis, & ipſa
Senſibus inſpicua haud ullis ſubſtantia, inani
Perſimilis, vacuum ſpacium quæq; eſſe putatur.
Ergo inſpiſſatrix vigeat quædam quoq; virtus
Et ſimul adnectens parteis in corpore cæli,
Quæ in raro, atq; omni non comperiatur in igne.
Atq; hæc ſi tanta eſt, ut tot per ſecla perennet,
Non ſine ſubiecta eſt terra, immenſoq; liquore,
Qui ſolidat ſtellas & corpora cuncta, atomoſq;
Conciliat, quodq; eſt undæ vi concilatum
Terraq; Cercopio quandam eſt reputata Platoni,
Terrea diſcipulo ſaltem vis dicta Plotino,
Lumine naturæ ingenito id cogente fateri.

Eſſe

Esse quidem haud poterit diuersis partibus unum,
Nec per se rari ac spißi discrimen habebit,
At dubio procul omne isthæc contraria prima
Perficiunt per se, medijs alijsue reportant,
Vnde cadant actus varij, varijq; vigores.
Proxima nec lunæ est eadem substantia qua sit
Sic spissum corpus proprio non lumine gaudens
Vt Stylbon, Venus, & Tellus, reliquiq; planetæ,
Qui nec scintillant: ut scintillantia tot quæ
Naturam referunt solis magis eminus astra.
Ergo sunt ijsdem mundi composti elementis
Sidera tot, duplici tantum splendentia caussa,
Cuius subiectum vis ignea, & vnda repertum est.
Hæc ita sunt paßim spacium disposta per amplum
Ne mutuó perimant, sed amica pace fruantur
Quando reluctantur coeuntes fœmina masq;,
Spiclaq; contorquent, nexuq; Cupidinis acri
Bella gerunt, genitalis adest hinc pluuius humor,
Fœcunda mater quem Tellus concipit aluo,
Et Phœbus prius ardescens exsuxerat alté
Crinibus auratis gemina hæc nectentibus ora:
Nec sol immenso tantum spacio est satis unus,
Fertur ut insano prompsisse Epicurus ab ore;
Corpore cui stellæ nihilo maiore putantur,
Nostri quam valeat uisus comprendere sensus.
At paßim innumeros dum circum vertimur, esse
Accipimus magnum pariter per inane micantes,
Vnica Titani neq; coniux creditur uni,
Vnica pulsanti neq; Phœbo nympha choreas
Ducit, & harmonicos numeros feliciter explet.


Ast

Ast veluti Tellus cum Luna est Mercuriusq;
Cum Venere adnexus quo currant paßibus æquis
Non aliter fortaſſe Ioui, Marti, ac Seniori
Conſortes natura dedit, qui tempore certo,
Aut raró, aut oculis numquam ſunt lumina noſtris.
Non ſiquidem hos tantũ reputabimus eſſe planetas,
Atqui infinitos quos inclitus ordo repòſcit.
Vno ſic igitur calſiunt plurima ab igne
Lux multis medians clarandis ſufficit una.

INfinitum infinité hoc eſt intenſiué non agit neq; patitur: infinitum veró finité hoc eſt extenſiué agit ac patitur. Vbiq; inquam finitus calor finito frigori, finita lux finitis occurrunt tenebris, ſol Telluri, ignis aquæ, cum hoc ſtat ubiq; ipſum eſſe infinitum, infinitos eſſe ſoles & Tellures, ignea corpora & ex alio prædominãte elemento aquea; finita indiuiduorũ ſingula ſunt atq; ſpecies, ſed omnia indiuidua (ſub indefinitarum mediarum ſpecierum numero, & definitarum primarum quæ ſunt elementa) ſunt infinita, & infinita eſt materia qua conſtant omnia, & non eſt finitum ſpacium in quo omnia continentur, finiuntur, finite agunt, finite patiuntur. Vbiq; ergo ſigillatim finis eſt & menſuratum, quod da uniuerſum ſi conferatur eſt nullũ. Hoc eſt quod ſphęram definiuit Xenophanes infinitam, cuius centrum eſt vbiq;, circumferentia nuſquam Hoc eſt quod undique ſphæricum dixit uniuerſum Parmenides; qui ſphæra finita ab uno tantum puncto indifferentiam dimenſionũ admittit, unde ſcilicet idem eſt latum, longum, atq; profundum; infinita veró ab omni. ſic infinitum nuſquam eſt circumferentialiter, ubiq; eſt centraliter.

¶ In ijs quæ ſecundum loci agunt differentias, proximius efficacius agit in ſubiectum quam remotius: maius

itém vehementius quam minus. Maius remotius ex æquare proximioris calorem poteſt & ſuperare Ideó ignis quantus eſt E, accendit ſecundum diſtantiam E F, ipſum F, & ignis quantum D quatruplo efficacior abſumet E, diſtantiá D E, & duplo ſaltem efficacius accendet F ſecundum D F diſtantiam Hinc artium & medicinæ doctor Calefacius pro urbe quadam capienda commẽtum excogitaſſe fertur. Ad milliaris (inquit) quadrãtem, quam trium milliarium circuitus complectitur, urbi vicina eſt ſylua, qua tota igne flagrante, cogentur ſané tanto cominus æſtu compulſi cities ultra Sarni ripas proprias domos diffugiendo deſerere.



Huic ſané argumento Ariſtotelis horum Peri pateticorum principis authoritas apprime ſuffragatur qui ait

Si á circulo D F, surſum eſt æthereum ignis ſine fine; oportebit Tellurem F corpus finitum, ne ad temporis quidem inſtás contra adeó intenſam caliditatem poſſe conſiſtere ſed huc argumento ſuperius ſatis facere non prætermiſimus.

¶ Propter infantiam autem peripatetici argumenti nõ roborari Hecacliti, Chaldeorum, aliorumq; eius ſententiæ ſapientum qui Luci cæleſti infinitum ignẽ profitentur, intelligimus: Præterquam ſi humidam naturam ab igne non abſtraxerint.

CAPVT X.

SEXTVM ARGVMEMTVM A´ DEFInitione corporis diluitur.

Sextum principale argumentum ex indiſtincta & mutila corporis definitione deſumptum eliditur: I. Quia non eſt de corporis natura eſſe finitum. II. Ad ſpeciem corporis pertinet eſſe figuratum. III. Infinitum corpus continuum infiguratum non eſſe cõſtat ex diſtributione corporum naturalium. IV. Spacium uniuerſum eſt infiguratum & continué infinitum. V. Dimenſiones ſpacij á corporis dimenſionibus longé aliæ ſunt.



Vam ſibi confinxit finitio corporis idem
Immenſum excludit quoniam dimenſio triplex
Dimenſum facit, ac certum mole, atq; figura,
Principioq; petens ſibi dogmata vana reſarcit

Ac infinitum quanto non congruat, atq;
Principis haud bene ſit membrũ quoq; differitatis.
Porro & quo conſtet quantum illa aſſertio vana eſt
Propoſito plura adnectam quã hæc cauſſa requirat.
An non & ſpacium quod corpus continet ipſum
In longum, latum, diſtinguitur atq; profundum?
An non dimenſum eſt, an non dimenſio trina eſt?
An perſeueras ſpacium Stagyrita negare?
Cum tibi plus multo debet fieri manifeſtum,
Quam ſit materies tali ratione reperta,
Heic ubi ſuccedunt obeuntia quanta viciſsim.
Nam certũ eſt ſpaciũ quod nunc me cõtinet, & mox
Aëreum corpus ſuccedet quando recedam,
Quod dubio omne procul quãtũ eſt æquale receptis,
A'q; ijs diuerſum naturaq; tertia conſtat,
Quæ manet vna eadem nullo variabilis actu:
Nam locus haud propriè finis reputabitur ille,
Quam tua confinxit peregrina lege Minerua,
Planum ſeu facies eius quod continet, heic nam
Plana infinita proſtabunt inter utramq;
Dico ſuperficiem contenti, conq; tenentis.
Scilicet ut puncto interiecta eſt linea bino,
Sic facies inter ſpacium iaciatur oportet,
Quærere cuius adhuc poſsis qui terminus exſtet;
Atq; ita perpetuò ulterius ſine fine vagari.
¶ Quinetiam partes antiquo ex dogmate ſeruans
Obſtruis ipſe tibi inconſtanti voce viarum
Effugium, cum contenti vis, conq; tenentis
Corporis hanc faciẽ extẽdens, quoq; contrahit illã,
Aut hanc diſſoluens locus ultra deſinit eſſe,

Vtq; superficies proprio cum corpore desit.
Ergo haud perpetuó capientis corporis ipsum
Extremum locus est quem stabile dicere possis,
Sed spacium aut spacij amplectentis fors quoq; finẽ
Quem nihil illius reputes vel corporis huius.
¶ Vox etiam tibi corpus erit dimensio triplex
A` centro in longum egrediẽs, latum, atq; profundũ,
Quamuis non longam dicas, latam, atq; profundam
Quod tota in toto est, omni ut quoq; tinnit in aure,
Lux, calor, algor, odor, color & transluciditatis
Vndæ conueniens species, & in æthere constans,
Cur tibi non simili dimensaq; lege putantur?
Audio quid referas non sunt hæc corpora tanta,
Mensaq; non sunt hæc, sed menso in corpore tanto,
Non lata at lati, non longa at passio longi.
Sum contentus ego, mihi dum quoq; confiteare
Ne posit spacium quiddam quoq; corporis esse.
Sed si virtutem tua quam finitio iure
Vendicat aspicias, superesse negotia multa
Coniicies, queis persuasor non prorsus ineptus
Spectandus uenias. Omni regione penetrat
Lux spacium, atq; omnes per partes continuatur,
Et mage continué spacium replere videtur
Quam lignum, lapis, & ferrũ, in quibus exstat inane
Immixtum, aut interiectum quod credere malim.
Vix fugate eripiet quando accedentia quædam
Asseris, ut non inuiti concedimus & nos;
Nam non ipsa implent sed cum replentibus inq;
Iisdem non veluti partes concurrere constat.
Verum ubi discrimen finitio continet illud?

Proin doceas quid plus diffusa per aera lympha,
Vel lignum in spacio tenet accedentia præter?
Lignum (ais) est corpus, per se subsistit, at illa
In reliquo lignum densum, durum, atq; resistens,
Sicq; coloratum, lux se non sustinet ipsa,
Lux abit in nihilum vanescens, materiesq; est
Lignea perdurans alia redimendaq; forma.
Omnia concedo hæc centenaq; millia plura,
Dummodo continuum partes linquatur in omnes.
Nam sapor, atq; color, grauitas, densatio cũcta hæc
Non minus accedunt ligno spacioq;, nec ipsa
Per se consistunt, quam lux, calor, algor, odorq;.
Nec magis est constans quidquid lignum facit esse,
Quam quidquid luci perhibet quoq; ut ipsa sit ipsa.
Post obitum ligni subsidet terra vel humor,
At non de lucis specie subsistit abactæ
Quicquam, quod lucem quis affirmare fuisse.
Nec volumus plané, neq; possumus ista negare.
Verum quod residet, quodq; est substantia rerum
Corpus Aristoteli non est, neq; mole notatum.
Nulla diuiduum affirmat ratione subesse,
Materies nempe est rerum substantia quædam,
Quæ molem recipit formæ pro conditione.
Hinc moles sequitur formam, formamq; figura.
Ergo quidquid agit subiectum corporis altum,
Amplum, spissumq;, id non est substantia, sed quid
Accedens. Igitur quidquid dimensio profert,
Atq; capit totum est accedens. ergo per illam
Nil magis est ligno quam luci. Hinc colligo veré
Corporis ut ratio minus huic quam conuenit illi.

Vnde & idem corpus Physicæ datur, atq; Mathesi,
Et spacium est melius substantia dicta Platoni;
Corpora si mutuó transmutant, inq; vicißim
Perpetua ijs serie donatum est posse meare.
Hactenus intento satis hæc fecisse videntur.

ET si quantitatis differentiæ sint finitum & infinitum, & harum neutra primarum quantitatis specierum (quæ sunt linea, superficies & corpus) definitionem ingrediatur: ubiq; tamen Aristoteles quasi naturæ corporis repugnans accipit atq; ponit infinitum in corpus quippe omne vult esse figuratum. Infiniti porro figuram corporis sæpius allatis rationibus sphæricũ, dixerunt antiqui plurimi post Xenophanem. Talem intelligimus esse & spacij cuius necessarió dimensiones cum corporis concurrunt dimensionibus ut est ostensum. In finiti veró plani figuram in ijs quæ de minimo circulare esse retulimus: quam eandem finis, termini, atque minimi contestamur, & allatæ sunt quibus sphæricum est minimum, sphæricum est magnum, & sphæricum est maximum differentiæ.

¶ Spacium in quo corpora recipiantur nescio quomodo quisquam non omnino mente captus possit effugere, ipsumq; non esse quippiam omnino á corporibus distinctũ. Moxq; apparet quẽ admodũ ita cęcitas cæcitatem ignorantia ignorantiam consequitur in ordine eorum qui plus verbiculis atq; ratiocinijs quam rerum naturæ ad tendentes exorbitant; aiunt pro completa corporis definitione ipsum quod longitudine latitudine atq; profunditate definitur quantum ideoq; quæ tria cum in spacio intelligere oporteat, ipsum consequenter corpus erit quod vel recedente corpore desinat esse spacium vel in & cum dimensionibus tribus spacij erunt dimensiones corporis. Ideo autẽ (inquit Aristoteles) duo se fi-

ſe ſimul corpora non compatiuntur quia tres dimenſiones cum tribus alijs non poſſunt eſſe dimenſionibus. Aſt ó bone, Corpus mathematicé eſt in genere quantitatis & tunc definitur Quantitas trium dimenſionum: & ſic ab eſſe,conſiſtentiaq; ſubſtantiæ abſtrahit. Corpus phyſicé eſt in genere ſubſtátiæ & tunc definitur Subſtátia tres concipiens dimenſiones ſeu ſubſtátia corporea: ſic.n. vulgus differentia mediante á genere generaliſsimo ad primũ ſubalternum genus (Corpus) immediaté deſcendit;proximam nempe ſubſtantiæ ſpeciem. Sic & dimenſiones in propoſito dupliciter accipimus, primó phyſicé & hoc pacto bifariam, & ſcilicet ut ſunt in ratione Loci, & ita non ſunt corpus neq; pars corporis, neq; accidens ut in ſuperioribus oſtendimus:& ut ſunt in ratione locati & ita conſtituũt ſpeciem eam ſubſtantiæ quæ dicta eſt, hac ſufficiente,neceſſaria,per ſeq; manifeſta diſtinctione ſtante,tantum illa dimenſionum ſpacij atq; corporis incompoſsibilitas, ſequi poteſt, quátum locati cum loco incompoſsibilitas, ubi ſecundum rei veritatem corpus non poteſt ullum eſſe ſine loco;& dimenſiones illius nequeunt ſine æqualibus conceptátis ſpacij eſſe dimenſionibus. Neq; ſpacii dimenſiones ita corporis accidentia poteris aſſerere quemadmodũ diaphanitatem, colorem, humiditaté, odorem, & eius generis alia cum dimenſionibus aquæ quæ Platonicis non ſunt quanta,ſed quanti; non ſcilicet quæ eſt in tricubito lapide tricubita eſt albedo vel duritas ſed tricubiti,non tricubitus ſplendor ſed tricubiti,ſpacium vero non eſt corporis cuiuſcunq; ſpacium ſed natura quædá á corporibus,corporũq; partibus & accidentibus phyſicé & realiſsimé diſtincta, quam oportet ante, extra, & poſt corpora quæcunq; definita intelligere: & á cuius conſortio nullum vera imaginationé corpus abſolutum comprehendere poterimus.

CAPVT XI

SEPTIMVM ARGVMENTVM A' MEDIO *definito & extremo definiendo.*

Septimum quod ex positis ab aduersantibus sequitur argumentum, examinatur: irrationaliter scilicet localibus illis differentiis tum uniuersum, tum prima corpora naturæ discriminantium. Vbi nil est medium quod nihilominus circumferẽtiale nequeas inuenire; nihil circumferentiale quod nequeat paribus rationibus centrum comprobari: & probatur absolutè graue & leue nihil esse.



Calaque naturæ sibi quam confinxerat ille
Vt sit simplicius sursum leuiusq;, nec hisce
Perpetuò liceat magis ac magis adijcere ultra,
Sed reliquum esse decet velut unum est oppositorũ
Crassius in medio grauius, mage compositumq;.
Confirmat finem totius ut illud adactum
Gyro & extremum rapida vertigine cælum
Secum conripiens totum retinensq; superna,
Vt segni medium tenuit pro pondere tellus.
At vero immenso medium extremumq; negatur,
Magnaq; quotquot sunt mundorum corpora circũ
Sunt totidem pariter sursum pariterq; deorsum:
Cælicolæ ut nobis sunt ij, sumus ijsq; vicissim,
Nec definitum cunctis reputabitur unum
Nostratis mundi si gyrum concipiemus

Vnum

Vnum ſi campum æthereum qui cuncta perambit.
Singula deinde ſuis ut ſunt atq; omnia membris
Sic medium cuiq; eſt imum, extremumq; supernũ,
Haud aliter lunæ certum eſt de corpore ſurſum
Quidquid & externum ſubiectus ſpectat horizon
Nimirum cælum eſt cui dicitur illa deorſum.
Proinde velut medium Tellus propriumq; deorſum
Haud noſcit propria quicquam de mole remotum
Sed centrum maſſæ cordis mediaq; cauernam
Vita vnde in corpus diffunditur optima totum
Precipuamq; animæ ſedem quam credere poßis:
Sic medium Lunæ & reliquis decet eſſe quod omnes
Connectit partes in quod conſpirat & omne
Membrum, quod refouent animantisq; undiq; vires.
Ergo illi adſiſtunt, conſluctant undiq; ad illum.
Nec tibi ſit mirum quod dicitur inq; remotis
Senſibus abſpicuum; noſtro quia prorſus in orbe
Apparet ſimili in diſcrimine dicta poteſtas.
Quandoquidem Antipodũ ſedes magis infera nobis
Eſſe nequit quam nos inferna in ſede locatos
Credamus miſeroq; polo, præſtantibus illis.
Nec caſum metuas illis & in ima ruinam
Quam iure ij timeant ne nos in concaua cæli
Illorum pedibus quæ ſunt ſubiecta ruamus;
Vndiq; Telluris facies quia reſpicit altum
Qua radij á centro extremam ducuntur ad oram
Non magis á Luna recident, plantæq; hominesq;,
Saxoſi montes penetrabunt aera circum
Ad nos uſq; magis, quam Pindus, Olympus, & Athlas
Frecipiti metuant curſu loca celſa ſubire

MElius diu multotiesq; definitũ est in infinito medium esse ubiq; seu finem cum principio coincidens,& centrum absq; circumferentiæ extimæ positione, quam in ipso saltem spacio nequeat apprehendere Pluribus manifestauimus medium simpliciter in ordine corporum naturalium esse nullum,& per ulterius suo loco dicenda fiet manifestius. Et ergo ille naturalium corporum seu sphærarum, neq; sensui neq; rationi neq; naturæ ullo congruere modo potest. Nec non ille sursum atq; deorsum, dextri atq; sinistri tamquam ex natura rerum differẽtiæ quam insulse atq; pueriliter (velut ex Pythagorico dogmate) deducantur dictis atq; dicendis sufficientissimé commonstratum habebitur.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM A' PERFECTIONE V-*niuersi, quæ propriis comprehensum terminis exigat soluitur.*

Argumentum quod á definitione perfecti uniuersiq; perfectione per Aristotelem, allata deduci potest, multiplici ratione refellitur.



Ineque supposito perfectum concipit unum
Ac totum; iccircó perfectio nulla manebit
Sphæram infinitam proprio sibi fine negato
Vt quæcunq; sui & quæ comperiuntur in illa
Finem perpetuó ex alio capientia. Quare

Non

Non erit immenso perfectio, qua ratione
Perfectum dicit mundum, quia terminus illum
Definit proprius, veluti quoq; corpus in ullam
Non migrat quanti speciem, ceu linea, punctus,
Atq; superficies fluitant in corporis actum.
Nam postquam punctum per longum fluxerit, atq;
Linea per latum facies dederitq; profundum,
Materies superest nulla, ut dimensio quarta
Succedat: moles hinc perfectissima corpus
Astruitur. Samio celeber ternarius hinc est,
Hincq; sacerdotes terna vice thura ministrant,
Et primū primo hoc numero Deus impare gaudet.
Nam tria principium, medium, finisq; creata
Cuncta mouent, adigunt, & certo limite claudunt.
Et quia natura veluti dictante solemus
Post unum, atq; duos ubi solùm, & dicimus ambos,
Cæpimus à ternis omnes & dicere cunctos.
¶ Siccine Pythagoras numerator, gestìculatrix
Techna sacerdotum, sanctorum somnia, Græcæ
Grammatices numerus triplex, dimensio trina,
Perfectum ut capiat mundum succurrere possunt
Huic Physico? O ratio logicorum ingrata parenti
Qui docuit ueris propriisq; ostendere verum:
Nunc quæ non caperet sicco pro themate Rhetor
Suadens, utq; nimis temnit ieiuna poeta
Vt mumdum promat perfectum colligit. At qui
O' bone quod corpus quia triplex terminus illi,
Nec fluit in reliquum, quæ non perfecta probabit
Fragmina? Quo proprijs clunduntur finibus atq;
Nil reliquum admittunt quo perficiantur abundè.

Testantur quoq; se perfecta animalia plantæ, &
Membra suo ingenere ut dẽs, cornu, pilus, & vnguis.
Si vero mundi perfectio deuenit inde
Quod veluti corpus quantum non tendit ad ullum
Vltrá, ceu punctum in filum se flumine tendit,
Hocq; superficiem fluxu genit, istaq;, corpus;
Sic dum naturæ finitur corpore corpus
In reliquum mundus non ullum corpus abibit
Vt terra ad lymphas referuntur, ad aera lymphæ.
Claudicat hæc ratio, siquidem quoq; constituit illud
Quod nulla poßit Stagyrita ostendere sorte
Coniecto à toto hoc nihilum superesse, & eidem
Adiectum quicquam frustra fingatur & exstet
Ille superuacuus mundus qui subiiciatur.
Perfecti ratio numeri non est, quia plures
Non sunt quã quot sunt, numerus neq; parcior isto;
Sed numerator erit perfecté, & computus eius.
Ergo licet mundi partes prospexerit omnes,
Digerat & rerum numerum sapiens ad amußim,
Perfectam tribuet, non perfecti rationem.
Gnosticus & Manes mundum qui corpore constat
Oceanum non esse mali sibi posse probari
Desperant prorsum. Samiusq; philosophus anceps
Ex perfecto commixtum notat imperfectoq;
Vnde mali atq; boni seriem duplicemq; reponit.
¶ Si quæras cur sit perfectus mundus: & illud
Tunc audire licet quia non finitur ad ullum.
Vltra si quæras cur non finitur ad ullum?
Tunc referet quoniam perfectus mundus habetur:
Sic ratio est ratio rationi, quodq; erat ante

Prin-

Principium euadit conclusio. Circulus estque
Non Geômetrarum in morem: Siquidē Physicorum
Vix eadem ratio est nisi forsitan ex elementis
It vapor in lympham, lympha redit inq; vaporem,
¶ Proin velut efficiens facit hunc tot partibus, idem
Perfectum non tot credo potuisse creare.
Atq; aliter si conflasset, nam quid prohiberet
Quominus & melius constaret quam modo constat?
Namq; adeó nihil esse bonum valet, ut meliori
Conditione capax nequeat consistere, præter
Vnum infinitum solum. Physis optima Deitas,
Nempe quod in genere est non simplex absq; solutū
Supposito, ac certo perfectum sine putandum est
Pro generis captu pro voto constituentis.
Compostum siquidē & quidquid contraria cōflant
Vniq; versum istud seu sit, seu non sine fine
Nulla dabit ratio perfectum, nulla negabit:
Namq; bonum verum & perfectum dicitur unum
Immixtum, simplex, abstractum, immobile, per se,
Xenophani immensum, Sphærale ens Parmenidiq;.
¶ Præterea exquiram nunquid si linea tanta
Fingatur quæ ultra cæli conuexa feratur
Longior, effecta est causam perfecta per istam?
Num quoq; mundano perfectius orbe reporto
Extra si capiam comprendere cuncta trigonon?
At mihi si referas subiecta carere Mathesis
Perfecti uniuoca ratione quia ordine eodem
Non comprensa minus debent conferrier. Ergo
Inquam sufficiens ratio non esse putetur
Perfecti hac tantum quia nil conterminat ipsum.

¶ Adde quod & cauſſa mundi perfectio ab iſta
Non minus eſt tenuis quam ſint Geometrica ficta,
Nam nulla mundum perfectum dicere parte
Hinc poteris ſi pars partem perſtringit ut aer
Orbem telluris, complexus Lunæ elementa.
Concaua Mercurij Lunæ orbem ſphæra, ubi tandē,
Perfectus nihilo ſit mundus ab orbe ſuperno
Qui differt. Addam perfectus & ipſe ſupremus
Orbis erit tantum pro parte hac ultima quæ ſit
Comprendens reliquas. Neq; tandem pars ea primū
Perfecti ratio eſt, facies verum ultima tantum
Planum conuexi quæ dicitur. Et nihilo illa
Conſtabit quod perfectum ſiet, undiq; partes
Eius enim reliquis conſtant cum partibus unà
In longum & latum hærentes: Ideoq; videto
Quam tenui conſtet mundi perfectio techna
Quā neq; pars neq; forma probet, neq; vis, neq; finis
Ex bonitate datus, neq; terminus efficientis
Perfectus, qui perfectam contingere metam
Hoc opus efficiat, nihilum quare appetat ultra.

QVam nugatorijs vniuerſi perfectionem aſtruit rationibus; quarum prima eſt, quia non finitur ad aliud, quia ſcilicet eſt finitum per ſe. Cuius tamen ratiocinij medium plus ad noſtrum faceret propoſitum q̃ ipſius. etenim perfectū verius erit quod neq; actu neq; potentia, neq; re, neq; imaginatione finitur ad aliud; ſed omnem actum, potentiam, imaginationemq; finit aliam: hoc eſt infinitum. ¶ Mitto rationes quas veriſimiliores ſubnectit caballiſticas, de quibus perpenpendendis locus nobis eſſet ubi de Numero, tractauimus

imus & figura; ibi magna ex parte ex authoritate experientiaq; aliena sine ratione sapimus atq; loquimur, cũ manticis, medicis, & secundum genus mathematicis.

¶ Omne proinde perfectum est, quia est in sua indiuiditate ad aliud non terminatum indiuiduum & hęc est intrinseca perfectionis ratio. ¶ Mox illi concludendum fuisset post specierũ naturæ præcipuarum enumerationem, quemadmodum mundus ex paucioribus malé cõstaret, & superaddita plura essent mundo superuacua; quod itẽ species aliter efformatæ atq; ordinatæ melius non haberent, contra clamores Momi, Gnosticorũ atq; Manichæorum: quorũ rationibus tum authoritatem diuinorũ adderem quibus omnis creatura vanitas, nihil, & non ens reputatur. Tum & rationem, quia nihil est finita bonitate bonum, quod nõ possit esse melius, quidquid potest melius esse, habet aliquos mali deteriorisq; gradus; quemadmodum quod non est simpliciter illustre ab omnibus obscuritatis gradibus non est absolutũ. Ideo perfectum simpliciter & per se & absoluté est vnũ infinitum quod & quo neq; maius esse potest quippiã, neq; melius. Hoc est unum vbiq; totũ, Deus, naturaq; uniuersalis: cuius perfecta imago & simulacrum nullum esse potest nisi infinitum; finitum ergo quodlibet est imperfectum, mundus quicũq; sensibilis imperfectus est, ut malum & bonum, materia & forma, lux & tenebræ tristitia & gaudium, concurrunt; & omnia ubiq; in alteratione sunt atq; motu quæ omnia in infinito in rationẽ vnitatis veritatis & bonitatis veniũt: qua uniuersum singularissimo iure dicitur. Quemadmodum rationale & irrationale in animali sunt indifferentia & unum & verum, sic in infinito (nempe maximo) calidum & frigidũ per uniuersum sunt vnum. & in minimi cum maximo coincidentia sæpius hoc ostendimus: ut in schemate de coincidentia anguli in libro de Minimi existentia.

¶ Modo ergo corporeo diuinitas secunda, explicata,

nus-

nusquam tota, præterquam in infinito (omne enim corpus ita est dispersum, ut ubi unam partem habet aliam nullam habeat, aut habere possit) in sua tantum vniuersitate & ordinibus sub immensitatis ordinatione innumerabilibus: ubiq; principium quod cum fine concurrit admittens, nempe centrum quod ad infinitum circumquaq;, & adquod circumquaq; refertur infinitum. Hoc est quod ab æterno á diuinitate procedit secundũ esse totum, ut infinitæ communicatio bonitatis, actus effectusq; diuinæ omnipotentiæ externus; vnica illius & minimé multiplicabilis imago, illustre speculum, tẽplum augustissimum, in quo illi concinentium deorum laudes sinefine atq; numero vndiq; occurrãt, neq; turpissima infinitaq; illa inanitatis voragine quasi terrefiat: & hoc in quo humanus non conquiesceret appetitus optimi expleatur atq; maximi voluntas illa.

¶ Et (per fidem nostram) si perfectum est quod non finitur ad aliud an non tibi videbor stantibus huius definitionis terminis aliquid vniuerso finito perfectius imaginari si vel corpus imaginer maius sicut illi qui non desinunt sphæras alias atq; alias phantasiare super eam quę octaua & ultima fuit Aristoteli, tẽporis subiectũ; cuius nulla ratione motus exorbitet, intẽsionis remissionisq; signa concipiat. Mundi inquam erit imaginatione perfectior imaginatio trianguli mundo circũscripti; vel lineæ longitudine diametrũ mundi superantis quia diameter mundi finitur ab illa. ¶ Quid quod tandem perfectionis mundanæ caussa erit ad conuexam illius superficiem per accidens reducibilis: quandoquidem eadem ratione suarum quibus componitur partiũ, & sortis, qua eidem extremum contingit esse terminum, hoc habet ut uniuersi perfecti (quatenus est perfectum) caussa fiet.

CA-

CAPVT XIII.

VTCVMQVE PROBATVR PERFE-ctio immensi.

Data ex proximè dictis occasione, aliæ probabiliores quib. uniuersum (quod ponimus immensum) perfectum definitur, rationes adducuntur.



Ccipe nunc quibus immenso est perfectio causis
Non quia sit factum perfectum dicitur, & non
Quod sit completum, finem vel quod sit adeptum,
Quod certis constet numeris, simili ratione
Qua species suemus distinctas á speciebus
Dicere perfectas, velut & sunt participanter:
At veró quoniam series, modus, ordo, potestas,
Et genus & species omnis contenta sub ipso est,
Ac veluti nihilum quantumuis digna relata
Ipsum ad simpliciter semper finitur, ad ipsum
Quo sub consistunt tot particularia mundi,
Quorum adeó affabré conspirant membra, suumq;
Perficiunt totum. Quanto ergo eminentius esse
Perfectum credam hoc in quod perfecta coire
Noscimus innumera. An sublato hoc nomine rebus
Conueniens reliquis generis pro conditione
Illi tentabo prætexere dignius unum?
At quis pro tanti nomen modo significati
Instituet? Quare proprium sibi sufficit VNI
VERSVM, *ut & nomen sit definitio, resq;*

Omnis

Omnis præco, liber, titulus, ratio, simulacrum.
¶ In proprij meta generis producere paruos
Exiguæ possunt caussæ perfectius actus;
Quam magis immensa & generalior illa valebit
Quam nihil impediet, nilũ cui obstet, & ullo haud
Detrectante suis quæ sanciat omnia fatis?
¶ Sicubi præterea est formæ genus omne repertum;
Omnis item species distincta, omnis numerusq;,
Actio, opus, series, medium, ordo, idea, potestas,
Materies, spacium, motus, tempus, locus, actor;
Præterea quod sit formarum ipsissima forma,
Materies amphitrites sit materierum?
¶ Perfectum siq; est multis quod partibus exstat
Certa dispostis serie, & coëuntibus apté,
Quid dices ubi concurrunt cuncta optima in unum?
Vnica corporea est diuinæ mentis imago,
Vestigium, statua, archetypus, scriptura, sigillum
Quam metuũt, recolunt, celebrãt, mirãtur, adorãt;
Militis innumeri duplex exercitus obstans
Vndiq; consurgens fata in contraria, pacem
Ordine sublimi harmonicæ seruandoq; legis.
¶ Nec quia naturæ in gremio non optima quæq;,
Et sua monstra parit species non una, licebit
Artificis carpas molimina tanta potentis;
Quidquid enim exiguum est, imbecille, inq; minutũ
Totius incurrit complendam ad nobilitatem.
Numquid enim pictura tibi tunc optima fiet (get?
Quando aurũ aut Tyrius color optimus undiq; ful-
An non & furua é nebula micat optime? an ullus
Esse gradus poterit qui pro serieq;, locoq;

Corpus

Corpus ad integrum bonus haud sit & optimus ipso,
In fine, ac toto: ut vix nunc reputabitur usus
Vllius esse ulli quia non confertur, at in se
Prospicuus facieq; tenus venit obuius vni &
Sensibus in specie cui non adcommodus exit,
Quó mage diuersæ adpositus venit adgeneusq;.
Harmoniam nec vox quamuis clarissima conflat,
Altaq;, perspicué peracuta, sed ordine in uno
Tot medijs iactu inter contraria prorsus;
Nobiliter tanto magis ars præfulget, & alté
Incumbit, quia quisq; sonus variantior exit
Longedo, breuitas, cursus, mora. scansio, casus,
Progressus, repetitio, continuatio, pausa.
Proinde quibus templum, diuinaq; machina tota
(Proxima quãdo etiã pulcherrima mẽbra vidẽtur)
Subsistunt parteis nihilominus anteriores
Simplicior quibus est substantia. principijq;
Plusq; elementorum sunt proxima conditioni,
Ipsa procuddubio mage sunt informia semper,
Quæ si prospicias facilé & contemnere possis.
Porro si ad seriem veniant conlata sagaci
Iudicio variam, illam virtutemq; perennem;
Cunctarum extolles primordia nobilitatum,
Queis sine nil pulchrum, nihil est spectabile, nullum
Esse bonum, magnum, perfectum dicier ausit.
Nil ergo incusa sapiens, contemnito nilq;;
Si quid enim non sit perfectum sensibus, ipsum
Stat perfectiuum, aut perfectile, perficiensue

PErfectũ distinguitur in idquod simpliciter, & id quod in genere. Perfectum simpliciter est duplex in essentia videlicet & in imagine. Primũ est quod in toto & in omni parte totum, secundum quod est in toto totum. Primum est diuinitas, intellectus vniuersi, bonitas absoluta atq; veritas, secundum est corporeum illius immensum simulacrum. Perfectum in genere definitur quasi factum suis pro capacitate numeris absolutum; fini, ad quem potest ordinatum esse, copulatum. Omnium horum respectu secunda quadam ratione simpliciter perfectum dicitur uniuersum ex mundis totque veré numinibus illustrissimum in quod innumerabilia in suo genere perfecta tamquam unum perfectionem omnium complectens reducuntur, referũtur, vniuntur. Horum quippé nullus est mundus sigillatim, vel mundorum synodus, vel synodorum quantuscunq; numerus qui præcipua quadam ad deum collatione referendus sit, sed tantum mediata quadam per immensum ex innumerabilibus & infinitis simulacrum, imaginem, ideam vnam, verbum vnum omnia portans; speculum incomparabilis sapientiæ, potentiæ, atq; bonitatis.

¶ Nihil est absoluté imperfectum, malum; sed ad aliquid tantum: omnis substantia absoluté est bona. Principia sunt ipsa rerum substantia quæ semper manent: tamen per ordinem aliquorum respectu & deordinationé respectu aliorum, perfecti & imperfecti boni & mali accidentales compositiones & nomenclaturas accipiunt. optima enim quæq; ordialiter in ijs quæ abiectissima vilissimaq; censentur inexsistunt: ut in pictoris pixide colores contemnuntur qui mox in ordinem picturæ explicati momentum illius præcipuum cum efficiente continere videbuntur.

IOR-

IORDANI BRVNI NOLANI, DE MAXIMO ET IMMENSO, LIBER III.

CAPVT I.

Vt Peripateticorum ſimiliumq; philoſophantum ſenſus á principiis perinde ſe habeat atq; puerorum: quos eodem inſtituendos ordine ſuſcipimus, quo nos optima mater erudiit natura.



IC quondam puero mihi mons peramœne Cicadæ
Cum gremium geniale tuum primæua foueret
Viſcera, blandiri tua lumina ſancta recordor.
Vt fueras hedera, & ramis redimitus oliuæ
Et corni, & lauri, & myrthi, rorisq; marini,
Caſtanea circumcinctus, quercu, populo, ulmo
Coniugio uiuiferæ vitis fælicibus, utq;
Ruuida porrexit teneræ manui manus uuam,
Indice diſtencto dixti mihi: Reſpice ad Auſtrum,
Reſpice germanum mihi ab illa parte Veſæuum
Germanus meus, ille tibi quoq; uult bené, credis?
Si te illuc mittam, nunc dic vis ire? manebis
Cumq; illo poſthac. Vitreis tunc uerſus ocellis
Proſpectans formam informem, relegensq; figuram

Furui duntaxat cumuli. Dorso ille repando
Dixi, ille incuruus dentato tergore cælum
Contiguum findens? toto discrimine mundi
Hinc abstans, fumo turpisque umbrante nec ullis
Muneribus pollens, nec enim sunt poma nec uuæ,
Nec dulces illi ficus: caret arbore, & hortis
Obscurus, tetricus, tristis, trux, uilis, auarus.
At tu subridens, Tamen est germanus amansq;
Ille mei, atq; tibi bene uult. Vise ergo, nec eius
Blanditias contemne, scio nihil ille molestum
Quod tibi sit faciet, nolensq; manere redibis.
Ergo ubi adesse datum est illic, propiusq; tueri
Vesuuium Baccho celebrem, multoq; superbum
Arbusto, ubertim é ramis pendentibus uuis,
Fructibus omnigenis, varia quos alma figura,
Atq; colore parens promit natura, benigno
Adspirans cælo patriæ, nihilumq; deesse
Illi, quas noram rerum; proin pluria centum:
Attonitus nouitate meos tunc arguo primum
Mendaces oculos. Dumq; hæreo num mihi fors nunc
Imponant falsa specie, festiuior ille
Germanus tuus, ille patrem Campania fælix
Quem vocat, ingentis clypeo qui corporis Austri
Inuisum auertit chara à regione rigorem;
Et iubet ut furiis quas Scylla atq; atra Charybdis
Suggeßit, positis, huic mitior irrepat orbi;
Vlnis me exceptum refouens, uariisq; coronans
Frondibus, & palmas ignotis fructibus implens,
Atq; sinum, memini insciolum ut ridebat, auitum
Ingenio officium pueri dum præstabat auaro,

Linquit opus tunicæ puerilis fimbria, curam
Fæmora non ullam innectant nudata. Sed alté
Arboreis gaudens opibus, inhiansq; recepi
Auribus hæc placido senior quæ protulit ore.
Heic remane ergo tuiq; lares contemne Cicadæ,
Diues opum quam sim cernis cultoq; renidens
Aggere, quam pleno mihi gestit copia cornu.
Hinc oculos aduerte tuos spectato Cicadam,
Extremum tenet ille meus germanus, ut atro
Vertice contingit cælum piceiq; coloris
Veste tegit fuscos artus, humilisq; pudensq;
Cerulea inuoluit miserum caligine corpus.
Tunc ego: Talis eras & tu, tua ad arua priusquam
Venissem, similisq; tibi spectabitur ille
Præsentem cum me accipiet. Sic inde recedent
Et nebulæ, & cælum, mundi mediumq; redibit
Rursum illuc mecum, ut semper comitatus ab ipso
Accessi, mecumq; ubicunq; manente remansit.
¶ Sic puerum docuere prius dubitare parentes,
Et veluti rerum faciem distantia mutet
Seruatis rebus sibi per totum alma & ubiq;
Naturæ constet maiestas, nec meliora
Tam facilé aut peiora putem distantia, quam sunt
Proxima, ut & tandem cælum nos esse repertum
Sit mihi, quam sumus ijs qui cælũ sunt quoq; nobis.
Telluris quacumq; siem in regione videbo
Esse mihi Occasum parili distantia & Ortum.
At quoniam hic, idem vultus mihi subuenit illic,
Cautior en sensus comprendo conditionem,
Qui quoniam radios circum undiq; proijcit æquos,

Viribus atq; æquis æqué contendit in omneis
Diffuſus parteis, ſpeciem ſic ipſe figurat:
Nempe ſibi hic finit ſpacium, non ſe ſpaciumq;,
Quo per ſe ſine ſine capit quocunq; recedat.
Non ideo viſus mentitur, nam ſibi quantum
Poßibile eſt æquis radijs monſtrare reportat;
Et quocumq; abeas menſuram ſeruat eandem.
Defectus rationis erit præſentia tantum
Cunctarum quæ ſunt rerum momenta putare,
Vt multi aſtrorum tantum iſthæc maxima credunt
Quæ propé ſunt, ſtellas non maiore eſſe figura:
Vt quoq; Tellurem medium rerum eſſe putarunt,
Cum tamen inueniam mediũ in toto omneq; parte,
Partibus ut cunctis pariter pars quæq; relata eſt.
¶ Ergo non certa finitur margine cælum.
Aſt facile ætherea hæc regio, ſtellæq; per amplum
Tenduntur ſpacium ſine fine: nec inde neganda
Quod breuibus non ſint ea ſenſibus obuia, ſi quæ
Vltra ſtelliferum conuexum contineantur.
Et quia Ariſtoteles arctatum corpus habendum hoc
Finibus apprendit quia ſat conuincitur illud
Interijſſe vagi ſubiectum temporis: unde
Et trepidans turba eſt quæ illius ſenſibú adhinnit,
Cum trepidet miré ſubiectum temporis illud.
Eſt operæ ergo almo doctori mobile primum
Iam nonam ac decimam ſphæram ſupaddere nullis
Illuſtrem ſtellis, ſed motum ſuppeditantem,
Vndecima eſt nouiter ſuperaddita ſubſidiatrix:
Nec data propterea eſt populo pax grata ſophantũ;
Nam duodena caput iam iamq; efferre videtur:

Ma-

Insanus medicusq; ignem succendit, ut inde
Innumeræ simul occurrant concentra reportans.
Istis nimirum tanta est confusio adorta,
Namq; apparentis mundi vertiginis huius
Qua definitum est tempus generale diurnum
Principium tribuunt huic quæ supereminet omne
Sphæræ constanter: sibi nec adeó usq; propinquum
Agnoscunt, velut infœlix Narcissus in vndis
Subiectis speciem complecti tendit; at illa
Proxima cum tam sit, frustra tam quæritur extra:
Et magis atq; magis protendens brachia & ultra
Amplius adproperans tantó illam cernit abire:
Quoq; ipse accedens, hoc longius illa recedens.
Interea occurrit, ridenti adridet & ore
Oscula quæ hic parat concinnat & illa vicißim
Vt præter planum nihil hunc siet inter & illam.
Ergo ubi complexu hic uotum concludere tentat,
Turbat aquas, species & spes confusa recedunt,
Vt tandem noscat uanum simulacra laborem
Iniunxisse viro, quia proxima prætereundo,
Vt sua seq; suos fines exquireret ultrá
Deuius infælix tam longius exulat á se
Quam spaciosa magis sibi cæli templa subire
Suadet & augustam diûum pertingere in aulam

VT philosopho ea credenda non sunt, quæ nequeũt euidentius probari; ita neq; temeré sunt reprobanda, quæ certa non posſũt incusare ratione. Esto (ut penes me nullo est pacto) dubium an universum ponere debeamus terminatum nec ne? Cum cõ-

ſtet ſingulorum quemlibet eſſe finitum, ſic credendum colligemus uniuerſum eſſe non immenſum, ſicut ex eo quod hominum ſinguli moriuntur & naſcuntur, ſic & humanam ſpeciem exortam eſſe atq; interituram: quod etiam ſecundum Peripatetica principia eſt abſurdiſsimum cui ſuppoſitum eſt ut hoc pacto ab indiuiduo ad ſpeciem argumẽtando deducere non liceat. Ariſtotelis profecto rationes omnes utut valere (cum tamen nihil valeant) apud aliquem hebetioris capitis & obtuſioris ingenij quam ut robur noſtræ doctrinæ queat intueri, poſſunt tantum reſpectu indiuiduorum particulariumq; mũdorum concludere, ubi de mundo ſimpliciter & uniuerſo quæſtio eſt: omnia quippe argumenta quæ ſunt ex motu, ex differentijs ſurſum & deorſum, extimi & intimi, centri & circumferentiæ, actionis & paſsionis calidi & frigidi, rari & denſi, grauis & leuis, ſunt paſsiones finiti, nec probant ſed ſupponunt finitum, petunt finitum, accipiunt finitum. Vniuerſam igitur Ariſtotelis ſubtilitatem tenuitatẽ inanitatemq; contemplantibus apparebit (etiam nullis á cõtra dicente adductis rationibus) pro quam perdita cauſa ſuſceperit patrociniũ

¶ Si á infinitũ uniuerſum profitẽte quęratur, ubi eſt uniuerſum? In infinito ſpacio, reſpondebo, Vbi eſt infinitum ſpacium? Nuſquam, ubi ſit terminus, Vbiq; ſine termino neq; eſt quod tanti ſpacie terminum queras complectentem, vel aliud ſpacium in quo collocetur & á quo recipiatur. Vbi vero tu terminatum dixeris vniuerſum, neq; noſti ſpacium á corpore diſtinguere, neq; locum ſeu interuallum intelligis quod occupet; neque quod in occupatũ extra illius conuexitudinem prædicemus; quid reſpondes interroganti ubi eſt vniuerſum? In ſe ipſo. Vbi eſt ipſum? In ſuis partibus. Vbi ſunt ſuæ partes. In toto. Vbi eſt totum? In ſuis partibus iterum, in ſe ipſo, immo etiam nuſquam. Quare? Quia extra vniuerſum nõ eſt locus, neq; ſpacium, neq; vacuum, neq;

cor-

corpus. Hoc ultimum quod nunc dixisti ostendas velim,& videamus uter nostrum meliorem adferat ratiōnē. Quare extra vniuersum nō est locus,spacium vacuū corpus,motus,tempus? Responde tu;Quia hæc omnia sunt passiones corporis, vel sunt partes corporis, vel corporis circumstantiæ,vel ipsa corpora;ideoq; ubi nullum est corpus ibi esse non possunt ullo pacto : totum veró corpus quod vel simplex est vel compositum est ultimi cæli superficie conclusum. Quare conclusum? Quia tota corporea materia est intra ultimi cæli superficiem. At ó philosophorum & logicorum omnium coryphæe, Numquid nō tibi æquipollere vidétur,propositiones istæ quibus probas, quas pro principio inquam accipis,illi quam pro conclusione habes ? Conclusio est hæc colligenda,Ergo vniuersum est finitum. cui certé æquipollent Vltimum vniuersi conuexū est,Vniuersum & globosum cuius centrum tenet tellus,Vniuersum circulariter mouetur,Vniuersi finis est motus diurni temporisq; subiectum,Tota rerū materia est finita, Totum spacium est finitum,Extra istum locum nō est locus,Extra istud temporis subiectum non est aliud. Ita semper hæres in principio eaq; assumis quæ cum ipsa conclusione æquiualenter omnino refutata sunt,quinimo sunt ipsa conclusio, sunt inquam quæ nihilo præter quam voce á conclusione differant penes eos qui præter auditus sensum etiam alicuius intelligentiæ sunt participes.
¶ Nunc si lubeat quęre á me,Vbi est locus,spacium, vacuum,tempus;corpus? In uniuerso. Vbi est uniuersum? In omni loco,spacio , tēpore corpore. Extra uniuersum est aliquid? Minime. Quare? Quia neq; locus neq; spacium,neq; motus , neq; corpus. Quare nec spacium est neque corpus? Quia hæc omnia in uniuerso. Cur non & extra uniuersum? Quia nihil est extra. Cur id? Quia infinitum est.Quare infinitum?Quia non est finis quem vel possis ostendere, postquam aliud ad aliud semper

finiri sensus & nostrę rationes confirmarūt postquam a-ctiuam pasśiuamq; , concupitiuā expletiuamq; potentiam sine termino necessarió esse compertum est. ubi tibi sine causa Deus infinitæ virtutis volens & efficiés est finitus, ut est agere potens quod nunquam aget neque volet, & consequenter potens facere quod non vult, potentiā aliam immo & contrariā habens voluntati, & voluntatem potentiæ contrariam. Vbi nos potentiam pasśiuam actiuæ correlatiuam agnoscimus, & nullam esse potentiam quæ non referatur ad æque posśibile definimus. Vbi nihil prohibet ab uno infinito principio (cui non sit plus difficile facere duo quam vnum finitum, & innumerabilia quam duo) infinita in eodem genere perfecta multiplicata prouenire. Vbi si ab uno non oporteat esse nisi vnum, cur non tanta ab unitate tantum erit unum? cur effectus vim suæ causæ referendo mentietur. Potest equidē (inquit Præsbiter) facere infinitos mundos sed natura non est capax, materia non est tanta, infiniti mundi fieri non possunt quia hic est tota materia. At ó Reuerendisśime cur non & tantundem materiæ & tantundem spacij non potest esse sub eadem potentia? An non & ego de infinita possum præsumere potentia: possum quippe infinitos homines generare: sed infiniti á me homines non possunt generari, quia finita est materia seminis, finitum est tempus, finitæ quæ submitti possunt genitrices. Nugator ego tibi? cur non & mihi tu, qui eius rei potentiam actiuā in Deo ponis, cui nullam potentiam pasśiuam respondere asseras. Differt (inquis) diuina potentia, atq; tua. At non ita inquam tuę nugationes, atq; meæ. ¶ Sed interea ambo (amabo) distinguamus in eorū quæ mobilia sunt, sphęra, agēs naturale quod tota virtute efficit, ab agente volūtario quod moderata. Subindeq; credamus agens illud volūtariū quod est diuinum & immutabile, inquo voluntas cum virtute nó repugnat, & cui virtus pro uolūtate satis est,
immo

immo ipsa est voluntas: quod sicut non potest velle nisi quod vult, & non potest á sua immobilitate, vnitate & simplicitate deficere, ita non potest façere nisi quæ vult. Neque distinctionem potentiæ in absolutam & ordinatam vel ordinariam introducamus illó ubi non libertatem protestetur sed implicet apertam cõtradictionem. Est perfectio in nobis (si ita placet) ut possimus multa facere quæ non facimus. Blasphemia veró est facere Deum alium á Deo: volũtatem eius aliam atq; aliá, unã quæ currit cum potentia, aliam quæ abhorreat á potentia, in melius contradictoriorum alterum, vel deterius.

CAPVT II.

Melioribus alis in cælum manuducimur. Moxque nos constitutos esse in cælo comperimus.



Miserande senex tanto cui tempore cælum,
Sideraq; & mundi series spectabilis huius
Ante oculos vicibus tantis repetendo dedere
Materiam sensus: tu pronus lumine, & aure
Naturæ á libro, á luce, á voce reuulsis,
Scrutaris nubes, nebulosa volumina vertens,
Cernuus, incuruus, gibbosus, pandus, Athlantis
Instar, ut est cæli suppressus pondere, cuius
Aspectu careat, Stagireo é flumine monstra
Phantasiæ nassa expiscaris stultitiarum;
Vt sensum infantis multa ratione refixum
Amplius insolides: doctorem ut funera tantum
Tandem cum pompa excipiant; & spiritus illas
Aduolet

Aduolet in quintas naturas, ſcilicet aſtra.
Eia age ó venerande ſenex requieſce, repone,
Tandem reſpira, & cælo meliore fruare:
Erigere, & clauſo hoc demum de carcere prodi.
Quid non te docuit ſaltem dubitare repertus
Totum per gyrum ſimilis Telluris horizon,
Ne quoq; ſidereæ reliquas regionis ad oras
Aſſumptus mundum videas in imagine eadem,
Totius ut medium rurſus videare tenere?
Num quo non pedibus liceat Telluris ab orbe,
Non iuuat ingenij curſum intentare per alas?
Eia igitur fingas primum (ſi nolle fateri
Certum eſt) confingas inquam te linquere noſtræ
Telluris ſedes, & rectá ſcandere verſus
Finitimum Lunæ corpus. Dic numquid eunti
Surſum (ſi ſurſum liceat plus dicere forſan)
Accidet ut magno conſurgat corpore tellus
Amplius? an maior terræ apparebit horizon?
An non quam multum creſcit diſtantia, tam ſit
Tenuius hoc oculis corpus ſpectabile coram;
Ne vultum illius cæli populetur imago;
Amplius ut nullus veniat ſubiectus horizon,
Luminibus cæli eſt ubi pars expreſſius acta
Maior. Nec multum eſt opus ut tollare superné
Vſq; adeó, quo ſit Tellus ſub imagine Lunæ;
Nam tibi diſtanti ſaltem ad ſex millia paſſûm
Arboris aut montis ſpecies non ulla manebit;
Sed globus obiectus tantum vel circulus atris
Diſtinctus maculis, obuerſi ſpicula ſolis
Quales admixta tenebris cum luce colorant

(Nam

(Nam ſecus in nubis formam conſurgit opacæ
Cælantis rutilas concreto corpore ſtellas,
Qui ſemper magis atq; magis tenuetur, ut altis
Amplius adpropians ſcandendo receßibus, unde
Tum demum in ſtellam recidens ſublimia ſolis
Atria claudentem conceptet munia noctis:
Nempe ea ſubiectus tantummodo portat horizon
Qualem ſi Lunam teneas dabit orbita Lunæ
Si Venerem Veneris, ſi Solem Solis abundé.
Vt tot diſtinguas candentia ſidera mundos
(Quos cæli é media nequeas regione videre,
Vnde operæ eſt tantum ſuffundi lumine Solis,
Atq; ubi non niſi congenea cum lumine Solis
Natura, valeas minimo conſiſtere puncto)
Accidit interea ut tibi dum tenuatur horizon
(Si licet hanc ſpeciem proprio hoc tūc nomine dici)
Vt melius formam integri diſtantia maior
Interea explicitet, quia quamuis mole minore
Occurrat, ſpecies plus attamen illa figuræ
Obÿcit ante oculos quia maiorem explicat arcum
Quo magis á tanto ſecedit corpore viſus.
Ergo maris tandem ſpecies terraq; ſubibit
Ordine quo mediam ſphæram compingit ab alto
Spectandam, & tenebris ſic mixtam cernere lucem
Conueniat, veluti facies maris inſita ſolem
Concipiet, terræ ſpeciemq; adpoſita reportat.
Amplius hinc ſi te exportes plus, pluſq; recedens,
Et forma & moles pariter tenuabitur ultró,
Vt tandem ſpecies prius abſumatur opaci:
Et quod ſplendenté partem á ſplendente reuulſam

Mon-

Monſtrabat,nulla tumdemum in imagine fili
Suppreſſum faciat partem cum parte videri
Continuā:ex toto hinc ſplendēs reputabitur aſtrū.
Verſus quapropter terram é regionibus altis
Nunc illam aſpiceres variæ ſub imagine Lunæ,
Vt Lunæ Tellus,Telluri Luna viciſsim
Sint cælum,infernus, medium,extremumq;,in eodē
Reſpectu ad Solem,vicibus, luce,atq; figura;
Mercurio Veneriq;, Venus ſit Mercuriuſq;
Et mole,& forma,& motu quia non mage ſolis
E'radijs Veneri Tellus Lucinaq; diſtant,
Quam ſit Lucinæ & Telluri á ſole remota
Alma Venus; ſenſuq; ſuo proprium atq; alienum
Confundunt motum, niſi vis rationis ab acri
Vſu edocta ſibi atq; alijs quod conuenit apté
Concipiat ſiquidem ſic circum verſa videntur
Omnia telluri velut ipſa intra omnia verſa eſt.
Sic etiam ſemper motus ſubiecta laterent
Ni veré immotum ſit conſtituibile quiddam,
Cuius ad aſpectum mundi diſtinguere motus
Apprimé valeas.Nunc quidnam certius eſſe
Hoc ipſo poterit quo perſtante omnia certa
Motus concipiant proprij diſcrimina? Nonne
Præ cunctis reputare licet ſolum ut ſiet Vni-
Verſum.Num non eſt ea mater ſtultitiarum
Vt ſpacium immenſum nullo ſpectabile fine
Mundis diſtinctum innumeris,quos dicimus aſtra,
Vſq; adeó magnis ſibi ſufficientibus exſe
Aut rurſum exalio quod ſit virtute propinquum,
Continuum efficiant unum verſabile circum

Hunc


Hunc punctum; usq; adeó immensis gyrisq; rotetur
Tempore tam modico, quam cõuenit ut si et ipsum
Inuersum circa proprium proprio ordine centrum,
Quo mortem fugiat, vitæ fructusq; reportet
Feruenti á segete spiculorum viuida Solis
Quæ virtus plenum circum iaculatur in orbem?
Sic igitur Lunæ si constituaris in orbe,
Quod proprium circa centrum vertatur; habebis
Hanc ipsam rerum te circum conditionem,
Consimiliq; modo, fias ubicunq;, videbis
Te circum rerum faciem constanter eandem:
Et semper proprij in cunctis imitamina motus.
At veró Solis quando de sedibus omne
Quod circum est motum lumen spectare liceret
Tunc plané facile esset eorum apprendere leges;
Nam medius synodo est mundorum finitimorum,
Quorum natura est Telluri consimilaris
Naturæ & specie consistunt partibus iisdem.
Indeq; prospectans alios circum undiq; soles,
Tantaq; constanti videas plantamina luce
Si manet omnino, ut Samij dixere, quietus,
Nec tam distanti circum é regione uolucres
Hæc circum, veluti circum te errare videbis
Lumine quæ non sunt tanto neq; corpore tanto
Vt nostræ Telluris in regione propinqua
Et reliquis Tellus simile astrum comperietur,

SI versus abstantes ætheris partes á Tellure daretur auelli, nequaquam continget horizontis crescere molem: quanto quippé á Tellure magis elongabe-

re tanto visualis augulus super eadem basi minor efficietur ut patet super basi A A productis triangulis á pũctis 1.2.3.4. Ideoq; oculus quanto magis á specie visibilis magnitudinis absistit tanto minor angulus ad easdem, tendit extremitates basis cuius angulis magis atq; magis ad rectitudinem accedentibus, tandem & angulus in oculo nullus est; & basis nulla & totus triangulus in lineam euanuit. ¶ Extra umbram quoq; Telluris constitutus non videt aliam lucem nisi solis & informis admodum diei. Vmbra quippé noctis est quæ facit videre stellas & umbra dici quæ sit ex luce solis cũ tenebris Telluris admixta alios videre facit (qui ex duorum istorum contrariorum contem peramento proueniunt) colores. Ergo si in vacuo extra Tellurem æthere esse liceret, nihil esset visibile præter tristissimum infaustissimumq; solem, & alio sensu nihil præter ipsius calorem esset sensibile; quem neq; vastissimum Telluris corpus, nisi rapidissima reuolutione sustineat: quocirca ibi non est ulli peregrino præterquam astris consistere possibile. Ideo physicé iudicanti non inuenietur fælicior ulla statio quam in astrorum corpore, & animalia terrestria præterquam in tellure ipsa vel simili loco nõ possunt usquam fæliciter consistere ¶ Sed redeamus ad ea quæ paulo antè sumus adorsi. Interea dum horizontis species per maiorẽ recessum tenuata videbitur, accidit ut visus quãto magis eminus est cõstitutus, tãto maioris arcus globi superficiẽ finientis speciẽ apprehendat ut ad hemisphęrij tandem integrũ (sufficienti elongatione facta) deueniat aspectum. Vbi quia aquea terreaque astrum est superficie distinctum; accidit ut ad obiectum solis maria inter continentes aridæ partes & insulas interluceant: atq; informis corporis opaci figura ex cõterminatione lucidi corporis est conspicua. Hoc quod dicitur, in subiecto facilius schemate demonstretur.

Ibi

TYPVS IN QVO OSTENDITVR QVOmodo recessu sursum ita horizontis diminuitur diameter; ut & aspectus hemisphæricus, & circumferentialium Telluris partium augeatur.



Ibi ſpecula horizontis artificialis (quem appellant) eſt II, cui reſpondet arcus globi AA. Horizõ primæ (quam accipimus) diminutionis eſt 2, 2. cui reſpõdet arcus globi B B. Horizon tertiæ diminutionis eſt 3. 3. cui reſpondet arcus C C. Horizon quartæ diminutionis eſt 4. 4. cui arcus D D reſpondet. Ita dum tenuatur horizon, etiam certa analogia comprehenſio arcus uſq; ad paralleli diametri cardines E E concreſcit. In qua diſtantiæ differentia vel circiter conſtituti videremus Tellurem ijſdem omnino accidentibus perſpicuam, quibus hinc videmus lunam. Neq; enim aliter Telluris affecta eſſe poteſt ſuperficies ad obiectum ſolis, ad aſpectum lunæ, vel alius cuiuſcumq; loci, unde ab oppoſito contra ſolé loco imago illa reflectitur ſpecularis. Neque enim ita omnia ſituantur aſtra, ut poſsint undecunq; videri præter ſoles, nempe quæ fixa ſunt. ¶ Itaq; quanto angulus viſualis minoratur ex una parte amplius; tanto maior in arcu hemiſphçrico arcus comprehenditur, & horizõ tãto minor magis magiſq; redditur. horizõ inquam, ſi ita liceat nomen illius perſeuerare, qui ex conſueto & proprio ſignificato unus & unius eſt conditionis atq; menſurç. Non ſolum ergo ſublatis á Tellure arcus comprehenſio illa adoleſcit, verum & illius (quæ erat occulta) lucis ſpecies exſuſcitata duplici demergit ratione, & hac qua ad ulteriorẽ baſis oculus procedit apprehenſionem, & hac qua ad oppoſitionem magis atq; magis ſpecularem adpellit. qui enim in ipſo ſpeculo conſiſtit non videt imagines quæ á ſpeculo reflectuntur, ſed ad oppoſitum & eminus conuenienti diſtantia conſtitutus. Lux etenim qua ad ſolem ſplendent aquæ exiſtentibus in aqua non eſt viſibilis : & radios & ſemitas verſus lunam atq; ſolem in undis ſpeculantur, & ea quæ ad illam partem conſiſtunt illis ſunt viſibilia: altiora veró tenentibus totũ reſplẽdet mare. ¶ Sic ergo horizõ Telluris recedẽti ad Lunã uſq; , tenuatus erit in Lunæ ſpeciẽ, & Lu

næ

næ ſpecies adaucta in formam eandem qua Tellus cum ſuo heic ſenſibilis eſt horizōte. Quare & ſic Tellus Lunæ eſt cælum & aſtrum, quemadmodum Telluri Luna. Deinceps videbimus ut & Tellus & Luna Mercurio & Veneri Mercurius ſint atq; Venus, paruæ toto lucentes corpore ſtellæ. ¶ Hoc ubi primum mente comprehenderis ut Telluri ſunt ſimiles undiq; mundi & horum circa hūc eundem ignem (nempe Solem) latentes plurimi, quorum nonnulli videntur aliquando : quæ ratio eſt (inquies) ut potius hæc innumerabilium mundorum corpora ea ſucceſsione gyrum rapidiſsimum tanto circa Tellurem tempore conficiant, quanto mihi mirabile videtur ut ipſa circa proprium conuerſa centrum ad omnium ſtellarum circumſtantium me promoueat aſpectū? Et ſi ſenſus illarū potius motū circū putat, quā Telluris intrá comprehendat, an eſt (rogo) in ſenſus facultate, cum Tellus moueatur, aliter motum illius apprehēdere quàm apprehendat? An nō ubiq; experimur quod cum vehiculo agimur minimé ſuccuſſorio interruptoq, curſu, neq; in aliquam impingentes materiam continuo regulatoq; ducimur tractu: moueri nullo nos ſenſu percipiemus niſi conlatione quadam ad aliquid quod eſt fixum & certó fixum eſſe nouerimus? En ut ſenſum ſenſus inſtruit; immo ſenſu fallentem ſenſus met ipſe corrigit : & urget ne ſibi principium tribuatur erroris illud quod á rationis potius imbecillitate proficiſcitur.

CAPVT III.

Tellurem non eſſe (cum infinitum ſit uniuerſum) in medio, niſi ea qua omnia in medio dicere poſſumus ratione.

SIc ergo in quauis centrum eſt regione videnti
Immenſum ſpacium rationis lumine totum,

Vt cernenti oculi radio qui tenditur æqué
Vndiq; perpetuó medium par obuiat illi.
Et suus ipse locus centrum ad spectabile quantum
Aequalis circum definit linea fluxu:
Simpliciter verò mediam Tellurem aliudue
Corpus, vel punctum non est ratio, neq; sensus
Nec vis naturæ statuens, ut pluribus aptè
Monstratum est alibi. Quod Tellus deinde relata
Ad quodcumq; meat circum é regione propinqua
Sit medium, qua nam poteris ratione probare?
Quo sensu? qua natura? queis deniq; signis?
Vnde nihil capiunt, nihil unde exposcere possunt,
Ad quam non ullis referantur legibus, & quæ
Solem duntaxat nouit rerum esse parentem
Quarum ipsa est mater: simili qua sorte planeta
Indigus est omnis qui circum hæc atria currit
Consimili specie, & concretum partibus iisdem;
Quemq; decet partus simili de fonte referre
Consimiles. Non ne ad lucem diam, atq; calorem
Est ut vertantur potius, legemq; capessant?
Dicito de numero astrorum tanto an foret unum
Quod tibi Tellurem circa confingere possis
Continuè norma physicè discurrere eadem?
Postquam vertigo subtracta est illa diurna,
Qua nihil est quod non quidquid sibi somniet esse
Pergirans quando inuersum se circa erit, ut non
Sentiat esse suum quo abeant illa omnia motum?
Quamlibet hæc medij dum circuit atria solis
Hos nunc inferné videat, nunc esse supernè,
Coniunctos soli nempe, oppositosq;; Ideoq; est

Quod solem circa medium gyrantia & illa,
Nec Lunam tantum mirabere quæ comes & pars
Cum Tellure una est anni circumflua tractu:
Quæ cùm mole siet non multo fortè minore,
Atq; locum soli fuerit plus nacta propinquum,
Non sic inuerso patitur flammantia dorso
Quæ capit ad vitam reuolumine spicla diurno:
Sed mediam circa terram conuersa receptat
De tota lucem facie, & contemperat æstus.
Phantasiæ nec te crudelia tormina tantum
Perturbent, sibi quæ capitosa proteruia finxit
Inuitis astris, atq; omni luce, volentum
Tellurem circa centrum conuertier omne:
Veraq; cum deessent sibi constipulantia, sanctæ
Contra naturæ lucem farcimina mille
Apponunt, mutilisq; integrant orbibus orbes:
Vt quando à cẽtro amotã hoc plus, plusq; propinquã
Huic centro videant stellam quamcumq; meantem
Hanc ipsam adfixant orbi, qui nec fiet ipse
Hoc medium agnoscens, sed pars siet illius una,
Quod totum tandem membris de talibus exstet
Compositum, nullo certè pro fine nisi ut sint
Stultitiæ acceptata prius fundamina firma;
Indignum esse rati tot commenta usq; perire,
Quæ sophiæ lucem extinxerunt deniq; sacræ.
Porro & si toto est suppressa hæc corpore techna
Cuius Auerroicas tetigit quoq; nausea nares
Cui non cælum astroq; fidem facit, ut cælo astrum,
Nec de confìcto inficiari rebus apertis
Conuenit, ut serues medium grauiora tenere

De grauis atq; leuis natura ignarus, & expers
Luminis, ut nulla rationis lance ministra
Amens mentiris rerum momenta, putasq;
Diuitias sophiæ nebulis inuoluier hisce.
¶ Porro naturæ indiciis de millibus istud
Nempe quod & vobis oculos suffodit apertos
Duntaxat referam, quod per se sufficit unum.
Scilicet est eadem semper pars illa propinqua
Telluri quam per maculas cognoscis easdem,
Seu proprior soli sublato corpore fiat,
Seu depressa magis prope nostras Luna feratur
Auras: quod non accideret, si fixa per axem
Conuersum varios raperet raptata recessus.
Ergo ad Tellurem quo semper vertat easdem
Vmbras, vel proprio se motat corpore, vel si
Infixam vehit hanc epicyclus, te grauiora
Dum leuiora fugis miserande pericla sequantur,
Quando astrum simul hunc motũ perquirit & orbis
Discindens cælum infernum cælumq; supernum,
Aut (quod & ipse negas) tantum per inane feretur.
Sed capias absurdorum (& tibi) utrumlibet horum,
Fingere cogeris rursum caussamq; recentem
Qua facile esse putem magis orbem astrumq; rotari
Astro orbem secum rapiente, astrum orbe vicissim;
Quam si per semet libratum permeet astrum
Principio interno, velut & minima ire videmus
Innumera, in toto parteis omneisq; feruntur.
Adde etiam ni sit discissio tanta, opus esset
Orbem cum stella paruum conscendere, cumq; hoc
Maiorem cui est minor hic adfixus, & ipsum

Qui


Qui terram atq; elementa tibi comprendit oportet
Dissolui, ut sursum scandatq; epicyclus & astrum
Aut secum raptet Tellurem elementaq; circum,
Vt Lunæ corpus circum variare videtur;
Quod quoq; si fiat, distantia non variabit
Astrũ intra & terrã. Reliquũ ergo est ut modo fingas
Astri alium motum, quo conuertatur eodem
Tempore in amplexu parui orbis, quo super illa
Eccentri facie se epicyclus vertit, ut umbræ
Pars eadem reliquis propior seruetur ad orbem
Telluris. Tunc non absurda minora sequentur,
Absurda unde astrum non fixum sic erit orbi
Vt clauus tabulæ sed adhuc dum gyrat habebit
Motorem extra orbes magnum, paruumq; polosq;
Atq; axem proprium cognoscens, illa redibit
Tum tandẽ ad capita, unde prius te auexit, ut ipsum
Componeres cælo rapienti haud mobile per se.
Quapropter propria aut facias virtute meare
Præcipuum corpus, velut & mutilamina possunt:
Aut si motorem cura isthæc detinet extra
Perstantem (quod natura indignum esse putamus)
Dicito quare axi infixum potius rotat, & non
Per sese hoc vectat spaciosa per atria cæli
Cum nulla grauitate ruat, neq; pondere pressum
Esse suo poßit, quo seq; aliudq; fatiget
Aere in immenso positum proprioq; recessu,
Vnde ad Tellurem non plus sese incitet ipsum
Quam Tellus vicibus videantur ad extera versus
Se incilitare, nec est alius Telluris ad illam
Vultus (uti dictum est) quam Telluri siet eius.

Quocirca á ſimili ſi uis perpendere totum,
Reſpice tellurem circum quid ſuſtinet iſtam?
Reſpice quam facile in plano maſſa illa mouetur
Quæ puncto attingit? quanto ſuſpenſa minore
Truditur officio quæ non requieſcit, at imum
Appulſu toto peteret ſi libera fiat?
Aſt quanto demum potis eſt protrudier actu
Quo tibi cumq; libet quando ſuſpenſa ſuo ſtat
Iure, nec ad certos plus pertinet illa receſſus
Quam reliquos? An non minimo quocunq; mouetur
Impulſu ad quaſuis ubi plus ſibi conuenit oras?
Nec tantum externum liceat confingere agentem,
Nempe Syracuſiæ qui maſſam concitet arte,
Sed ſatis eſt natura ſibi bene prouida, qua vel
Fragmen diffugiat contraria, auita ſequantur
Parteis, & conſtent propria in regione, agitentq;:
Ergo eſt perfectum, nihilum quodq; obligat extra.

QVod horizon artificialis ſit tantus non modò facit ſenſus noſtri facultas, quæ nõ magis verſus unam partem ſe extẽdit quàm aliam, (cum æqualis linea & eadem in oculo remanens fixa extremitate una; circa oculum centrum altera ſe vertit extremitate, circularis figuræ deſcribit horizontem) ſed etiam atq; maximé orbicularis telluris figura quę ab oculi acie linea per directum procedente tanto minorem propriæ ſuperficiei partem reddit perſpicuam, quãto minus alté oculus ſuper circumferentię punctum adtollitur. Sit enim circumferentia A B I K C ſuper quam tollatur oculus ab A in E; ab hoc nimirum pũcto ad contactum circumferentiæ extremũ non poteſt videre ultra B, iacta

linea

linea uisuali E B L;& C, iacta uisuali linea E C M. Quod si oculus tollatur in F, tunc linea uisualis non comprehendet ultra fines arcus D G ut patet productis uisualibus lineis hinc quidem E D N, inde verò E G O. Maior rursum erit horizontis comprehensio à puncto H unde linea uisualis non comprehendit ultra fines arcus IK, ut patet productis rectis à puncto H ad horizontis contactum, hinc quidem H I P, inde verò H K Q.



Hinc multæ apud vulgus receptæ reteguntur ineptiæ. una eorum qui de magnitudine horizontis artificialis definiunt, aliis sexaginta aliis septuaginta aliis plurium aliis pauciorum millium passûm ad amussim perfecti vi

ſus: cum tamen quot ſunt homiuum ſpeculatorum ſtaturæ,& differentiæ ſituationum,tot ſint etiam horizontis huius(immo etiam(ut videbimus)maioris,naturalis, mũdaniq;)differẽtiæ. Non eſt autem una cõmunis menſura poſsibilis,per quam de horizõtis magnitudine poſſit uniuerſaliter determinare quiſpiam ad naturam: geometricam veró ad artem ocioſe bene poſſumus per ſingula(quibus linea extra circumferentiam excreſcit) pũcta,ad quanti arcns comprehenſionem geminę ad contactum circuli productæ lineæ deportentur; quod nos ex ijs quę de minimi inuentione ſcripſimus demonſtratiué perſequi docuimus. ❡ Et nimirum perfecto exiſtẽte globo,hæc unica atq; potiſsima eſſet ratio qua de magnitudine comprehenſi circuitus,vel radij, vel diametri à centro horizontis(à reſpicientis nempe oculo) per artem geometricè iudicandum ſit:ſed ad praxim (rebus naturæ ita ſe habentibus) quam ſit id difficilè quis non videt? Altera ineptiarum eſt quod de Lynceo ex hiſtoricis plures prodiderunt; quorum Varro affirmat eum centum triginta millia paſsûm proſpexiſſe, exq; Lybicana ſpecula numerum nauium à Carthagine exeũtium manifeſtiſsime notaſſe. quod certè (ſtantibus paulo antedictis terminis) fieri non poteſt. Niſi & Argonautica fabula illa ſuccurrat quod & parietes viſu penetrarit & ad inferos uſq; viſus aciem tranſmiſerit. Circũſpectius ſane de illo Homerus poeta locutus eſt quàm Varro, Apolloniꝰ, Ariſtoteles, Pauſanias, Theocritus, Valeriꝰ. Ille pro ulciſcendo raptu duarum Lidæ fratris ſponſarum Caſtrorẽ & Pollucem multa ſepoſitos regiòne viſurum, ait montis conſcendiſſe ſummitatem ; unde longius ſpeculatus raptores ſub abiete latentes facilè proſpexerit. Sed incõparabiliter circũſpectiorẽ iudico artẽ diaboli illã, q̃ melius de cacumine excelſi mõtis potuit oſtẽdere omnia regna mũdi quã de antro Trophonij. Sed & illud eſt ad propoſitum addendũ, quod quamuis altum montem

tem quispiã conscenderit ad terrenæ globositatis rationem, non est quod ita plus se ad unius milliaris ulteriorem promoueat aspectum, sicut & altissimus mons vix potest unius milliaris perpendicularem lineã superare. quod facile induci potest ex proportione quam habent partes lineæ A H, quæ est horizonti perpendicularis, ad eas quæ à terminis illarum partium E F H ad ulterioris arcus comprehensionem in contactum circumferentiæ protenduntur, nempe non ita est ratio inter A C, CG, G K; sicut ratio est inter AE, E F, F H.

¶ Dicunt Tellurem esse in medio, & hoc nulla luce demonstrare possunt eorum quæ circumcurrere videntur; neq; enim magnitudinem, neq; motus regularitatẽ eandem planetæ seruant ad illã, sed (& ut omnes quoq; Perpateticis imbuti principijs mathematici obseruant) ad solem. Quod veró ad fixas stellas attinet, diximus ut recedentibus ab hac synodo & in magnitudinem solis alio propter propinquitatem adsurgente astro; sol isto eandem non seruabit molem: si quippe in regione oculi Tauri essemus ille esset nobis sol & circa illum planetæ discurrentes viderentur; solem veró istum in ea qua nobis hinc ille apparet magnitudine appareret; & Telluris planetarumq; istorum non magis sensus ullus esset quã ex hoc loco sensus planetarum illorum esse posit.


¶ Auerrois tempore exorti sunt illi eccentrici & epicicli inter Peripateticos ex quorundam astronomorũ suppositionibus magis ad supputatoriam commoditatẽ adinuentis, quam secundum rei naturam creditis: sed in fulsissimi philosophi ubi cõpererunt variari diametros errantium super Tellure & per cõsequens ruere omnes rationes medij, cẽtri, quintæ essentiæ, regularitatis eius motus (unde æternitas eiusdem consequatur) continuitas, ut si vel minimo puncto intenderetur vel remitteretur ad finem certé tendere natura vel violentia cogeretur. motus quippé naturalis versus terminum magis

inten-

intenditur, violentius veró remittitur. Quinimo tãtam in corpore illo á centro symmetriam circumferentialiũ partium adesse, ut si quis vel quantum est unius formicę pondus uni loco plus adijceret, constitueretur ibidem potentia ad retardandum motum, & consequenter ad quietem totius atq; finem aliquando. Hinc ut succurrerent huic exitio, laborarunt ut aliquo pacto irregularitatem ad geometricam reducerent regularitatem, & erranti á vijs peripateticis naturæ suppetias facerẽt. Quidquid sit hoc (inquit Auerroes) conditio centri & grauis & principia nostra non patiuntur non modo cælum plus minusq; terræ fieri propinquum, sed neque illius partes, præsertim veró astra: quandoquidem ita Aristoteli & omnibus huius generis philosophis ordinati sunt cæli, ut pars circumferentiæ concaua vel conuexa non descendat ad penetrandum partem alterius vel ascẽdat: neq; sit aliquod cælum cuius non sit cẽtrum Tellus, cuius si aliquid Telluri nunc propinquius fiat nunc remotius, (quomodocunq; tibi fingas) effugere non poteris quin motus aliquis sit in cælo vel partibus qui linea recta versus Tellurẽ nõ definiatur, qualis est diametro epicycli, vel quãtitate excentreitatis definibilis; quod quid aliud est quàm principia naturalis nostræ philosophiæ conuellere? Hæc ille super libro de cælo. qui vel inuitus propriæ doctrinæ incõstantiam cum natura tandem animaduertere potuisset quando non ex auditu sed ex visu de stellarum circuitibus circa tellurem voluisset iudicare.

¶ Quod veró astra non sint affixa orbibus: sed suo ipsamet centro, animoque adpellant quo illis conducit atq; lubet, in libro illo, tabellaq; illa quæ est in vultu lunæ optimè legere possumus. Semper enim easdem partes opacas habet versus nos siue in auge sit, siue in opposito augis, siue in q̃buscunq; locis inter sũmi recessus ac cessusq; loca inueniatur. Quod si esset affixa in epicyclo

ABCD cuius centrum est F: tunc ipso deferente corporis lunæ epicyclo moto, differentias situales eadem umbræ portio variaret. Illa scilicet pars quæ corpore lunæ GHNM existente in A, tenet imum, proximusq; Telluri G, eodem astro moto in B, teneret dextrum G; in C teneret supremum G, & in D sinistrum locum G.



At verò aliter omnino euenit: quia quando astrum est in A, pars certa opaca Lunæ tenet imum G, quando est in B, tenet imum H; quando est in C, tenet imum N; quando est

do est in D, tenet imum M. Iam ergo ut umbra illa semper in eadē saluetur habitudine & analogia versus Tellurem, oportet credere motum illum non esse epicycli, in quo eo pacto sit affixum astrum, sed omnino centri ipsius met astri. Quandoquidem frustra fugis incommodum tibi quo astrum per se moueatur; ut maius incommodum subeas quando epicyclum cū astro affixo eodē omnino feratur ordine, quo solum sine epicyclo astrum moueri dicimus, unde maioris adhuc corporis penetrationem per æthereum cælum cogaris cōfiteri, quam negaueris.

Quid ergo? Ad nouam modo te confugere oportet phantasiam, ut scilicet fingas epicycli incauam esse sphęrulam, & in eo lunę corpus receptaculo ita opposito ordine circa proprium centrum circumuerti, ut æquali tēpore epicyclus circa F centrum conuertatur, atq; lunæ corpus circa propriū. Nempe dum epiciclus circa proprium cētrum F quadranre circuitus promouet partem A in B, eodem temporis interuallo pars illa opaca corporis quæ erat in G nobis proxima, facta est in nobis proximo H. similiter deinceps eadē epicycli parte tenente C eadem lunæ pars teneat N, illa tenente D, hæc teneat M, illa tandem conuersa in A, hæc iterum sit in G.

Quod si ita est iā non erit astrū pars cæli, seu orbis, orbi cōtinua, inter quā & orbē nihil intermediet, sicut nodus in ligno, quod secundū varias partes densius est atq; rarius hoc eiusdē continuitati nō præiudicante. itaq; cū vulgata Peripateticorū physica nō cōstabit mathesis, neque cū mathesi physica illa. Quod si propriū motū per se ipsum suamq; met animam habebit astrum: iam & illius partes linea recta (nempe eiusdem diametro) definientur accessum habere & recessum à centro, quod est à peripateticis (ut cum Auerroe diximus) alienum. Præterea quæ laboriosissimè vana stultitia hæc, ut malis post tot turbas hūc motū astro tribuere quā unicū illum

mo-

motum qui sine reliquis aliis tum ratione, tũ natura, tũ supputatione facillima consistere potest? presertimq; eo te adigat necessitas, quandoquidem non alijs tibi de causis conficti sunt orbes, & orbes in orbibus, eccentrici, epicycli, sphæruli, gyruli, & si qui succurrere possunt alij, ne astrũ per se moueri facias, sed cum cælo. Iam post tot fugas & nugas vides ut cogaris stellam à propria anima intrinsecóue vel saltem immediatè adsistente moueri, quod sicut eam potest inrotare, cur non melius circumuehere? quid enim repugnat in spacio? An non sufficientissimas habes rationes à sensu naturaq; rerum desumptas quibus per se sine difficultate ulla, astra non aliter se habeant in cælo, teneantq;, quã similiter astrũ hoc quod nos incolimus Tellus? At quę rationes studio errare volenti sophistæ satis erunt? cui non quod satis est atq; lux ueri, sed vel vincere, vel pertinaciter hærere, vel fugere, vel deuinctum tandem importunè sensus omnes abnegare, & erumperè in illud. Tu'ne cõtra Aristotelem? contra tantos? aduersus tales? malo cum illis errare quàm intelligere tecum.

CAPVT .IV.

Tellurem non magis esse cælũ Lunæ quã Luna est Telluri. Quę à nobis ascendunt, Lunaribus descendũt, & ita informem esse Telluris superficiem lunaribus, sicut nobis Lunæ. Maculas in Luna esse quod continens in Tellure, lucem verò quod mare.



Tqui propositum rursum repetamus ut astrum
Quodcunq; excipiat mundo hunc qui ascendit ab isto,

Illi

Illi descendens certé reputabitur æqué,
Acsi quis mundum ex illo peruenit ad istum:
Namq; ita nos sursum sumus ijs, ac fulgida stella,
Vt sunt ij nobis: & non variabile cœli
Præbemus specimen, medium retinentibus illis;
Vt nobis medium cælum retinentibus ij sunt.
Ceu syluæ quacunq; sies in parte, videris
(Si non finita consistat margine) semper
Arboris in media truncum statione tenere,
Quem circum tantum currunt animalcula, cuiq;
Conueniat varijs vultum pro casibus esse
Commotum, ut montem video variare propinquum
Et vultum, atq; habitus anni per tempora; at illum
Longius abstantem similem esse per omnia secla
Contueor, cui adproperans infantis inani
Olim me inueniam sensus meditamine tentum.
E'lunæ specula huc igitur si aduertere lumen
Concessum fuerit, quod tu concedere posses
Ipse tibi sapiens, mentisq; profunda reuisens,
Quid (rogo) comprendes aliud quã lumẽ & umbrã,
Oppostum ad solẽ quæ dat mare, & insula semper?
Horum permultis loca sunt variantia seclis
Pauxillo, ut vix cognoscat generatio præsens:
Qui fit ut & poßint discrimina tanta videre
Longinqua usq; adeo spectantes é regione?
An non & nostrum est ijs inuariabile seclum?
Præterea reputas tibi tantam ibi posse videri
Lucinam, quantam esse vides de partibus istis?
An non ingentem in mundum consurgat oportet
Corpus, quod quamuis distantia tanta pusillum

Obis-

Obiectet quanta ingentem Telluris adumbram,
Sic se habet interdum, ut comprendat prætereuntis
Maiorem formæ partem, monstretq; rotundi
Corporis effigiem: poteris modó credere certus
Hoc sensu dictante tibi non esse minorem
Isto illum mundum: nisi qua ratione videmus
Quacunq; in specie perfecta animalia, quorum
Hoc maius, minus id, non multó hæc attamē absunt
De puncto eiusdem mensuræ quam ferat una
Atq; eadem species minimum magnumq; capessens
Hunc intra, atq; illum, fine qui haud longius abstāt
Quā perfectus equus magnus minimo obstat ab uno
Perfecto. Tamen heic est demonstratio nulla
Qua Terræ ac Lunæ quis possit differitatem
Finire ut moli moles collata cluescat.
Non tamen est dubium quod si Telluris ab illo
Corpore spectemus corpus splendentis, opaciq;
Omnino hæc eadem accedentia comperientur.
Exiguumq; esset corpus quod corpore Lunæ
Lumine deficiat, quoties solem inter & illam
Ponitur; eclipsis Terræ est Lunaribus illo
Tempore quo Solis Telluri eclipsis habetur:
Consimili Lunæ specie Tellusq; refulget
Spicla reflectendo vitreo de corpore ponti
Oppositam ad partem conspecto á Sole recepta,
Vt quoq; nocturno Telluri Luna fauore.
Ergo quod & tanto spectas in corpore opacum
Ne credas aliud quam quod Telluris opacum est;
Quodq; in ea Solis tantum obiectamine fulget
Ne reputes aliud vitrei quam corporis actum,

Quali etiam Oceani Tellus de partibus illud
Reſtituit ſpecimen quoties Solem quoq; tergo
Luna vel é laterum concepit partibus, ut ſit
Nunc Tellus pleno ſplendens ſpectabilis orbe,
Nunc una ex parte, ex aliaue in cornua ſurgat,
Nunc Soli coniuncta ſiet, contraq; repoſta.
Illinc Tellurem ſic circa errare videres
Et variare vices cum ſole, ut cernis ab iſto
Aëthereo Solem puncto & variare Dianam.
¶ *Iam quoq; dum Tellus tantum per inane vagatur*
Non facile aſpectum credas variare micantes
Ad ſtellas miro quæ diſtant interuallo:
Nam quantò á centro gyri ac Sole abſtat, habetur
Exiguum, ut tanto fiat vicinior illis,
Quam quoq; per multum moles mutabilis exſtet:
Namq; nauis raptim mare ubi percurrerit altum,
Stare putatur ei multum qui diſtat ab illa
Corporeq; exiguo reputabitur eſſe nec obſtat
Quod centum propior forſan ſit paſsibus unde
Seſibus haud videt adiectum eſſe notabile quicquã.
Attamen eſt axis gyri quo circuit oras
Candentis Solis propians plus atq; recedens,
Subtrahitur tamen hoc examen differitatis:
Acceſſu ſiquidem tanto eſt variatio, quantam
Non niſi ſubtilis captet meditatio. Porro
Finitimos nobis ſolem Lunam atq; Planetas
Communi occurſu, quia nempe admota viciſsim
Atq; remota adſunt abſuntq;, magiſq; minuſq;,
Nil prohibet ſemper varia ſub mole videri.
Attamen abſceſſus ſi tantus fiat ab iſta

Mun-

Mundorum synodo ut tenuetur solis imago hæc,
Alteriusq; fiet magni præsentia solis;
Tunc opus est faciem errantum horũ esse peremptã,
Consimilesq; alias illum consurgere circa:
Quandoquidem est eadem coeuntúm principiorum
Conditio prorsus fuerint ubicumq; reposta.
Nam de uno ac simili simile ac unum esse videmus,
Cumq; suis semper constant contraria ubiq;.
Quocirca fixos ubicumq; est cernere soles
Isti congeneos, opus est quoq; credere firmé
Consimiles illum circa discurrere nymphas,
Quas non plus hinc aspicias, quamq; inde videri
Hæ possint quæ sunt ita luce & mole minores.

MEdij ergo imaginationẽ prętermittamus eã, & naturalem illam grauiũ leuiumq;, superioris & inferioris ad partes extra telluris sphæram habitudinem: extra tellurem quippé inætherea regione si positus inueniare: non magis ad istud quam ad quodcunq; astrorum aliud videbere: neq; magis ab isto versus alios quam ab alijs ascendere versus istud. Vndique enim omnibus æquale est cælum. Sic quippé in uniuerso ubiq; est medium, sicut & circa telluris conuexum ubiq; horizontis est centrum

¶ Cum Tellus sit eiusdem speciei atq; luna reliquique planetæ & unaquæq; species (ut omnes cognoscũt) sit determinata ad maximam minimamq; quantitatem sicut adultorum hominum est ratio qua non sit statura minor, & ratio qua non sit statura maior (monstris nihilominus in tanto rerum illustriorum ordine prætermissis) ita & in ordine planetarum, atq; constãtium astrorũ non ad quantamlibet, sed ad certam latitudinem alia a-

lijs maiora Intelligere oportet & minora.

¶ Tellure annuo motu circa Solem se cõuertente pariter atq; reliqui planetæ, quorum nõnulli semper sunt perspicui, nonnulli raró qui obliquiores ad nostrum aspectum Solis radios excipiũt, qui & hac de causa còmati, vel barbati, vel caudati apparẽt, ut proiectus deflu entis imaginis obiecti luminis speculari a superficie (nẽpe aquea) repercussi, respectu nostro sursum vel deorsum, dextrorsum vel sinistrorsum labitur. nonnulli veró numquam apparẽt, qui non per eam cæli partem deferuntur, é qua ad nostrum aspectũ a Sole conceptos radios emittendo præsentiam eorũ in cælo contestentur. De quo æqué rationabiliter dubitare quispiam posset, atq; aliquis qui non alias per aerem discurrere volucres existimet, quã quas per sibi vnicam patenté fenestrá ipse videat pertransire. Vel tot esse tantum umbrarũ ide as, quot in antro Platonis illo constitutus á lumine auersus in profunditatis eius caueæ enumerando valeat colligere peruagantes. sic enim in latitudine cæli (quam amplitudine zodiaci definitam accipimus) tantum ad aspectum nostrũ á Sole repercusso lumine Tellures seu ad eandem synodũ spectantes planetæ, venire possunt, sicut a partibus oppositis tantum imagines reflectuntur conuersis ad speculum, & umbrę conuersis ad uestigia lucis. Nulla tamen interea ratio est, ut tam latissimo remanente circa Solis orbitam cãpo cõsimili & uno, per hanc tantummodo partem & nõ alias ferri possint, atq; consistere animalia ista mundi. Testes sunt ij quos cometas appellamus; testes aliquando licet rarissimé ab occultis corporibus, solis ab historicis adductæ eclispationes. ¶ Adhuiusmodi astrorum conspectum, aspectum, occursum & decursum accidit maiori minoriq; elongatione vicissim facta astrorum conspicuam magnitudinem sensibiliter variari, quinimo etiam colorem, & alia minus obseruata accidentia. Ad soles veró eminus abiun-

abiunctos non ita. ſic enim diameter orbis quem annuũ
conficit Tellus circa Solem non eſt tanti momenti, ut ad
ſtellarum fixarum aſpectum maiori acceſsione facta dia
metri corporis illorum varietatem aliquam valeat acci-
pere: ut ad arcem duobus tribuſue milliaribus abſtantẽ
viginti vel triginta paſsibus adproximantes nihilũ vi-
debimus magis illius latitudini adiectum eſſe ſenſibile.
Sed & longé alia ratio eſt ad aſpectum luminoſi corpo-
ris quém ſiet ad opaci vel illuminabilis corporis aſpe
ctum: neq; enim ijſdem rationibus appropianti augetur
diameter viſibilitatis in corpore vnius generis atq; al-
terius. Lucidum quippé corpus vt ſæpe repetitum eſt &
repetetur, abſumpto longé maiori inter mediãte opaco
in eadem conſiſtit magnitudine viſibile. Quocirca non
eiſdem gradibus quibus planetas maiores nobis fieri
atq; minores experimur, debemus de apparente maio-
ritate atq; minorate Solis huius & illius concipienda pẽ
ſitare & ęſtimare. Et aduerte me heic de ſubſtantiali illa
aſtrorum luce meminiſſe. Non eſt enim ſemper corpo-
ris luminoſi cenſenda magnitudo eadem eſſe vel perſe-
uerare, ut putauit & docuit Epicurus: quia nocturnis in
tenebris eminus poſitæ lampadis non minor quã comi-
nus poſitæ lingua videatur, unde iudicat per diſtantiam
luminoſi corporis non magnitudinẽ, ſed colorem, viſibi
litatis nempe intenſam virtutem variari, quia fax tãdem
non in punctum, ſed in tenuem (in eadẽ latitudine) ſplen
dorem deſinendo, maiori elongatione videri ceſſat. Sed
ille non animaduertit accidens illud quod dominatur
in noſtris lampadibus, quæ etiam eminus poſitæ maio-
rem interdum videntur habere flammam quam vicinæ:
quia aer circumſtans vaporoſus illuminatus venire vi-
detur in ignitæ flammæ partem, ut aptius flammæ partẽ
eminus mentiatur quam cominus, ſicut vaporem & ne-
bulam nõ ita de propinquo poſſumus aſpicere (propter
minorem intermediæ materiæ ſpiſsitudinem) ut & de re

 motio-

motiore loco, & tanto quidem remotiore quãto nebulam acccidit esse rariorem: Iccirco non decebat ea ipsa inductione cõcludere de omni lumine, huiusmodi atq; semper & inde procedere ad lumina in purissimo æthere cõsistẽtia Sed in disputationẽ hãc plura heic multiplicare verba non decet quam quot bene natis & non lucifugis sufficere possint ingenijs

---

CAPVT V.

Soluuntur argumenta, quibus in medio Tellurem statuũt ex æqualitate vmbrarum, & luminum, & meridionalis lineæ, & id genus aliorum. Ineptia constituti tamquam ad Physicam & Gemetricam regulam meridiani, quod enorme omnium reliquarum operationum normam constituunt.



Vnc cape signa quibus media in statione manentem
Tellurem videant. Quia si minus abstat Eoa
A'porta, Tartesiaco quam limite, Phœbus
Mane oriens mundo maiorem ostenderet orbem,
Et serotino tenuatior iret in axe.
At veró liquido cœli labentia campo
Sydera siue æquis, seu subducantur iniquis
Passibus, æquali adueniunt facie atq; recedunt.
¶ *Quin etiam punctus de quo contractior umbra est*
Quam super erectæ Phœbus de corpore plantæ
Proijcit occasum haud æquis libraret & ortum
Lancibus, at peragranda minor maiorue peracta

Pars

Pars foret & gemino non æqué abstaret ab imo
Celsa tenens proni candens fastigia cæli
¶ *Non etiam æquales æqua interualla reponent*
Vmbras occiduis, & Eois paßibus, æquo
Cum distant radio ignipedes Titanis anheli.
¶ *Sed specimen puerile ferunt meditamina tanta*
Namq; ubi sit Tellus motu conuersa diurno
Se circum proprio lucem tenebrasq; refluxu
Concipit, atq; suo quacunq; é parte receptat
Aequales umbras si centro permanet ipsa:
Si æqué distantis de stellæ corpore lucem
Excipit, & speciem submiserit ipsa globosam,
Perpetuò æqualem proprij dat corporis umbram;
Cum sic abiunctum est de lumine corpus opacum,
Gnomoq; conuexum super eius fixus, eadem
Mensura vmbrarum fundet vestigia, fixo
Si globus inuerso pro lumine permanet axe.
Sic æquas gemino de cardine proijcit umbras,
Aequas de punctis utrinq; abstantibus æqué,
Emicet & quauis lucis vigor é regione.
Ergo quia proprij vertigine corporis umbras
Concipit, atq; iacit fixa de luce, sequuntur
Quæ circumueniunt stupidum spectacula vulgus.
Mitte ut non verum est æquales posse redire
Gyrante á sole aut terræ á versamine, quando
Arcubus æquatis æquatæ gnomonis vmbræ
Numquam respondent, quia solis linea spira est
Tellurem cingens moueatur utrumlibet horum.
Inde Geometricum centro de gnomone cyclum
Describunt, pariterq; putant cæleste secari

In geminas ſpacium parteis, velut ambitus ille
Et mediæ punctum exacté lucraſſe diei
Secum conſtituunt. Menſura hac omnia deinceps
Agnoſcunt proprios intra ortus atq; receſſus;
In parteiſq; ſecant geminas ſic omnia ſecla.
Mitte etiam ut motu, quo centrum circinat huius
Illius centrum remanente utrolibet horum,
Scilicet aut ſolis vel Terræ corpore, plané
Teſtatur neutrum alterutri centrum eſſe meanti,
Si velut agnoſcunt varia eſt dimenſio ſolis
Temporibus variis, quia par diſtantia non eſt.
Vnde licet quodam Terram cognoſcere ſigno
Non ulli prorſus centrum poſſe eſſe planetæ.
At fixis media eſt ut paullo diximus ante
Si fixa omnino conſtant ſtatione viciſſim
Singula qua ratione queas media eſſe putare
Omnibus in quauis fuerint regione repoſta.
At circa centrum ſtellæ ſi ſtella moueri
Debeat haudquaquam reperire Geometra poſſet
Naturam ipſius moderari lege nouantem
Omnia, ut é quouis quiduis diſponat: ob idq;
Stulté diſponi res credunt lege Matheſis.
Nec vis eſt Cycli aut menſuræ, ſed numerorum,
Si melius ſpectes. quando de eclipſibus apté
Decernunt: ſiquidem in longum latumq; meanti
Spiralis ſeruit naturæ motus, ut ultró
Ordine continuo detur ſucceſſio rebus
Spira eſt in facie, inq; ipſo ſpectanda profundo
Quam malé cyclorum canones æquare laborant
Quamlibet ad tempus male cautos fallere ſuerunt.

Nec ſtudiis poterit noſtris ea ſpira reponi
Naturæ quæ ſit ſpiræ conformis, at inquam
Nec natura æqua procedit lege reperta
Per rationis opus numeratoq́; ordine firmé
Quam minimé patitur glomeratio materiei;
Fluctuat hæc etenim in natura compoſitorum.
Illudq; adiiciam ut melior uia, ſimpliciorq;, &
Firmior, & rebus miré conformior eſſet
Spiralis, cuius rationem forte docebo.
Interea cycli ualeant ſi quando fideli
Obſequio magis occurrant, quia terminus idem
Principiumq; abitusq; aditusq; nihil tibi prodeſt,
Seu punctum veniat ſeu fluxum forſan in unum
Vt reputes medij fluxus membra adſequitaſſe.
Sic igitur quamuis puncto hæc definit horizon
Eſt quibus exoriens, atq; inquibus occidit aſtrum,
Non tamen æquales geminos monſtrabimus arcus,
Dummodo principio veri formatus ab uno
Extiterim, & ſenſus non ſim delapſus ad umbras,
Illo de ſenſu qui non circumuenit umquam.
Quod tamen, & Solem Tellus circundat in anni
Tempore & ad certum ſpacium perpendiculares
Solis conceptat radios, tropicosq; relinquit
Aequali abſtantes ſpacio é regione polorum,
Spira nec non é media quam portitor Helles
Libraq; definit Terræ ſublime recingit
Conuexum, æquaté gemino de cardine diſtat,
Perq; globum tenebras totum cum lucibus æquat,
Et quia Phœbeos non obliquo excipit axe
Dum gyrat radios; quo tempore non magis illa

Eſt ſole medium, quam illi ſol iudice ſenſu
Conteſtata; nec eſt Sol qui ſe luce diurna
Inrotat, at propria Tellus vertigine centrum
Ipſa ſuum circa rapitur cauſatq; videri
Lancibus æquatis circum procedere ſolem.
Quod veró ad Lunam ſpectat poſt iſta videndum
Vt proprium circa centrum pro luce diurna
Non ſeſe inuertat, Tellurem circuit illa
Iſtud ob officium & velut unū incurrat in orbem
Qui nitidi circum pariter magna atria ſolis
Vertitur, & gemini circumactat corpora mundi,
Queis gemini aduerſa reſpondent parte planetæ
Aequo qui radio oppoſita de parte feruntur
Dimetrus ut geminos hoſce orbes terminet vna,
Quod proprio monſtrare loco decernimus inde.

PLura ſunt argumenta quibus Tellurem in medio conſtitutam eſſe volunt.

I ¶ Et ex eo quia medium debet eſſe omnium grauiſsimum, pro quo plura dicta ſunt circa ſtultitiam conficti ordinis in elementis non accipientium ut naturæ conſtitutio alia ſit coram ſenſibus atq; ratione: quibus non alium ordinem aſpicimus præter omnium elementorum in omnibus atq; ſingulis telluris partibus cō curſum; ut in toto aſtro non aliter liceat elementa ordinata conijcere quá in noſtro corpore ſint eadem ordinata principia: ideoq; melius ordinem uniuerſi accipimus in uno æthereo cápo ubi circa ſolem planetæ diſcurrūt mediū: & ſicut quod graue dicūt telluris corpus & globoſum eſt in ętherez regionis medio libratū: ſimiliter & denſa ſpiſſaq; aliorum aſtrorum corpora dicere debebunt in ſuis locis grauia atq; media.

II. ¶ Opa-

II ¶ Opaca etiã suis incolis ad telluris fulgẽs corpus atq; nihilominus sidereum erunt illa. unde & perit illud argumentum quo medium volunt esse cæcum lumine carens crassum hoc.

III ¶ Ad id quod mediũ est densissimũ á quo quãto magis corpora recedũt naturalia, eo sunt rariora, Respõdet ipse sensus q nõ minore dẽsitate atq; colore patefacit Lunã & sine solidissimo (usq; ad maiorem quã sit in tellure soliditatem) corpore astra non constituit, quæ nihilominos mundos esse probauimus.

IIII ¶ Nec alia oportet considerare quibus animaduertamus in illud eorum theorẽa. Mixtum exquatuorque elementis compositum maxime debet á simplici corpore distare· & cæli materia ad motum localem tantummodo apta tota regione debet ab eo quod omnib. motus speciebus est obnoxium, esse seiuncta. Scimus aute nos & pluribus efficacissimé probauimus cælum, aerem, æthera, spaciumq; immensum esse unum, quod vere est firmamentum per quod tũ Tellus tum reliqui eiusdem speciei planetę discurrunt. & inquo soles circa proprium centrum (in morem quo tellus motu diurno exagitatur) conuersi forté interiores circulos in planetarum medio conficiunt.


V ¶ Et quod aiunt contraria maximé distare, est omnino contra rationem atq; sensum, & ostẽdimus plurib. in dialogis de caussa principio & uno: & in superioribus ostendimus ut ignis substantia si quam habet præter lucem & calorem (quæ potius interaccidentia á Peripateticis enumerantur, vel inter formas medias inter substantiam & accidens) naturam qua persistat, ipsa est aqua secundũ formam qua aquã vulgo nominamus & non absoluitur ab elemẽto terræ. Hoc ex dictis est petẽdũ nusquam enim extra humidũ potest consistere ignis.

VI. ¶ Proinde cur frigidũ maxime distare dicũt ab extremé calido, nempe igne quod est illis in orbis lunæ

conca-

concauo quando alti montes sunt frigidiores quam planities, & planities frigidior interiorib. terræ partib. In mẽbris quippe subterraneis aquę nõ glaciãtur, nõ niuescũt, non inspissantur sed potius accendũtur, sed potius multos undiq; de subterraneis locis ignes cũ liquidissimis fluminibus & caldissimus interdum erumpere qui concrescunt in superficie telluris. Constantius in altioribus eius regionibus, constantissim é veró aut saltem primó in media ipsa regione aeris, quæ frigidarum impressionum mater est. Neq; me effugies argumentãdo respondens, illud in superficie esse per accidẽs nempe per antiperistasim: siquidem & oportebit te ostenderẽ locum ubi per se ista fiant: & reddere causam, quá illud quod perpetuó est ita exq; necessario rerum ordine, numquã aliter se habens ad principium per accidens referatur potius quam per se & ad naturam ipsissimam? Mirum quippe & illud est quod & naturaliter calidũ aerem illũ dicis, per accidens vero frigidum quod nullo fuit seculo nisi frigidũ. Et postea millies illud quod est per accidens ab eo quod est secundũ naturam distinguis, quia hoc est in omnibus vel in plurimis, semper vel ut plurimũ, illud veró in pauciorib. atq; raró. Adde quod cõgregationes aquarum vastissimq; vulcani qui sunt in visceribus aquæ & spiritus magis calidi, primó per se sunt ab anima vitaq; Telluris; nisi quippe spiritus ille aduector esset, calor ille quem tegulæ domorum retundunt multo minus ad centrum usq;, vel adtringinta usq; passus virtute sua viuifica protenderetur: quod si animal quoddam Tellus compertum fuerit, quod altiore intendentib. animo atq; oculis est apertũ, nõ poterit existimari corpus interius frigidius. Et ostendimus in precedentibus ut necessarium sit ad medium usq; Telluris sorbere aquam, se in serere aquam, & profundare: utq; tandem elementum tuum illud frigidissimum ibi nequeat esse principalius. ¶ Adde quod in Tellure circa partes polares

lares frigus vigere magis, est concessum (sed de ijs qui sunt sub polari vertice quid sentiã, aliás si dabitur occasio aperiam) quæ quidem nõ ideo sunt frigidiores quia maximé distent á cælo, sed potius quia longius á iactu radiorum solarium absistunt quia lineæ A B, & A D lõgiores sunt quam lineæ A C & alijs inter illas extremas mediantibus: cũ tamen secundum eã qua contraria maximé distare debent rationem, & naturalis constitutio inter elementum ignis atq; terræ non sit maior distantia a puncto A in H quam á puncto G in B, & à puncto E in D. Et ostendemus ea quæ dicuntur de generatione perpetua elementi ex confrictu concaui orbis lunæ cum elemento subiecto quod si debet transmutari in ignẽ oportet lunæ contiguum esse aerem: si est iam ignis, oportet ut sine transmutatione & citra confrictum illum sit. Vtcunq; tamen sit, videbitur, ut & concessum, quod



inten-

intēsior est ignis ubi velocior, & potētior est cōfrictus. ideo in cingulo Telluris & æqnoctiali illa linea erit intensissimus ignis; in terminis IK, & LM erit remissior, in polorū veró punctis E & G nullus. Istis ita se habentibus & ex tuis principijs deductis: ostende queso ut contraria maximé distant in ordine mundi. Quid hæres? Vbinam est maxima distantia, quā toties definis per totam diametrum? Nunc video ut libenter velles te occultare in centro quod maxime distet à punctis circumferentiæ A, E, F, G. Sed duabus ratiunculis non potes: quarum prima est quod nunquam á te neq; tibi definita est maxima distantia per semidiametrum sed per diametrum: modo quæ in tua sphæra, & tuo ordine maxime distant sunt A & F si cælum respicias, & H & I si telluris globū, omnino similia (vel eadem potius) calida. Similiter tota diametro maxime distant duo frigida G & E, si polos orbis concaui lunæ respicias, & B atq; D si polos orbis Terræ Heic non me permittes superius ascendere ut maiore distantia de contrarietate differam quia tibi quintæ & in quinta illa essentia nihil est contrarium. Maneamus ergo & in finibus nostris contineamur: & permittamus te occultatum iri ad centrum, succurrasq; tibi munitionibus nouarum distinctionum, & alius contrariorum definitionis, ut non sint quæ maximé sed quę ita vel ita distent. Aut distinguas de maxima distantia accipiendo eam quam tibi nunc porrigo (quia per te ipsum non posses inuenire meliorē) distinctionem, nempe dicas. maxima distantia alia quidem est geonetrica (& hæc est per diametrum & non facit neq; definit contrarietatem proprie dictam sed improprie, metaphorice, archipodialiter, nominaliter, suppositionaliter & quomodocunq; aliter. Alia veró est physica: & hæc est per semidiametrum; qua scilicet centrum maxime distare intelligimus á circumferentia & ita (quidquid sit de illa contrariorum definitione quā in proposito ratā esse

nolu-

nolumus) á circulo A E F G maximé diſtat centrum C, & á circulo D I B H concentrico maximé diſtat centrū idem C. Sed quid hic lates ó miſerrime, unde nullum tibi amplius pateat ſi comprehendaris effugium? Dic mihi in puncto C centro friges? Frigeo. Immo heic te in ſaxum quaſi Gorgone viſa tranſmutatū video. Vnde tamquā à tibi contrario maximé diſtas? Ab H & I punctis ęquinoctialis circuli, qui in circuferentia Telluris ab A & F æquinoctialibus punctis ſeu tota circulari linea quę eſt in circumferentia concauitatis Lunaris orbis. Periiſti miſer, Numquid hoc centrū magis diſtat à frigidis magnæ circumferentiæ duobus punctis G & E, & frigidis alijs duobus polaribus de circumferentia Telluris B & D? Cur non maiorem diſtantiam eā quæ eſt A C ſemidiametri accipis, vel heic A B & A D. vel ibi A G & A E? Proinde quare tibi centrum quod omnium ſemidiametrorum eſt cōmunis terminus, & in quod conſequenter influxus omnes virtutis cæleſtis incurrunt, potius unius quā alterius cōtrarij, eſt, & nō omniū pro cōuenientia ſimul, vel nullorum pro indifferentia ad omnes erit ſubiectum, receptaculum, & terminus? Si á cæli (inquam) latione imprimente calorē atq; frigus, intenſione vel remiſsione per ſui motus & uelocitatē rapiditatēq; maiorē, vel minorem, vel minimam, vel nullam, nempe quæ eſt ſecundum differentias circulorum qui accipiuntur ab A uſq; in E, & illis parallelorum qui accipiuntur ab A uſq; in G, an centrum C tibi non videtur ab omnibus impreſsionibus atq; cauſis æqué diſtare? ad alia quippe quæ ſunt extra centrum omnia duæ tantum poſſunt eſſe æquales a circumferentia lineæ & ideo aliter atq; aliter ex alijs atq; alijs circumferentiæ partib. ſe habebunt omnia. ad centrum veró omnia undiq; ſimilia quæ per parallelos circulos capiuntur. Illic ergo recta omnis cæleſtis & quomodūq; circumferentialis ſynodi eſt conſtantiſsima periodus, Ibi quia nihil deeſt ideo

ditis

Ditis nũcupata est regia, alijs Vestæ tẽplũ. E enim & G quæ diametraliter sunt opposita, A item & F in C medio sunt unum & conuenientia, similiter A & E, A & G, F & E, F & G, nec non & quatuor alij termini, B, H, D, I. hi enim omnes termini ꝗ lineis ad subtẽsionẽ circulorũ ductis sunt inuicẽ oppositi & cõtrarij, ijdẽ lineis proprij influxus ad centrũ directis sunt unũ, ubi nõ est possibile ut cõtraria sint cõtraria neq; alia neq; diuersa. Et ostendimus ostendemusq; hoc rursum, quod & per naturæ ipsius praxim est manifestum, quod hæc virtus quæ est in centro præcipuaq; animæ Telluris sede, omnia in tota corporis proprij machina ubiq; contemperat. Sicut in superficie corporis huius videmus sub linea æquinoctiali calidas, frigidas, & temperatas esse regiones habitabiles per maria, mõtes, fontes, flumina, & alia quæ in reliquis eiusdem corporis partibus habentur. Et ostendemus aliquando qualis debeat necessarió esse habitatio in punctis B & D. A ergo (ut redeamus ad argumenta ex cómunibus positis & concessis) á C nõ magis distat astrum oriens quam occidens, nocturnum quã diurnum, tropicale quã ęquinoctiale, quam quomodo secumq; aliter per circumferentiam agat. Similiter & frigidæ impressionis vires illuc undiq; æqualiter influũt, & inde tamquam á corde distribuuntur in omnes corporis partes ęquabiliter. Illuc omnium planetarũ (quorũ alios frigidos, alios calidos, alios humidos, alios siccos dicunt Astronomi) æqualiter undique ire influxus aiunt. Sicubi igitur cõtraria sunt simul, sicubi sunt (in indifferentia quadam, & indiuitate principij, & primi ultimiq; subiecti atq; finis) unũ quale in dialogis de causa, principio & uno retulimus, & de quo alibi meminimus sepissime, ibi ꝓpriissimé debebimus adtẽdere si (veluti facimus) principia vulgaria cum hisce consequentibus conferre velimus; heic enim nõ ex proprijs verioribusque principijs sed cum vulgo philosophantum agimus.

Quod

¶ Quod tellus medias reſpectu ſolis oriētis & occidētis dicitur propter umbram æqualem quam ſol Oriens in puncto G proijcit ex gnomone C H quæ eſt C D, ei umbræ quam ſol occidens in puncto E proijcit, nempe C B. Per noſtra principia, poſitiones, atq; (ſi mauis) ſuppoſitiones tellus B H D I mouetur circa proprium centrum C, manente ſole in A. Vnde accidit ut in quacumque ſit ipſi diſtantia á ſole, dummodo ſol, & centrum C maneat: radius orientis B A, & radius occidentis D A erunt æquales. Porro neq; ſecundum ea quæ in vulgari philoſophia ſunt poſitá, umbra poteſt eſſe æqualis, immo neq; ab ullis duobus punctis quorum alter capiatur ante meridiē alter poſt meridiem: quia ſol qui oritur â puncto G non facit ſemicirculum per A in E ſed tranſit per punctum citra vel ultra A, unde procedat in occaſum citra vel ultra E reuerſurus ad orientis punctū citra vel ultra G. At veró in helica ſeu ſpirali huius modi quem capies ſemi circulum? quos nam duos accipies á meridianæ quam conſtituiſti lineæ puncto A æquales arcus? Cum vel ſol tibi gyret, vel mihi Tellus inuertatur, ſol ad ſemicircularem oppoſitionem non oritur & occidit; neq; ad circularem rurſus reflexionem exoritur continué ad unum vel ad alterum ſe inflectēdo tropicum. Sed de hoc aliás.

¶ Proinde & illud addendum quemadmodum hæc differentia quæ nō multa eſt ex reuolutione unius diei ſemper magis atq; magis euidens efficiatur, ut etiam bē ne perſpicienti appareat neq; tellurem ſoli, neq; ſolem telluri geometricé umquam fieri poſſe centrum, ſi citrá medij alterationem ille modo maior appareat modo minor. Sed in huius rei iudicio valde cauendum eſt ne propterea ſolem telluri, fieri maiorem iudicemus quia propior illi ſit, minoré vero quia remotior: valde enim urget quod alteratio magnitudinis ſolaris vel lunaris vel aliorum quæ maiora videntur orientia quam meri-

diana propter vaporis matutini intermediantis copiam inter oculum C & orientem G quanta esse non potest inter oculum C & meridionalem A solem. Hoc nihilo secius potest accidere á meridie diuersis anni temporibus. Quia constitutus sol in puncto verticali meridiei A nobis existentibus in puncto C propinquior sane erit propter perpendicularitatem lineæ C A : & ibi minus magnitudo solis ab aeris nobis propinqui vapiditate alteratur & consequenter minor apparebit. Nobis veró existentibus in puncto B sole veró constante in puncto meridiei A, qualis est ubi magis versus Capricorni tropicum inclinat; & si sol magis absistat quanto linea B A maior est quam linea C A; nihilo tamen minus tum quia plus aeris intermediat inter visum nostrum B & solem A, tum quia aer intermedians est crassior, quoniam á sole magis abstans minus est subtiliatus: necessarió astrum maius apparebit: maximum tandem tenentibus nobis punctum G, astro veró meridionalem punctum in tropico capricorni A. Aristoteles notauit Euro flante sidera videri maiora. Audio Bathen Machilinensem inter præcipuos mathematicos referre ad instrumentorum super ea re suspicionem quod Ptolemeus, Geber et Albategni errauerint (ut ipse multis versuum millib. ostendit) circa quantitatem diametrorum Solis & Lunæ. Iam si Sol de suæ magnitudinis substantia propter propinquitatem nobis maior debeat apparere, propter maiorem medij vapidi extenuationem & raritaté minor necessarió videbitur: atq; ita ratio una ab alia impedietur (ne firmé iudicare possimus) ratione. Quod si ita est ut sol medius maneat & solum (quod necessarium esse mõstrabimus) motum rotationis astri circa propium centrum recipit; oportebit motum accessus illius atq; recessus ad tropicos atq; á tropicis in telluris astro cognoscamus ut centrum eius non æquinoctialem sed designatam eclypicam delineet; & quia cũ hoc constantem (per

annui

annui dico cursus seriem) videmus illã versus proprios polos retinere aspectum, licebit in linea quadam recta qualis est axis GE, per quam tellus B H D centro C nũc magis appropiet versus tropicum E qui respicit polum antarcticum, nunc vero versus G qui constat versus arcticum: dum interea circa solem annuum terit iter.

¶ Cum iunior essem pro supputationum commoditate maxima, concessi continuum motum soli circa tellurem circularem unum & perfectum á quo nunquam exorbitet per lineã æquinoctialem A F, cum quo motu concurrerent omnes stellæ fixæ quarum ipse est una, & hic esset annuus. Telluri veró cæteros omnes motus tribuebam diurnum quidem per suum angulum quo H horarum quattuor & viginti spacio vertitur circa C. Annuum verò quo per rectam lineam centrũ C, nunc versus tropicum E ad antarcticum, nunc versus arcticum G ageretur: ubi nullus est sensus vel ratio q̃ te sollicitet ad variandã astrorum magnitudinem versus hunc polũ vel illũ: quia accessus iste non est (ut dictum est supra) tanti momenti respectu eorũ. Motus ille deinde qui polos facit trepidare & auges punctaq; solstitialia, & æquinoctialia variat irregulariter, est propter renouationes quæ sensim fiunt in partibus terræ, quia nõ semper zona frigida debet esse frigida, & æstualis illa debet esse eadem; sed necessarium est omnes ab omnibus affectibus interquiescere & feriare partes, & ad omnes (ut mariũ accessus & recessus á terris notant) consequenter promoueri dispositiones. Variabitur ergo terræ centrũ & respectus ad polum, cuius motus regulam geometricè velle præscribere malé regulati ingenij est: sed hoc tantum astronomis faciendum restat ut notabili poli facta mutatione, rationes tabularum suarum renouent tamquam non in æternum, sed ad incertum (non breue tamen) usq; aliquod tempus duraturas.

CAPVT VI.

Irregulariter recursus seu reuolutiones fieri, nullum consequenter circulum circa medium esse posse. Nã si unus in Tellure motus est irregularis, oportet motus omnes alios quantumlibet regulares perturbari.



E quoq; Tellurem mediam centrumq; quod ambit
Omnis quæ sursum natura est inde putemus,
Regula præteriit motus reputata diurni
Et famosa viget tropici inconstantia bini
Qui nullam ad normã modo plus cõcedit in Austros
Nunc magis obliquat cursus Aquilonis in oras
Nec legem seruat vel simplicis una diei
Vertigo, usq; adeo multum sibi desit ut annus
Mendacem minus efficiat caudam arripientis
Ore anguis nouiterq; artus exesse voratos.
Nec minus est ullum de circundantibus astrum
Quod repetat semel acta, suos iterumq; resumat
Digestos annos: non solum ut proxima quæq;
Principium arripiat reuolutio vel semel idem
Aut semitæ eiusdem tangat vestigia rursum
Præteritæ simili repetens serie acta diei
Et virtute pars subsumens, namq; profecto
Innumeris opere est subiectis stantibus iisdem.
Ergo seu cælo totum rapiatur ab uno
Vel pro Telluris fiet hæc variatio motu
(Cui mage ad innumeros mutatio conuenit uni,

Innu-

Innumeris ad eam quam sit variatio mundis)
Linea non umquam poterit punctumq; resumi
Sumptum quod fuerat, verum paris atq; propinqui
Consimili speciemq; modo referentis, ut illa
Præsenti haud tantó differt in tempore, quantó
Obtusi ad normam sensus appareat esse
Quicquam uel multum, est porro distantia tanta
Quantam non solum rota temporis efficit eius
Verum etiam illorum quæ circũ, atq; vndiq; currũt.

EX diuersis quos in Tellure comperimus esse motibus etiam si reliqua circum astra regulariter mouerentur; mirum quã non esse potest facilé ad regulam vel unum unius motum reuocare. Mathematicé enim circularis motus non est in materia quæcunq; & qualiscumq; sit, immo neq; ullam formam veré in materia esse Platonici dixerunt (& non omnino male) neq; hominem verum, neq; verum equum. Verum punctum veramq; lineam Geometra nusquã suam inueniet, quinimo (si sapit) neq; esse credat nisi hæc aliter quam vulgo definita sunt ille definiat. Quod ad motus ergo attinet eorũ, nulla vel q̃ propius accedat mẽsura reperitur: cuius rei causa est quia etherogeneis astra ijsq; trãsmutabilibus omnia cõstãt partib. quod ad unius cuiusq; sensum in Tellure manifestũ est atq; Luna. Telluri cõuenit non perpetuo unã eandẽq; faciẽ igneo astro obuertere, ut & tandẽ polũ unũ in alterius poli locũ cedere oporteat. quod sane ita sensim, atq; continué fieri necesse est & irregulariter, sicut naturalia corpora & corporum elementa naturaliter in continua sunt alteratione atque motu, ne vel duo possis instãtia referre in quibus idem compositum omnino se modo habere possit eodem & omnino ijsdem constare partibus, quandoq; undiq; &

ubiq; elementariorum corporum non intermissum necessarió influxum inuenimus esse atq; effluxum. Quod veró ad magis sensibiles motus astrorum attinet, valdé mirum est pro nullo eorum circulariter lato sperent astronomi partes motus alicuius per lineam posse assequi circularem, in qua illius arcanæ philosophiæ fundamenta atq; bases omnes constituit Aristoteles. Atqui nos alia sub lege, naturæ motus circuire intelligimus; & eos qui á naturæ speculo oculos auertunt, & communis matris vocibus occludunt aures, dum laboriose ad quasdam haud scio quam iocũdas ineptias aspirant ad meliores fruges reuocare contendimus. Nos aliquãdo duorum cinculorum arcus ita componimus, ut regulaté & certa quadam ratione in unum circulum coeant. Nos unum circulum in duos dissoluere docuimus inæquales Geometricé: Primum quando tertium radium per duos qui angulum rectum contineant inquirimus & inuenimus: Secũdum quando unam basim semicirculi facimus angulum in eo rectumsubtendentem. Sic & proportiones motuum regularium colligere possumus, & multas successiué differentias ex anguli recti subtensi ratione deducere, ut nó frustra semina quædam operum in geometricis principijs occultentur. Duas quoq; regulares elicas seu spirales in unam regularem componere, unamq; regularẽ in duas dissoluere regulares proportionali nouimus methodo, accepta nempe unius inflexus, ab alterius inflexus termino (secundũ lõgitudinẽ ac latitudinẽ in utraq; cõparandarũ componendarũq;) dimẽsione: ut postea duplicis trianguli medio longitudinẽ cũ lõgitudine & latitudinẽ cũ latitudine cóponẽs, rationem spiraliũ vel elicarum duarum in unũ colligas; vel é contrá, contrario unam in duas resoluas ordine. Harum contemplationum principium & praxis ex VNIONIS schemate, in ijs quæ de mensura definuimus est petẽda. Et ex hac praxi si te capiet ex ocio sup-

petente

petente voluptas quam mirè melius de naturalium corporum motu poteris definire & ad longifsima ſecula duraturam pertexere legem. Vides ut ad hæc uſq; tempora nihil habeamus editum quo (vel ſi natura geometrice circuiret) propé poſsimus ad exactionem aliquã data ratione diuidẽdi circuli accedere, quib. hypocauſtarij cuiuſdã capitis omni ignorãtia turpior triãgulorũ ſphæricorũ ſciẽtia, & qualibet inertia inertiores illæ ſinuũ tabulæ ſucurrũt, quas lanutiſsimæ ſeculi noſtri auriculæ mirãtur, amplectũtur, exoſculãtur. Fruſtra enim ꝑ tot cõfuſionum præcipites anfractus quærũt, quod nos ſimplicisſima quadam & demonſtratiua ratione purè geometrica inuentum damus, ita ut diſciplinati & noſtrarum inuentionum amici facillimè poſsint (adtẽdendo) percipere.

Quantumuerò interea hæc ſcientia faciat ad comprehenſionẽ eius (quæ nulla eſt) regulæ, alijs relinquo iudicandum. An non videmus motum illum quem continuum regularem, immo & menſuram ipſam atq; regulam omnis durationis, temporis atq; motus, non intenſibilem non remiſsibilem; in nihilum euanuiſſe? Ille tam quam per ſe manifeſtus editus eſt ab inexpertiſsimo abſtractiſsimeq; perito philoſopho, & á cæcorũ multitudine acceptatus & cum diuinitatis ipſius inuariabilitate concelebris: nunc in fide & authoritate, & vſu creditus, ab octaua illa ipſis ſenſibili ſphæra aufugit (temporis inquã ab illo ſubiecto) ad imaginariã nonã ſphærã; in qua cum illius maieſtatem perſequerentur deuotiſsimi Aſtronomi, ad phantaſticã decimam euolauit illam; rurſuſq; inde ad undecimam, & ita ſemper potentiſsimum & perniciſsimum (ut tempus certé decet eſſe) omnium, umbras eorum (qui á tergo lucem reliquerunt) non minus antecedendo fugiet, quam ipſis umbræ perſequutoribus neutiquam præuias ſuas præterire poſſe tenebras concedetur. ¶ Eo ergo deuenimus ut orbes ij olim

ad ſupputationum commoditatem ſunt conficti, á ſtultitia circa noſtra tempora ſophorum veri habeantur. qui potius naturam ipſam claudicantem eſſe volunt, & in orbium multitudine ſine fructu & neceſsitate delirãtem, quam illam Ariſtotelicam menſuram & æquidiſtãtiam ſublatam habeant: quæ etiam terminis hiſce quos acceptarunt manentibus nulla eſt.

¶ Motum illum ſimplicem atque regularem in aſtris non dari poſſe(mitto quod actu non dari iam vndique compertiſsimum eſt)inde facillimé concludimus quod & Ariſtoteli & omnibus tamquam manifeſtum ſupponitur motum ſimplicem non niſi corporis ſimplicis eſſe poſſe: porro in quocunq; ſubiecto diuerſæ ſunt partes, atq; contrarijs ut opus quoq; eſt qualitatibus diſtinctæ quæ primis quattuor elementis ſunt adnatæ, & formæ quodammodo(ut Peripatetici Arabes volunt)ſubſtantiales; oportebit omnino motum appulſumq; unius motu adpulſuque alterius interturbari. ¶ Quod veró ad motus quos in ſuo uniuerſo contemplantur Peripatetici, atq; conſimili farina inſaginati aſtronomi, ſi aliquis vnus regularis atq; ſimplex eſt is maxime eſt diurnus, qua propter cum irregularitatẽ vidiſſent in ſuo illo ſtelli fero contra Ariſtotelicas ſuppoſitiones & poſitiones egreſsi ſunt ad motus diurni primum ſubiectum cæcum ſuperius quaſi motus illius principium á circumferentia eſſet petendum omnino, etiam ubi quiſpiam infinitum dixerit uniuerſum. ¶ Nos inuenimus motum illum diurnum inter alios eſſe à Tellure, & primum illũ motorem & altiſsimum eorum nullũ eſſe ſed Telluris animam, cuius ſedes præcipua ſit in centro. En quo deuenit ille altitonans ut in Ditis regia cõtemplandus veniat. En ubi dij illi pſiyſici metaphyſiciq; motores. quorum interitu vultus tum naturæ tum ſophiæ tum virtutis omnis redit. Et hic motor nullis Geometriæ regulis nullis circulis eundem rebus vultũ reſtituit ſed ſem-

per omnia innouaturus in gyrum spiralem & hunc quē nullo etiam geometrico canone posſis ſatis aſſequi cō-pellitire. Quid ergo opus eſt circulos circulis, orbes orbibus apponere quaſi veritatem aliquando geometricā adſequuturus, & non tuam ineptiam naturæ, ſed naturæ ordinem ad tuas ſymmetrias aptaturus aliquando. Sed perperam omnia inuito Genio & Minerua. Quid ſpiralis motus compoſitionem, vel diſtributionem vel (ut dicere mauis) diuiſionem in duos circulos confabricas, ſi ſpiralem motum atq; lineam, non magis posſis dicere ex duobus imparibus circulis compoſitum quam ex duabus (ut & certe longe magis deceret exiſtimare) ſpiralibus. vel, ut & Ariſtoteles omnem motum qui nō eſt rectus perfecte & circularis perfecte ex recto circularique compoſitum affirmat: quinimo & ipſum verum circulum ex recto & curuo compoſitum dixit Plato; quod quomodo ſit ab illo non accepimus ſed eius rationem ex ijs quæ a nobis de minimo dicta ſunt apprime cognoſcere licebit. ¶ Interea dum telluris motus vel alius planetæ, vel ipſius ut libet cæli a circulo exorbitat Gemetrico: non eſt error & deuiatio quam Geometrica ars noſtrorum theoricorum nolit geometricis ratiocinijs reſarcire ut de ametro ſymmetrum cōſtituant. inuito enim deo volunt & deum & natnram aliquādo ad geometricæ diſciplinæ regulas reuocare; hinc illis eccētricos orbes præſcripſerunt & epicyclos, ſed non eſt quod epicyclo excuſant appoſito quod non appoſito excuſarent ſimiliter eccentrico; neq; eſt quod eccentrico excuſant quod non appoſito epicyclo; dumq; ambabus iſtis rationibus ægrotanti naturæ medentes & caput ad geometricam ſanitatem pesſimè indiſpoſitū habenti nihil proficere vident, addūt epicyclorum epicyclos, neq; ꝓpterea febris illius feruor remittitur; ſed iſtis ſufficit ut ad tempus aliquod (quia dies tandem aperit omnia) de ſanitatis valeant aliqua ſpecie præſumere.

æternos in certis motibus inueniſſe ſe canones à quibus anteceſſores infelicisſimè præuaricarint: ſed paulo poſt, ut hiſce annis, accidit ut vel nouo à capite Arietis ſolis exortum accommdatiores multo inuentæ ſint Alphonſi tabulæ.

CAPVT VII.

Perſequitur propoſitum de vanitate circulorum, & anni iliius mudani phantaſia Platonica & aliorum.



Rgo vides numeris quantis perit illa ſophiſtæ
In proprios ingentis pollicitatio ſecli
Exortus reditum capientis, ut inde queamus
Rurſum obitas & obire vices nihilominus omnes,
Nempe iterũ ad Troiã ut magnus mittatur Achilles.
Dogmate diuini fuerat formata Platonis
Mens pulicis, cimicem cum ſolaretur amicis
Dictus, cum fera ſors ſocios diuelleret ambos.
Culcitra excuſſa famulus de culmine tecti
Præcipites variam in ſortem iam iamq; daturus,
(Semnudus manicas aptabat namq; lacertis)
Cimex ora rigans lachrymis. Non me mea dixit,
Non mea me vexat ſors aſpera, quod meus iſte
Spiritus inuiſos miſerosq; hos deſerat artus;
Sed uiolenta premunt mage me diuortia, nam te
Linquere (chare pulex) fatis cogor malé iniquis,
Quæ mihi te tollunt, mihi te non reddere poſſunt.
Ille refert ne te vexes, vexatio nam me

Ista infælicem confodit & atterit. Vnus
Non geminus meus atq; tuus quia spiritus est, O'
Vnanimis cimex, longe plusquam mihi sim nam
Intimus ipse mihi es: Quapropter me tua vexat
Cura magis, quæ nulla mei est. Licet ergo reuellat
Iuppiter ipse tonãs duo nostra hæc corpora iniquus,
Tunc tamen efficiet quo spiritus iste relinquat
Te mea sors, mea mors, quõdam mea vita, mea spes,
Quando ipsum memet facietq; relinquere: meq;
Immemorem esse mei faciens vix credere possum
Vt faciatq; tui. Ne plores sanguis meus
Corpora nostra simul scio certè aliquando futura.
Dicere plura libet: sed iam diuellimur he heu.
Iam uale dulcis amor, post bis ter millia centum
Annorum, adde quibus quoq; bis tria, bisq; tricena
Millia (quod faustum spero fœlixq; futurum)
Tu me iterum repetes, iterum teq; ipse reuisam.
Propositum repeto.
Perspectum satis est ur nullum circinat astrum.
Nostrum orbem grauitate sua media arce manẽtem
Legibus adscriptis, nisi quod pars vna putandum est
Telluris vitæ & consors Lunare perennis
Stultitiæ laqueis te inuoluens ficta reportes
Corpora diuersis compacta ex orbibus, unde
Integræ tandem statuas concurrere sphæræ
Cunctis cum reliquis centrum uiolenter in unum,
Monstrosos sine fine mihi conflarier orbes
Audio qui ad nihilum ualeant nisi sidera nodo
Contineant arcto, recidant ne forte super nos
Quo disperdatur Telluris machina, cæcum

Inq; chaos rapido cursu ruat omne repente.
Quod mage nos nihilo monstrauimus esse timendũ
Quam ne mole sua Telluris corpus in illa
Non ullis nixum fulcris ita corruat vmquam.
Aut quia commodius motores illa rotare
Hoc medium poßint immania pondera circum;
At nos quam facili poßint ea currere pulsu
Quam facile & proprio sistant libramine ubiq;,
Perq; suas gyrent methodos ostendimus alté:
Promptius utq; magis quauis pernice volucrum
Versum quaq; meent, immensumq; aera findant
Intima nempe animæ vis concitat illa, nec ullum
Impediens obstat pollens turbare perennem
Ordinibus propriis peragentem secla vigorem.
Illo ergo adspirat stulta hæc confictio centrum
Vt sit cunctorum Tellus graue pondus in imo
Subsidens, & pars magni turpißima mundi,
Inuitis sacrum tenebris. sentina malorum,
Sitq; basis rapide circumcurrentis Olympi
Diis etiam inuitis, naturæ & cunctipotentis
Vocibus, ut valeant stolidi commenta sophistæ
Et temere radios effundens lux rationis
Obiectat rerum speciem : caligine mentis
In tanta insani ut palpent vestigia uulgi.
Ergo fauent ceptis, & ui splendoris abuti
(Si quis inest menti) malunt errata tuendo
Confingunt sphynges, scyllasq; biformia monstra
Ne studio tandem sine multo errasse putentur,
Et fiet ingenio parta ignorantia grandi.
At quid opus varios fuit exaltare labores

Quid

Quid torquere animum eccẽtris tot, totq; epicyclis
Qui solidos facerent orbes, inq; axibus essent
Suspensi interdum qui non concurrere in uno
Subiecto valeant solidoq; ex impare massa.
Crassius loco partis reputetur in uno
Inq; alió densum minus esse minusq; profundum
Impleat ut vacuum, & centrum seruarie raptè
Confictum mundi possit locus omnibus Inde
Phantasiis neq; sit præscriptus terminus ullus
Effugiis contra physicum sensum ac rationem.
Hoc tamen indignum Stagyritæ principiorum
Fontibus haud temere clamauit Auerroes. Astri
(inquit) si corpus ratione aliqua ire propinquum
Est magis atq; minus Telluris partibus, illud
Absurdum sequitur nullo ingenio impediente
Concita quod duplici cæli sint corpora motu
In rectum & curuum; triplici specie quoq; circum
Mundanum medium, mundi à medio, ad mediumq;
Motus & hic mixtus non simplex simplicis esset
Corporis, absurdum ac mirabile consequeretur
Nempe ut Aristoteles errauerit ille sophorum
Maximus ingenio qui naturam efficientem
Noscendo exæquat. Naturam errare putatis
Astrologi; graue corpus enim è medio esse remotum
Efficitis vel suspensum contra Stagyræi
Inuictos canones, sapiens quibus ille putauit
Vndiq; librato circumlabi æthera tractu
¶ Cæcus ut ingenio viguit sophus iste profundo
Nempe Arabis Græcus præstinxit lumina, tanti
Attamen iste fuit, quanto damnarit iniquum

Vel nolens ſenſum: quia dum ſtudet intemeratum
Illius ſenſum ſeruarier ecce profundat
Iudicium contra illum qui perſtrinxerat ipſi
Vlterius curam ſapiendi, aciemq; oculorum.
Tantum fama viri tulit hoc de corde triumphum.
Quod metuens ne fortaſsis deſciret ab illo
Contempſit viſum. Senſus tamen ille reclamat
Occultus, membris conlatis principiorum
Queis erat imbutus commentis aſtrologantum
Materiam erroris præſenti à luce trahentum
Qua manifeſta ſiet noua lux conſtante receſſu &
Aſtrorum acceſſu ad Tellurem quod minime olim
Vidit Ariſtoteles quem dum excuſare laborant
Adſciſcunt nebulas, implentes æthera cæcis
Orbibu, monſtrorum varia eſt complexio, iniquos
Appingunt multos quia tandem prodeat unus
Non minus occultus teſtis, qui colligat eſſe
Tellurem cælo centrum, & ſi hoc deneget aſtrum.

IN natura circulus ideo nõ ullus eſt, ne ſimiles omnino iidemq; effectus aliquando redire poſsint; nullum quippe ſignum eſt quo aſtra ad Telluris aſpectum omnia ad omnino eandem aliquando venire habeant poſituram. Et mirum quod cum non ſit poſsibile ut quippiam eorum quæ campoſita ſunt in duobus inſtantibus eandem prorſus habeat diſpoſitionem habitumq; omnino unum; credant hoc ipſum in tanta uniuerſi varietate poſſe comprobari ut quandoq; omnes iidem numero appeareant. In Antiquioribus qui tot motuum differentias & ſingularum differentiarum irregularitatem non percepere, haudquaquam uſq; adeò demiror, ut in

ut in hominibus circa nostra tépora quibus licuit plura cognoscere hęc, quibus stantibus (quamlibet ad huc sub fide vel spe geometricantis naturæ consistant) oporteret per millena millium anni illius mundani numeros multiplicari. Atqui nobis eadem numero materia atq; substantia est æterna, & in æterno motu, & (per composita quæ constituit) mutatione. Forma verò circa hanc eandem materiam numero eadem neque fuit neq; erit unquam, sicut neq; possibile est vel in duobus instantibus omnino eandem se similiter habentem cũ veritate posse asseuerare ¶ In rebus naturalibus vicissitudo successioq; sancita est qua omnia fiant ex omnibus; circuli autem non est promouere vicissitudinemq; facere nisi indiuiduarũ partium quæ in eodem circulo consistunt. Si ijdem circuli spiræue redirent eosdem effectus & indidua restituentes quemadmodum adsimiles restituũt, liceret effectus eosdẽ eademq; indiuidua certis in quibus partibus repetentia aspicere: porro talis potentia in natura nusquam manifestatur. Adde quod si rectè inspiciamus neq; in mechanicis circulus nisi prima quadam & remota cõditione promouet, sicut in rotis puteorum fontium & molendinorum ubi circulus est materia, centrum & basis spiræ, non autem eius unquam ulla mensura, siue ad dextram & sinistram siue sursum atque deorsum perquiratur.

CAPVT VIII.

Vrget cælum unum esse spacium unum æthereum immensum, & distinguere sensibiles mundos duplicem (ignis videlicet, & aquæ) speciem.



Insensati claro qui lumine viso
In tenebras ruitis. Descitis ab indice veri
Ad bruti nebulas capitis de fontib. ortas;
Inscitiæ mero temulenti somnia vana
Percolitis. Vestros authores creditis isthæc
Si percepissent oculis quæ peruia vestris
Importunè adstant, voluissent fingier umquam
Hæc quibus inuentis tumidi consistitis. An non
De ceptæ potius reuocato robore mentis
Natura grauis atq; leuis mediiq; reperta
Nossent ut Tellus etiam fiet incola cæli
Et facile in uultu Triuiai se insinuasset
Luce micans corpus constans in imagine lunæ
Calcanti Lunam, Veneris Veneremq; tenenti.
Quin & ut illa suos peragendo per æthera cursus
Aspectus variat, potuisset & ipsa putari
Posse uices pariles sensu adstipulante tueri.
Postea ceu Tellus lucem est patefacta per illam
Cœpissent ex iis quædam paria esse putari
Corpora nec mundi sub eadem sorte negari
Cum nihil ostendant aliud melius' ue minus' ue
Atq; uelut nullo hæc fulcimine in æthere sistit
Nec rapiente vadit sic & vaga cuncta teneri
Neruis cognossent paribus quoq; concita ferri.
¶ Hinc subit ut spacium tenet hæc unũ omnia cæli,
Nec medians aliud deceat reputarier hilum,
Aeream præter naturam, qualis habetur
Telluris intra molem, & corpus Triuiai
Qui vapidus pars est astrorum in corpore tantum:
¶ Inde subit geminumq; genus comprendere lucis

Nam

Nam propria specie solis cum corpore constat
Illius, in Luna, Tellure, aliisq; planetis
Circumfusa cluit simulacri impreßio tantum.
Hinc quoq; subiecti lucis discrimen apertum est.
Scilicet æquoreo lucem de corpore fundunt
Tellus, Luna, Venus, Mauors, reliquiq; planetæ.
Maior at hæc inter rutilo sol fulget ab igne.
Vnde & consequitur solis circa huncq; planetis
Luminis adscribi diuersam materiei
Naturam, propriam nempe illi, istis peregrinam;
Illi scintillans radios rota periaculatur
His lucis specimen submißius atq; quietum.
Quando igitur nota est substantia facta planetæ
Noscimus & matrem Tellurem de genere horum:
Hisce ita perspectis ubi nos iuuat ista propinqua
Corpora mundorum claro distinguere sensu
Lux una est princeps per se quæ sola refulget
Compare cum reliquis non prædita conditione
Cuius & est medium retinere ac nobiliores
Perpetuò seruare vices, arcemq; tueri,
Vtq; Dei Templum, lux ardens, Araq; cæli
Militia in tanta, in populo celeberrima tanto
Destatione sua spectare errantia circum.

Tellurem esse astrum tibi contra sensum esse videtur? Satis admodum. Moueri? Mirum inmodum. Alicunde in imagine Mercurij & Veneris? Absurdissimũ. Iam ergo responde mihi putasne quod si Tellus huic similis distaret à nobis quãtũ hinc Luna distat, maioris quantitatis appareret quam Luna apparet? Nõ. Si plus nónne etiam æqualis, & minor, & minima? Cre-

do.Sic ergo rotunda,ſic parua,& ſic plana?Prorſus.Iã ergo vides quẽadmodũ inter quantitatẽ & quãtitatẽ non eſt differentia. An non inſuper ita lucida reputabitur? Hoc non intelligo. Cur non ò bone, nunquid non globus iſte maiori parte eſt aquis circumtectus? nonne inquam Oceani ſuperficies atq; reliquorum marium meditarreneorum ampliſsimam huius ſuperficiei partem circumplectitur?Nemini dubium.Iam ergo fingito duo globoſa corpora in æthere alterum igneum & flãmanti ſuperficie reſplendens quale eſt ſol, alterum tale quale Tellus eſt: nonne iſtud aqueũ vitrea de facie illa æquoris radiabit, ad illius flammei obiectum quaſi de ſpeculi area lucis præſentis imaginem reiectãs? Certè.Sic ergo credere potes quod ſi nos orbẽ Lunæ incoleremus, & ex eo loco reſpiceremus ad hanc nobis conſpicuam Tellurem: ipſa ex ſuperficie maris ad aſtri ſolaris fulgorem obiecta nobis ex aduerſo poſitis lumen eiacularetur; & ita nocturnum hinc lumen & diurnum à ſole reciperemus,ſicut hæc Tellus illinc & à ſole recipit. Valde veriſimilia dicis. Amplius ſi mihi adtẽdes fateberis omnino vera.Ergo quod apparet in viciſsitudine interpoſitionis Telluris inter ſolem & lunam, & interpoſitionis lunę inter Solem & Tellurem,viciſsitudines eclypſiũ eaſdem ſpectaremus: quia quod nobis eſt eclypſis ſolis, illis eſt eclypſis Telluris & quod nobis eſt eclypſis Lunæ,lunaribus eſt eclypſis ſolis propter telluris interpoſitionem inter eorum oculos atq; Solem. Similiter Lunaribus apparet umbra in corpore telluris,quando à tergo illorum eſt ſol; ſicut & nobis à Luna tenebræ diurnæ fiunt. Quid ergo prohibet ne ad eandem ſpeciem ſubſtantiæ referas hunc mundum atq; illum?Illæ ergo ſunt aquæ ab aquis diſtinctæ per firmamentum cælum;per unum nempe æthereum ſpacium in quo omnes mundi ſeu tellures, non aliter quam hoc noſtrum aſtrum firmantur fundantur: Aquæ illæ noſtri reſpectu
ſupe-

ſuperiores appellãtur ſicut & iſtæ quæ in huius ſunt ſuperficie Telluris illorum viciſsim reſpectu ſuperiores appellantur: Ita quippè iſtæ verſus ſenſibilis cæleſtis horizontis circumferentiam apparent illis, ſicut & nobis illæ. ¶ Omnia aſtra appellantur ignes à Chaldęis propter formam qua ſplendẽt quædam & principium quo alia ſplendere faciunt, alia per ſeq; ipſa ſplẽdent. Et animalia ignea miniſtroſq; igneos deoſq; innumerabiles diuina oracula appellant, nec non poeta Pythagorico informatus ore refert formam orantis, aiens:

Vos æterni ignes & non violabile veſtrum
Teſtor numen.—

Eadẽ ſunt quæ aquas omnia appellant, ut Moſes uno nomine appellauit pro more Aegyptiorum ſapientum, quia & ipſam ignis ſubſtantiam aquam intelligit eſſe: velut & Mercurius Triſmegiſtus naturam humidam, cum quadam à luce actuatione. Aegyptij enim & cabaliſtæ ignem inter principia ſeu primas ſubſtantias non adnumerant ſed quiddam ex illorum concurſu prouenienſ eſſe intelligunt. Sed de principiorum ponendorum diuerſa apud diuerſos methodo non eſt heic locus. Terram quoq; prophetarum arcana (quæ eſt in participatione omnium ſtellarum omnino neceſſarió) in cælo ponere non verentur, beatos inquiunt pacificos quia illam poſsidebunt terram. Alij credunt ſe viſuros bona Domini in terra viuẽtium, ſeu beatiore quam iſta ſit, hoc eſt dictu in aquis quæ ſunt ſuperiores. Plato vocat Tellurem antiquiſsimam Deorum, omnium qui ſint intra cælum. Addit ingentes terræ regiones habitari noſtris mirum in modum altiores ubi lapides & metalla & animalia ſint noſtris mirum in modum præſtantiora atq; pulchriora, ubi homines diutiſsime viuant (conforme hoc ei quod terram viuentium vates Ebræorum appellãt. Ad quas tãquã ad cognata aſtra iuſtos & heroes ad-

volare ex hoc mundo nostri maiores (ut ex relatis in de somnio Scipionis habemus) crediderunt. Astra huiusmodi intelligentia sensuq; prædita cōtestantur etiam Chaldæi & Rabini sapientiores, qui ubi Iobi verba sunt: Vnde ergo sapientia venit? quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viuentiū, volucres quoque cæli latet: Intelligi per cæli volucres volunt secundos Deos, angelos, qui sunt astra, diuinæ infinitæ maiestatis finito modo celsitudinem annunciantes atq; contestantes. ¶ Anaxagoras ab Athenientibus est interfectus (ut semper ignorantia immicissima fuit sapientiæ) quod solis substantiā terream intellexit & igneam humido in corpus lucidum concretam; quam subinde uno verbo lapidem ardentē definiuit: An verò cum hoc nō altius senserit de substantia illa diuina & animali, dubium est : & fortasse inde à populo digné morte plectendus iudicatus est. ¶ Ferè omnes æthera appellarunt flammantiar astra ἀπὸ τοῦ αἴθειν id est vrere, vel ardere. Sed Aristoteli placet ut dicantur potius ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν ex ἀεὶ id est semper, & θεῖν quod est currere. Vtraq; denominatio bona est si rite intellecta sit. ¶ Plotinus de mēte Platonis aduersus Gnosticos terram intelligit in cælo quia necessariò solida est astrorum substantia, & soliditas sine terra nulla est. Nec te prætereat ut à densitate partium illius suæ essentiæ quintę soliditatem & lucem faciat Aristoteles, oblitus est tamen vel minus animaduertit ut fingeret causam differentiæ qua solidissimus ille globus lunaris & densissimus non luceat per se, sol vero & scintillantia reliqua sic luceant.

¶ Nec mētitus est Cicco Aesculano Floro spiritus, q. de umbra Lunæ interrogatus quid esset: respondit VT TERRA TERRA EST. & quæ sequuntur. quib. verbis eum ænygmata loquutū existimauit. Vnus Aristoteles cum sua multitudine (quæ tota ut non plus quam unus ponderat Aristoteles) essentiam illam quintam maximē

ad

adhinnit nescio quibus Platonicis & Pythagoricis mysterijs ad literam interpretatis.

¶ Cum ergo omne quod lucet apud nos, aut per se, atq; præcipue luceat ut ignis, aut secunda quadam participatione per ignem scilicet, ut diaphanum corpus opaco aliquo terminatum, quod omne humidum est vel ex humida substantia concretum; vel utriusq; quodammodo particeps principij, quia videlicet lux humidæ cõcretæque substantiæ vel profundius hæret, ut in carbũculo, vel superficialius quodammodo, ut in noctilucis secundum genus; quæ aeris quadã puri concretione, quã spumeus, vuctuosusq; quidã spiritus cõtinere videtur, accidit. Quibus ita se habentibus consentaneũ sanè est ut non nisi urgente aliqua ratione ad aliud principium quam igneum, aqueumq; referamus quod á nobis longius remota luceant. sicq; ex astris alia aquea vel aquas dicimus, alia verò ignea seu ignes, ut & eorum hæc propria, illa verò aliena luce sunt prospicua. Interea quia aqua non consistit sine terra, & ignis non potest nisi in humida vigere substantia, vel accendi: ex ijsdem intelligimus omnia astra composita principiis: atqui propter alium in alijs principiorum ordinem. nec non alius atq; alius in diuersis prædominium euenit ut in his forma atq; denominatio sit ab igne, in illis vero ab aqua. Proinde quia à similibus ijsdemq; accidentibus via est ad argumentandum de simili eademq; substantia videmus eadem omnino sub analogia tellurem esse atq; lunam ad solem & ad æthereum spacium; nec non duo hæc astra ad alia duo ultra solem in eadem vel circiter distantia remota Venerem scilicet atq; Mercurium: cur alius diuersæue substantiæ credi poterunt? & diximus & dicemus iterum quæ aliquando vna vel alia via hærere animo faciamus ut tellus atq; luna ab astro Veneris & Mercurij necessariò in eorum qua duo illi planetæ nobis videntur specie debent omnino fulgida astra apparere: il-

la ergo esse in eadem astri specie nihil est quod credere impediat, sic alia ex parte fixa igneaq;, quæ vel cirtuitu non ita conspicuo intra suos planetas agitantur ad aliã astri speciem, stante eodem propter eadem omnibus communia principia, uniuersorum genere.

¶ Neq; heic prætermittam illam recẽsere Aristotelis phantasiam qui eam cæli simplicissimam substantiam tot gradibus densitatis raritatisque distinctam adducit absq; differentia aliquarum circa eandem materiã qualitatum; quasi densitas & raritas nunc sint qualitates primariæ & absolutæ quas in libris de Generatione & metheorologicorũ fecit esse ex primis cõtrarijs calido atq; frigido; & consequenter in subalternis seu subordinatis ita oppositorum gradibus teneantur: quod si non ex prima illa contrarietas secunda ista est, unde queso deducetur? cur non docuit? Proinde obscuras illas opacasue in luna partes ait de rariore cæli esse substantia ne solis valeant radios repercutere & illius similitudinem nẽpe lucem ad oppositas reflectere partes. decurrit quippé lux per corpus diaphanum quod opaco aliquo non terminatur sicut cristallus cui stannum vel plumbum non hæret subiectum vel aliud umbrantis vel umbrosi corporis genus ulterius ab ipsius corpore diffluentem recipit imaginem atq; lucem: sicut & alabastrum ubi spissius ibidem est albius, ubi vero rarius ibi nigricans apparebit. Quod si res ita haberet necessarium omnino esset ut ea ratione qua raritate sua solis radios nõ reflectit sed ultro quasi per diaphanum diffluere corpus efficit; cõsequenter eueniret ut tempore quo lunæ corpus inter visum nostrum atq; solem mediat, quibusdam tantum illis partibus sol deficeret à lunæ corpore quæ illius reflectere valeãt radios: per raritates vero illas quasi amplissima foramina penetrans enitesceret. Quid dices? Raræ quidem sunt partes sed non usq; adeo ut per eas lux transfundi possit: At ego subnectam, neq; ergo tam

raiæ

raræ sunt ut nobis soliq; oppositæ eædem partes solis lucem ad nos reflectere nequeant. Hæres? Iam ergo si tibi in nostrã venire sentẽtiã nolle certũ est(ne tellus illa in istius morem densas habeat hasce terræ partes à quibus propter asperitatem superficiei lux non repercutitur; & leniores illas maris alias quæ non solum ad tantã distantiam & oppositionem, sed ab eminentioribus quoque circa littora locis ad solem (lunamue obuersis reflectunt conceptæ lucis radios) Auerte(rogo te)hinc pedẽ versus Plinij naturalis hystorici saltem scholam. Dicet enim ille tibi nõ tam insensata uerba quá augustissimus iste academiarcha tuus. Sidera haud dubie humore terreno pascuntur, quia orbe dimidio nonnunquam maculosa cernuntur, scilicet non dum suppetente ad haurien dum ultra vi iusta. Maculæ enim non aliud sunt quam á terra raptæ sordes cum humiditate aquea: Si necisté sensus arridet Respondeco Nescio. Deus sit. sapientia istius mundi stultitia est deo. Et hæc mihi responsio satisfaciet. dummodò nobis stultior, coram dijs quoque stultissimus & neglectissimus non inueniare.

CAPVT IX.

De lumine Nicolai Copernici.


Eic ego te appello veneranda prædite mente
Ingenium cuius obscuri infamia secli
Non tetigit, & uox non est suppressa strepenti
Murmure stultorum, generose Copernice, cuius
Pulsarunt nostram teneros monumenta per annos
Mentem, cum sensu ac ratione aliena putarem

Quæ manibus nunc attrecto, teneoq; reperta:
Posteaquam in dubium ſenſim vaga opinio uulgi
Lapſa eſt, & rigido reputata examine digna,
Quantumuis Stagyrita meũ nocteisq; diesq;
Græcorũq; cohors, Italûmq;, Arabûmq; ſophorum
Vincirent animum, concorsq; familia tanta.
Inde ubi Iudicium ingenio inſtigante, aperiri
Cœperunt ueri fontes, pulcherrimaq; illa
Emicuit rerum ſpecies (nam me Deus altus
Vertentis ſecli melioris non mediocrem
Deſtinat (haud veluti media de plebe) miniſtrum)
Atq; ubi ſanxerunt rationum millia veri
Conceptam ſpeciem, facilis natura reperta,
Tum demum licuit quoq; poſſe fauore Matheſis,
Ingenio partisq; tuo rationibus uti.
Vt tibi Timei ſenſum placuiſſe libenter
Accepi, Aegeſiæ, Nicætæ, Pythagoræq;.
Iam tibi non Tellus tantum media eſſe negatur,
Quod reliqui potuere ſatis multo ante videre;
Verum etiam annali gyro circum atria ſolis
(Citima ceu reliqua hæc ſeptem concentrica) ferri,
Dum raptim circa proprium quoq; concita centrũ
Mundani ſpecie motus fallitq; diurni,
Tantorum unde ſubit uultus circumq; rotantum
Deliræ ſoboles quæ ſunt comperta Matheſis.

MIrum ò Copernice ut è tanta noſtri ſeculi cæcitate quando omnis philoſophiæ lux cum ea quæ aliarum quoq; rerum inde conſequentiũ eſt, extincta iacet, emergere potueris; ut ea quæ ſuppreſ-

ſione

ſiore voce proxime præcedente ætate in libro de docta ignorantia Nicolaus Cuſanus enunciarat, aliquāto pro ferres audacius, eo nempe clypeo confiſus quòd ſi opinio uera per ſe ut ſuſciperetur non eſſet efficax; ſaltē pro maiori quam in ſuputationibus aſtronomicis adfert cōmoditate ſub ſpecie ſuppoſitionis admitteretur. Heic quibus te verbis diuinus ille tuus Genius incitarit ego referam. ¶ Hominis philoſophi cogitationes à vulgi iudicio ſunt remotæ propterea quod illius ſtudium ſit in rebus omnibus inquirere veritatem per ſe; cui iſtud mercenarium & ignobile etiam ſub philoſophiæ titulo recepta mendacia anteponit; Quamuis ergo ſcias te tribuente terræ globo quoſdam motus ſtatim cum tali opinione explodendum; alienas tamen prorſus à rectitudine opiniones fugiendas cenſeto: neq; adeo cures quid de te ſtulti mortalium exiſtiment: ſed qualis corā dijs in æternitatis libro deſcribaris. & quanto paucioribus notus comperere, tanto ad deûm ſimilitudinem propius accedes qui in omnium aſpectum & cultum venire etiam dedignantur, quorum optimus maximus nemini præter quam ſibi ſoli pro dignitate notus eſt. At tu. Difficile (inquiebas) eſt unum perſequi bonum, vel unū fugere malum, abſq; eo quod alterum quoddam frequentiſsimè non incurratur. Antiqui illi cauentes ne res pulcherrimæ multoq; clariſsimorum philoſophornm ſtudio inueſtigatæ ab illis contemnerētur, quos aut piget ullis literis bonam operam impendere niſi quæſtuoſis, aut ſi aliorum exemplo ad liberale ſtudiū philoſophiæ excitentur tamen propter ſtupiditatē ingenij inter paucos philoſophos tamquam multi fuci (ſub eodem & glorioſiore titulo) inter apes verſantur: accidit ut duo alia inconuenientia incurrerentur, Alterum quorū eſt quod plurimi ex inuidentia quadā eos id feciſſe arbitrantur, Alterum quod veritas illa quæ tunc paucis ſe ipſam inſinuabat; poſtmodum ab uniuerſorum oculis ſe ſubtra-

xerit,ut quaſi in profundiſsimum detruſa lateſceret. Verum tamen quidquid ſit de ijs, contemptus qui mihi propter nouitatem & abſurditatem opinionis metuendus erat propemodum me impulit ut inſtitutum opus prorſus intermitterem: verum amici me diu cunctantem, atq; etiam reluctantem retraxerunt; hortantes ut meā operam ad cōmunem utilitatem conferre nō recuſarem diuitus. Fore enim ut quantò abſurdior pleriſq; hæc mea doctrina de terræ motu videretur; tantò plus admirationis atq; gratiæ habitura eſſet poſtquam liquidiſsimis demonſtrationibus caliginem abſurditatis ablatam viderent. Illud animaduerti quod aduerſarij alias de rebus iſtis rationes habentes, & conſtantiſsimam terram ſupponentes cum regulariſsima cælorum circa ipſam reuolutione non ſatis ſibi cōſtare poſſunt, ubi uſq; adeò de motu ſolis, & Lunæ quæ præcipua mundi luminaria ſunt videntur incerti, ut nec vertentis anni perpetuam magnitudinem demonſtrare & obſeruare poſsint Immo neq; naturalis diei, cui licet ad ſenſus noſtri imbecillitatē ſatisfacere videantur nil tamen habēt quod longarum obſeruationum reſpondeat differētijs.

¶ Secundò quia nō eſt illis ratio cur propter varium indagandi modum mihi improperent ubi in conſtituendis motibus tum ſolis & Lunæ ut dictum eſt, tum aliarum quinq; errantium ſtellarum neq; ijſdem principis & aſſumptionibus ac apparentium reuolutionum, motuumq; demonſtrationibus utuntur. Alij namq; circulis omocentris ſolum, alij eccentris & epicyclis, quibus tamen quæſita ad plenum non aſſequuntur. Nam qui omocentris confiſi ſunt, etſi motus aliquos diuerſos ex ijs componi poſſe demonſtrauerint; nihil tamen certi quod nimirum phænomenis reſponderet inde ſtatuere potuerunt. Qui verò excogitauerunt eccentrica & ſi magna ex parte apparentes motus congruentibus per ea numeris abſoluiſſe videantur; pleraq; tamen interim ad

miſe-

miſerunt quæ primis principijs de motus æqualitate videntur contrauenire.

¶ Tertio quia rem præcipuam, id eſt, mundi formam ac partium eius certam ſimmetriam non potuerunt inuenire, vel ex illis colligere: Sed accidit eis perinde ac ſi quis è diuerſis locis manus pedes caput aliaq; membra optimè quidem; ſed non ad unius corporis comparationem depicta ſumeret, nullatenus inuicem reſpondentibus, ut monſtrum potius quam homo ex illis componeretur; itaq, in proceſſu demonſtrationis quam methodum vocant, vel prçteriſſe aliquid neceſſarium, vel alienum quippiam ad rē minimè pertinens admiſiſſe inueniantur, id quod illis minimè accidiſſet ſi certa principia ſequi eſſent: nam ſi aſſumptæ illorum hypoteſes nō eſſent fallaces omnia quæ ex illis ſequuntur proculdubio verificarentur.

¶ Quarto quia omnium philoſophorū quos habere potui relectis libris, & viſo an ullus umquam opinatus eſſet alios ſphærarum mundi motus ab ijs qui cum tanta incertitudine poſiti ſunt apud mathematicos vulgi, Repperi apud Ciceronem Nicetam ſenſiſſe terram moueri, & apud Plutarchum Echſantum, Heraclidem, Pythagoricos, Timeum, unde & occaſionem nactus cæpi & ego de mobilitate terræ cogitare.

¶ Quintò quia quāuis abſurda opinio videretur tamen ob libertatem alijs ante me cōceſſam; quibus ad demonſtrādum aſtrorum phenomena licuit quoslibet effinxiſſe circulos: exiſtimaui & mihi licere experiri an poſito terræ aliquo motu pro reuolutionibus orbium cæleſtium inueniendis firmiores facilioreſq; prodirent demonſtrationes. Et repperi quod ſi reliquorum errantium ſiderum motus ad terræ circulationem referantur, & pro cuiuſq; ſideris reuolutione ſupputentur, non modo illorum phænomena inde ſequantur: ſed & ſiderum atq; orbium omnium ordines, magnitudines: & cæ

lum

lum ipsum, ita connectat ut in nulla sui parte posit aliquid transponi sine reliquarum partium atq; totius uniuersitatis confusione.

¶ Sexto quia dum in progressu operis hunc sequor ordinem, ut in primo libro communem uniuersi constitutionem cum motibus terræ, & in reliquis libris confero reliquorum siderum atq; omnium orbium motus cum terræ mobilitate ita ut omnes apparentiæ saluari posint, non dubito quin ingeniosi atq; docti mathematici mihi adstipulaturi sint, præsertim si quod hæc philosophiam in primis exigit non obiter cognoscere, & expendere voluerint.

¶ Septimo quia si è Theologis quidam fortasse erunt qui omnium mathematum ignari de illis tamen iudicium sibi sumere propter locum aliquem Scripturæ malè ad suum propositum detortum ausi fuerint meũ hoc institutum reprehendere & insectari, illos nihil moror, adeò ut etiam illorum iudicium tamquam stultum atq; temerarium contemnam.

¶ Octauo nam mathematica mathematicis scribuntur quibus & hi nostri labores, si non fallit opinio à reipublicæ ecclesiasticæ fine abhorre non videabuntur; ideoq; doctisimorum & prudentisimorum iudicio & authoritate fretus futurum arbitror ut à calumniarum finè immunis maneam & illæsus. licet sit in prouerbio NON EST REMEDIVM ADVERSVS SICOPHANTAE MORSVM.

DEFINITRO TRIPLICIS TERRÆ *motus per Copernicum.*


¶ Cum igitur mobilitati terrenæ tot tantaq; errantia siderum conueniant testimonia, iam ipsum motum in summa exponemus quatenus apparentia per ipsum tãquam hypothesim demonstrẽtur quem triplicem omni noesse oportet. Primum diei noctis circuitum quem nocti-

noctimerinon græci vocant circa axem Telluris ab occasu in ortum vergentem. Prout in diuersum mundus ferri putatur æquinoctialem circulũ describẽdo quem æquidialem dicunt nonnulli, græci vero isimerimerinõ. Secundus ab illo est motus centri annuus qui circulum signorum describit circa Solem in consequentia, id est, ab occasu similiter in ortum percurrens inter Venerẽ & Martem cum sibi incumbentibus. Vnde fit ut ipse sol simili motu Zodiacum pertransire videatur quia Capricornum centro terræ permeante sol Cancrũ videatur pertransire, ex Aquario Leonem, & sic deinceps eodem ordine, alios. Tertius motus est cõsequens ad hũc circulum qui per medium signorum est, cuius superficiem intelligi oportet æquinoctialem circulum, & axẽ terræ habere conuertibilem inclinationem: quoniam si fixa manerent, & non nisi centri motum simpliciter sequerentur, nulla appareret dierum & noctium inæqualitas; sed semper solstitium vel bruma vel æquinoctium vel æstas, vel hyems vel utrunq; eadem temporis qualitas sui similis maneret: sequitur ergo tertius declinationis motus annua quoq; reuolutione sed in præcedentia, id est, contra motum centri reflectens: Sicq; ambobus inuicem æqualibus & obuijs mutuo, euenit ut axis terræ & in ipso maximus parallelorũ æquinoctialis in eandem ferè mundi partem spectent perinde atq; si immobiles permanerent, solque interim per obliquitatem signiferi moueri cernitur eo motu quo centrum terræ; nec aliter quam si ipsum esset centrum mundi.

Demonstratio Triplicis Motus.

Hæc cum talia sint ut oculis magis subijci quam dici desiderent describamus circulum A B C D quem repræsentauerit annuus centri terrę circuitus in superficie signiferi, & sit E centrum eius sol. Ipsum circulum secabo quadrifariam subtensis diametris A E C, & B E D,

Punctum A teneat Cancri principium, B Libræ, C Capricorni, D Arietis. Iam aſſumamus centrum terræ primum in A ſuper quo deſignabo terreſtrem ęquinoctialem F G H I Sed non in eodem plano niſi quod G A I dimetiens ſit circulorum ſectio communis, ęquinoctialis videlicet & ſigniferi. Ducto quoq; diametro F A H ad rectos angulos ipſi G A I, ſit F limes maximę declinationis in Auſtrum. & H limes maximę declinationis in Boream. Iſtis ita ſe habentibus terreſtres uidebunt Solem circa E centrum ſub Capricorno brumalem conuerſionem facientem, quam maxima declinatio Borea H ad Solem conuerſa efficit: quoniam decliuitas ęquinoctialis ad A E lineam per reuolutionem diurnam detornat ſibi tropicum hiemalem parallelum ſecundum diſtantiam qua ſub E A H angulus inclinationis comprehēdit. ¶ Proficiſcatur modo centrum terræ in conſequentia, ac tantundem F maximæ declinationis terminus in præ



cedem-

cedentia, donec utriq; in B peregerint quadrantes circulorum; manet interim EAI angulus semper æqualis ipsi A E B, propter æqualitatem reuolutionum; & dimetientes semper ad inuicem F A H ad F B H; & GAI ad G B I, æquinoctialisq; æquinoctiali parallelus quæ propter dictam causam apparent eadem in immensitate cæli. Igitur ex B Libræ principio E sub Ariete apparebit, cõcidetq; sectio circulorum cõmunis in unã lineã G B I E ad quã diurna reuolutio nullam admittet declinationem, sed omnis declinatio erit á lateribus; itaq; sol in æquinoctio verno videbitur.

¶ Pergat centrum terræ cum assumptis cõditionibus, & peracto in C semicirculo apparebit sol Cancrũ ingrediat F australina æquinoctialis circuli declinatio ad solã conuersa faciet illum Boreum videri æstiuum tropicũm percurrentem pro ratione anguli E C F inclinationis. Rursus auertente se F ad tertium circuli quadrantem sectio communis G I in lineã E D cadet denuò, unde sol in libra spectatus videbitur Autumni æquinoctium con fecisse. Ac deinceps eodẽ progressũ H F ad solem paullatim se conuertens, redire faciet ea quæ in principio unde egredi cœpimus

ALITER.



Sit itidem in subiecto plano A E C dimetiens & sectio communis circuli erecti ad ipsum planum, in quo circa A, & C id est sub Cancro & Capricorno designetur per vices circulus terræ per polos qui sit D F I, & axis

xis terræ ſit D F, Boreus polus D Auſtrinus F, & G I dimetiēs circuli æquinoctialis. Quādo igitur F ad ſolem ſe conuertit qui ſit circa E; atq; æquinoctialis circuli inclinatio Borea ſecūdum angulum qui eſt ſub I A E, tūc motus circa axem deſcribet parallelum æquinoctiali Auſtrinum ſecundum dimetientem K L & diſtantem L I tropicum Capricorni in ſole apparentem. ſiue ut rectius dicam motus ille circa axem ad viſum A E ſuperficiem inſumit conicam, in centro terræ habentē faſtigiū, baſim verò circulum æquinoctiali parallelum. In oppoſito quoq; ſigno C omnia pari modo eueniunt, ſed conuerſa.

¶, Patet igitur quomodo occurrentes inuicem bini motus, centri inquam & inclinationis cogunt axem terræ in eodem libramento manere, ac poſitione conſimili, & apparere oñia quaſi ſint ſolares motus

QVOD NON OMNINO AEQVALES *ſint motus centri & inclinationis.*

Dicebamus autem centri & declinationis annuas reuolutiones propemodum eſſe æquales, quoniam ſi adamiſsim id eſſet; oporteret æquinoctialia ſolſtitialiaque puncta, ac totam ſigniferi obliquitatem ſub ſtellarum fixarum ſphæra haudquaquam permutari: ſed cum modica ſit differentia non niſi cum tempore grandeſcens patefacta eſt à Ptolemeo quidem ad nos uſq; partium prope viginti quibus illa iam anticipant: quam ob cauſam crediderunt aliqui ſphæram quoq; ſtellarū fixarum moueri quibus iccirco nona ſphæra ſuperior placuit. quæ cum non ſufficeret, nunc recentiores decimam ſuperaddunt; nedum tamen finem adſequuti. quem ſperamus motu terræ nos conſequuturos; quo tamquam principio & hypotheſi utentur in demōſtrationibus aliorum.

CAP.

CAPVT X.

De ſolis motu aſtrorumq; fixorum eiuſdem generis, & de aliis Telluris motib. quos geometricos putauit Copernicus, qui adhuc miris ſe ſuppoſitionibus implicuit.



Ttamen & medium ſolis perpendere gyrum
Quo fertur candens intra aſtra liquẽtia nec tu
Senſu quiuiſti altipeto: exindeq; recliuem
Telluri adſcribis motum, ſortemq; duorum
Difficili fixam ſerie ſeruare polorum
Niteris. Interea & remanens eccentricus ille
Non ulla ratione datus circumfluxus axis:
Nam uariam ſolis vario pro tempore molem
Orbita de medio puroq; oſtendere templo
Aſſueuit cuius dignum eſt pernoſcere cauſſam.
Et te preteriit ueluti temerarius ille eſt
Mercurij ac Veneris curſus quia corpora tanta
Sole magis numquam nobis propiora recurrunt.
Vt bene dixerunt qui tempus ad uſq; Platonis
Luſtrarunt oculis Genio meliore micantum
Stellarum curſus. Quidquid confictio Mauri
Suadet mendacis maculam qui in ſole notarit
Tempore quo iunctus fuerat Cyllenius olli.
Et mirum cur non ſpecie Telluris adactum
Illo te uideam ceu conſiſtentia mundi
Aſtrorum tibi clara fuit ſine pondere in amplo
Aethere nec cœlis rapientibus indigna ferri.

Vnde locus non esse queat quo tanta vehantur
Corpora totq; istud circa excurrentia seclum
Vnde nihil capiant, nihilum cui distribuantq;
Nec fuerint uno super axe infixa vehenti
Vni. At te uexans intorcta corrolla poteruo
Atq; infœlici nimium pede torquet, & urget
Maiores adigens alias in suppositurae:
Vt Geômetrando pariter vexeris, ut ij queis
Octauam sphæram permultis nona retardat,
Inq; dies simplex species trepidantior exit
Millia monstra vehens accessus atq; recessus:
Signifer infernus morosum exinde supernum
Tā rigidé Helligeram hanc beluam tractarier audit
Quò ruat in præceps perfractus cornibus, atq;
Obtusam quassans testam nutantis olympi
Claustra mouet: Variè hinc turbantur pōdera libræ,
Nescio quo nimium temulenta Astrea superna
Nectare subiectam exagitat, tractamq; capillis
Concutit & quassat fatis violenter iniquis.
Insimul hinc auges multorum insania multa
Proripit, inde poli subiectaq; corpora tanta
Hoc nutant nutante suoq; ex ordine cædunt;
Quantumuis discreta sient longo ordine cuncta.
Ergo Telluris facit hoc variatio centri,
Vt bene cognosti, sed caussam adducere nostras
Pertinet ad parteis, quibus innotescat ut ille
Debeat ad normam nusquam spectare mathesis.
Namq; superficies maris arentisq; profundi
Sublimisq; suis vicibus variantur & uno
Temporis in puncto nihil unum constat idemq;.

Quo-

Quocirca & sensim centrum mutatur obitq;
Sensim, non breuibus ita coniectabile seclis.
Legibú quæ frustra cupiant apprendier ullis.
Profuit ergo nihil quod terram noueris astrum
Aera per magnum, circa ignes templa meantem,
Vt spacium inferres unum sine fine, nec ulli
Lumina raptarent orbes. Proinde omnia solis
Vt supera astra ferant naturam, tantaq; totq;
Scintillant etenim neq; sunt cognata planetis,
Prædita nec parili consistunt mole, sed amplam
In speciem adsurgunt elementi flammiferantis.
Quæq; minora vides, ea dißita longius esse
Concipias: spaciumq; ultra haud sine fine deesse
Consimilis similes ut habetq; potentia dotes.
Ergo manent velut iste manet sol, undiq; soles,
Et velut iste suis sic quilibet ille planetis
Vallatur quos non ulla ratione videmus
Qua nec & inde valent isti hoc cum sole videri.
Ergo tibi nec sit cœlum neq; mobile primum,
Nam subiecta duo hæc periere ut voce prophetæ
Prædictum vera est nostra hac ætate futurum:
Quandoquidem acceßit fauor & sententia diuum
Veri pro specie quam mox iustiq; sequetur
Iudicium & sanctæ fundamina relligionis
Speratumq; diu seclum succedet in orbe hoc.
Nam relegata dabit tenebrarum numina in orcum,
Erroresq; vagos cum pondere lancis iniquæ,
Quæ lucem mentita diu, palantia crudis
Per noctem ducibus mortalia corda dedere.
Ergo renitebit sancto de pectore diæ

Naturæ ſpecies mundum diffuſa per amplum,
Immenſiq; operis moderator verus & unus
Noſcetur verè magnus, cui numina plaudunt
Infinita, ſua quæ immenſum luce ſerenant,
Totq; quot in cunctis viuunt animata minora.

AT verò manifeſtum eſt Tellurem conſtanti eſſe ad polum vultu, & ab antiquis ut Timeo & Pythagoricis circa polum verſa annuo motu dicta eſt & ad ſtellas omnes fixas inuariata & conſtans (ſecundũ generalem dico rationem) inuenitur: ad pauca ergo reſpicienti potuit mea illa imaginatio quã iunior habui deſeruire: nempe ad ſolam relationem eam quæ eſt inter ſolem & tellurem pro anni varietate, & ad reliquum nobis luminare maius quod eſt Luna ſocialiter cum Tellure ſolem annua reuolutione circumluſtrans: Sed ubi propoſitum fuit altius contemplationis oculos adtollere cum certiſsimum ſit vel modica Telluris facta à polo ad polum receſsione reſpectum eum qui eſt verticis noſtri ad fixarũ ſtellarũ verticalẽ variari & horizõtem alium fieri: curaui ut ea de re Copernicum conſulerem de quo tantum audieram quod cum antiquis terrã circa ſolẽ & proprium centrum moueri ad annuum diurnumq; motum conſentiret: comperi ut ille alium huc motui polum ſtatuerit quam ego cogitabã & ex antiquis perceperam. Cẽtrum quippe Telluris ſecũdum ipſum verius inter polos zodiaci diſcurrit: & hoc pro quadruplici anni tempeſtate poterat ei ſufficere: ſed reclamantibus mundi polis & tota illa reliquarum ſtellarum conſtantia cum verticali circulo & horizonte (quos in propoſito ſtatarios cognoſcere oportet) quaſi à natura reuocante ad ſuppoſitiones diuertere cæpit cũ ſua illa inflexione, quam conuertibilem inclinationem

appellat:

appellat : quam licet mathematici pro eorum uſu non incommodam inueniãt (utpote qui magis implicitis & abſtruſis & abſurdis naturæ torminibus aſſuerint alias ſuas conſtruere tabulas pro cuiuſq; motus regula & anomalia) mihi tamen numquam ſatis naturæ adcommodata viſa eſt. Satis enim Tellus aſſequitur finem ſuum variandorum temporum & méſuræ lucis ac tenebrarum calidi atq; frigidi, ſi cum motu diurno componat obliquum circa ſolem circuitum abſq; tertio illo motu. Satis eſt enim ad augmẽtum & decrementum dierum, ut ſolis perpendicularis radius modo per lineam æquinoctialem Telluris, modo per lineam hanc vel illã tropicalẽ, modo p has vel illas intermedialesemicet. Sic ſpirales circulos eſſe oportet ſole ſenſim exortus alios atq; alios ſubeunte. Tertius ergo ille declinationis motus contra centri motum reflectens, hoc tantum quærit ut axis terræ & in ipſo maximus parallelorum æquinoctialis in eandem ferè mundi partem ſpectent : hoc autem non ad naturam rei & momenta pro quibus Tellus moueatur , ſed ad aſtronomica phænomena . idque (quod ego capere poſſum) magna cum difficultate atq; Genij remurmuratione quadã de qua ſi videbitur aliàs. Mihi verò longe magis naturæ conſentaneum videtur, ut Tellus ultra motũ diurnum quo proprij æquinoctialis circulum deſcribit, pro ſecundo annuo motu eodem ordine ab occaſu ad ortum æquinoctialem terat noſtri ſeculi lineam; ab utroq; nempe deſignatorum polorum æquidiſtantem : cumque hoc axem orbis proprij omnino habere verſus polũ & polares parallelos immobilem. Sicut & iudicamus planetarum reliquorum ſingulos immobilem habendo axem ad ſibi cõſtitutos polares circulos quos axis extremitatibus delineent; annuos circa ſolem medium percurrere circuitus: quod manifeſtè in Luna comperiri poteſt quæ in tanta aſpectuum varietate certam ad tellurem perpetuo fixam vi-

detur habere partem. Omnia vero mihi facile constare videntur si solem concipiamus sic medium inter errantia sidera, ut & ipse circulum internum terat cuius diameter ad nostrum aspectum finiatur ad duos tropicos, Cancri videlicet & Capricorni, ad aspectum vero Lunaris mundi qui latius circa terrã euagatur, duplici videbitur de causa, intrinseca videlicet & extrinseca, deuectio illa solis maior: De venere, & Mercurio infra dicetur. alios enim prætermitto. Hinc euenit ut & diameter solis varietur, & nunc tardius nunc verò velocius moueri videatur ipse, cum tamẽ Tellus annuo circuitu æqualiter ad aspectum generalem fixarum stellarum annuum peragat circa mundi nempe polos cursum, sol tamen interim in una Zodiaci medietate plus immorari videtur quam in alia; quod minime esset nisi aliqua ratione obliquato illo suo circulo interdum cõcursum interdumq; occursum variante cũ Tellure. Suffragatur huic sententiæ quod & reliquas stellas fixas (soles nẽpe alios) similes cõficere circuitus inueniũtur: quod physica noui ratione antequam idem audissem obseruatum mathematicis nostri temporis. Inueniq; postea à Mirandulano relatũ quod Leo Hebręus insignis mathematicus quasi veteribus parum fidens excogitauit nouum instrumentum cuius canones se vidisse testatur mathematica subtilitate præcellentes: quo medio duas non erraticas bis eodem anno cum obseruasset dicit priorem obseruationem ab altera duobus discrepasse gradibus. Sed Peripateticus alioqui philosophus hac luce ante oculos obiecta ad naturę sensum minimè oculatior est effectus, ad aeris quippe statum putat differentiam illam esse referendam: sed hoc stupidi est capitis asserere, non enim ab aere distantiæ ratio sed magnitudinis tantum (quidquid ille possit) variatio potest intensiore rarioreq; medio causari quæ ad duorum graduum differentiam centrum unius fixæ ab alterius fixæ centro multum abest


ut

ut vel puncto diſcriminare poſsit. Ille vero qui diſtantiam metitur nō à peripheria tendit ad peripheriam,ſed ad centrum unum atq; alterum diſtantiæ terminos ſibi cōſtituat oportet. Porro ad hoc percipiendum tantum, quocunq; poſſumus facillimè uti inſtrumento.

¶ Aliud quod deſideraſsē á Copernico haud quidē mathematico ſed philoſopho:eſt ne octauam illam ſibi confinxiſſet ſphæram tamquam unum omnium ſtellarū à centro æquidiſtantium conceptaculum. Egregie tamē feciſſe comperitur quantum certè mirè ab homine plus mathematico quam phyſico; quia ex illa parte nullum recognoſcit motum:ſed omnem polorum, & tropicorū & augium varietatem & quācumq; aliam quam illi reli qui appingūt à motu, telluris(ni fallor quia omnia eiuſdem dogmata non vacauit perſcrutaſſe,nec non piguit, quando tum ſuos tum aliorum aſtronomicos canones cum natura nihil habere commune optime ſciam) tamquam à proprio principio atq; primo ſubiecto petendā iudicauit.

¶ Proinde nec in eam poſſum currere ſententiā qua Mercuriū atq; Venerē minores circulos à Telluris atq; lunæ circulo cōprehenſos,cōſtituit efficere : hoc enim nullo poteſt ſaluari pacto:ad eam quippe ſufficientiam Venus & Mercurius per latitudinem à ſole abſcedunt quanta ſufficere poſſet ut inferiorem ſub ſole ſemicirculum percurrentes non modo in lunæ magnitudinem & ſpeciem atq; colorem deuenirent,ſed alterum horum aſtrorum(nempe Venus quæ maioribus á ſole medio recedit ſemidiametris)ad eandem circiter cum tellure rationē vicinisſima iret intra tellurem & Lunam ; intra tellurem item atq; ſolem; quinimo prope in tellurem impingeret. Mercurius verò ad Lunæ magnitudinem uſq; adauctus circa eaſdem cum luna ad coniunctionis circumſtātes partes inter Tellurem appareret atq; ſolē Nobis verò ſicut Timeo & Pythagoricis uniuerſis, ultra

ſolem perpetuò euagari comperti ſunt duo illi planetæ. Ita quippe ſe habent Mercurius atq; Venus in diſtantia atq; propinquitate ad ſolem ex altera regionis parte, ſicut ex iſta Tellus atq; Luna. Sunt ergo mihi quattuor hæc aſtra tãquã in duobus orbibus computata, quemad modum Copernicus ex luna & tellure nõ ſine laudabili ratione conſtituit haud quidem reſpectu habito ad diſcontinuitatem & abſolutionem quam habent inter ſe atq; minores ad ſolem habitudines: ſed ad continuitatem, nempe ſocialem illam concurrentiam quam annuo motu habent circa ſolem. Confuſa ergo iſta quodammodo, atq; alia diſtinctiſsima ratione in uno ſolis atria complectente circulo, circa eundem polum, ſuper eadem eiuſdem æquinoctialis (quam ita nunc volo appellare) linea diametraliter oppoſiti ſunt illi duo planetę iſtis duobus; illinc ſcilicet Mercurius atq; venus, hinc vero Luna atq; Tellus. Vnde ſit ut ita ſemp Mercuriali bus & venereis luna & tellus cum ſole coniuncta videatur ſicut lunaribus & terreſtrib. Venus atq; Mercurius. Quomodo vero eodẽ modo vel vario, ſimili vel diuerſo ſe habeãt magis particularibus & proprijs motib. circa iſtius magni circuli quẽ terũt circulo illi medio ſolari cõcentricũ; alijs quibus eſt maius ocium, atq; de ijs cura maior, definiendũm relinquo. ¶ Sunt ergo orbes duo A & B, quorum A quidẽ eſt Telluris & Lunæ; B verò Mercurij & Veneris qui annuum gyrum æquali paſſu conficiunt circa centrum E, ubi intelligo & corpus ſolare & circulũ eius circulo A B concentricũ. Proinde ſicut circa A Tellurem circuit luna motu nũc ad coniunctionem cum ſole illi obuia in O, nunc ad oppoſitionẽ in M. nunc in dichotomia L, nunc in dichotomia N. vnde accidat Lunam á ſole nũc magis fieri Tellure remotam; nunc vero magis Tellure propinquam, ita & inter Mercurium & Venerem conuenit, ut Venus circa Mercurium elongationes & appropiationes augeat à ſole & ad ſolem, & per differentias locorum & irradiationum



quas deſcribũt rectæ hinc A B, A I, A G, inde verò B A, B L, B N; Tellus & Mercurius vicisſim à corpore ſolis minore videãt elongatione feriare? hinc verò K Venere inde vero M Luna magis à ſole recedentibus. quod in hoc ſchemate, ut compẽdioſiore, ita & cõfuſiore ratione deſignamus quãdoquidem neq; facile eſt nobis circulorum multiplicatione vel (ut reuera naturæ conſentaneum) ſpiralium, fælicem compoſitionẽ ut poſsimus adducere, præſertim cũ vix in reb. ad ut phyſicum hoc inſtitutũ aperiẽdũ multũ nobis adſit ocij: ideo ſolertiorib. Aſtronomis rei tãtæ ita mõſtraſſe locũ ſufficiat, ut ipſi per ſe ipſos melius quam ego indicare poſsim reliqua perſequantur, ubi circa A phænomenas telluris & lunæ, circa B Veneris & Mercurij, circa E ſolis inquirẽ-

das sibi cóstituitur, & hactenus mihi satis. Si qũid aliud interim physicè magis definiendum superest in sequétibus ubi de motu telluris differemus fortasse cõmemi nisse iuuabit.

IORDANI BRVNI NOLANI, DE IMMENSO ET INNVmerabilibus

LIBER IV.

CAPVT I.

Septem argumenta quibus Arist. & alij probant diuersam esse substantiam corporum superiorum & inferiorum istorum.



Nguipedũ generose magis, furibunde, proterue,
Inuictóque gigas vultu sub pondere vasto
Trinacriæ: audaci quondam ausus robore cælum
Scindere, nunc pressus resupino pectore ab altis
Collibus, hac triquetra tumulatus mole superbis;
Impie, nempe animi petulantis præmia iactans,
Talibus insultas superûm impeterritus iræ.
Quid tollunt stulti cælorum numina versa
In formas hominum, & bruta trepidantia pelle,
Cum fugerent dispersa vagi per deuia Nili

Ala-

Alatos ungues, armataq; brachia centum?
Non homines potius veros qui viribus alti
Ingenij minas cæli tempſere repertis
Mundum ultrà mundũ, ultra laquearia picta,
Quæ totum claudant, reprimantq; hæc ora recurua
Luminibus tantis oculataq; arce ſupernè;
Vnde Deûm ſolium eſt fictum rigidumq; tribunal?
Horum ego victorum qui mentis lumine tanto
Non metuunt umbras, terram ſubſtento feracem
Pectore, & ut pedibus Libycum conculco gigantem,
Quidquid ſuſtentat gyrantis nomine cæli,
Et quodcumq; poli cernit verſum ora latentis;
Ionium Aloniumq; fretum quatiendo ſupinus,
Diuite terrarum dextra, læuaq; prehendo
Reginas Graiam, atq; Italam, quas lumine bino
Contueor, per quas vaneſcunt mœnia Olympi,
Per quas alma parens Aſtrum eſt mõſtrataq; Tellus,
Marmoreo radios mittens verſum æthera dorſo.
Verum igitur cælum vaſtis comprendo lacertis,
Et quantum decus eſt mundo, ſtellæq; tuentur.
Ergo ſe noſtro ſubmittant pondera Athlantis.
En modo de ſolis proſpectanti eminus arce
Pars ego ſum ſtellæ atq; illuſtris lampadis, & quem
Aethna premit nullus, ſiquidẽ eſt ſine pondere tellus
In membris comperta ſuis. Sic ergo ſolutus
Liberq;, atq; hilaris non ullos cerno mouentes,
Vanida gyrantum cœlorum techna receſſit.
Stulta fides graue pondus Atim Enceladoq; refixit,
Inſanæ oppreſſere animæ commenta Typhœum,
Quos magno ſophiæ abſoluens manus intulit aſtro.

Stel-

Stellam ego ſubſtento, à ſtella ſubſtentor & idem
Et cœlum teneo, à cœlo teneorq; viciſsim
Ergo ſe noſtris ſubmittant pondera Athlantis.

ARGVMENTVM PRIMVM DE DIFferentia corporis cœleſtis ab aliis.

¶ Corporis illius conficti differitatem
Quatuor à reliquis quinti cape nunc ſpeciebus.
Non grauitas premit illud enim, leuitas neq; tollit
Namq; graue ad medium, à medio leuiusq; cietur
Vt deorſum latis natura grauiſsima ſubſtat;
Aſcenſu leuitate ualens ſupereminet omne.
Corpora quapropter ſurſum cita, vel cita deorſum
Ad proprios propria fines leuitate, ſuoq;
Pondere mittuntur; quorum in medio aer & vnda,
Hæc leuis ad terram nempe eſt, grauis alter ad ignē.
Sic quintum corpus donatum Sphæricitate
Non habet ut mediū fugiat, vel ut appetat umquā.
Materies grauis atq; leuis contraria ſunt, aſt
Huic nihil eſt cōtra ut fugiat ſurſum atq; deorſum.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

¶ Totius & quoniam natura prædita pars eſt
(Gleba etenim motum quem terraq; ſeruat eūdem)
Nec toto neq; parte ſui deſcendere cœlum,
Scandere vel poterit. Quare eius parte reuulſa
Non ulla poterit motus ſorte hoſce imitari.

TERTIVM ARGVMENTVM.

¶ Multam deinde fidem facit experientia multa
Tempore præterito quia tradita miſſa per ora,
Ac ſucceſsiuis monumenta reperta ſigillis

Sensu, ac iudicio sapientum conq; probata
Testantur nihilum mutatum, nil variatum,
Non tantum in toto, verum neq; parte superni.

QVARTVM ARGVMENTVM

¶ Præterea tanto nomen quod tempore traxit,
Temporibus nostrisq; tenet, tibi non mediocrem
Efficiatq; fidem. Quamuis generabile corpus
Illud aiunt quidam: renouatur opinio uera
Non semel aut bis vel ter tantum, at millibus, atq;
Innumeris vicibus cum desinat indupediri.
Nam fuerant quæ vera prius neglecta, nouantur,
Atq; boni studium præsens formabitur ultrò.
Quare & ab antiquo celebrata ea corpora tamquā
Prædita natura diuersa à quattuor hisce,
Aethera Luciferumq; est nomen corporis eius;
Nomine Anaxagoras quamquam illo fertur abusus
Aethera qui non à cursu sed dixit abigne.

QVINTVM ARGVMENTVM.

¶ Quin etiam genitum nil corruptumq; videtur
Posse dari, quoniam sunt per contraria, quæ non
Insunt præterquam subiectis sic quoq; latis:
At cælum fertur gyro, ac contrarius illi
Terminus est nusquam.

SEXTVM ARGVMENTVM.

¶ Parili ratione nec augmen.
Cognato adueniente capit, resolutio namq;
Dissimilis præit hoc, quod sit tandem adsimilatum:
Vnde exstat maius cui adsimilatio facta est.
Sed genitum nihil est ubi non contraria constant;
Sicubi non possis genitum dare, nec dabis auctum.

SEPTIMVM ARGVMENTVM.

¶ Vlla quoq; alteritas non comperietur in illo,
Vnde neq; genitum quicquam reputabitur illic;
Quandoquidem nulla eſt ullo ſine paßio motu.
Porro naturæ patientia corpora ſemper
Eſt operæ ut uel deficiant, aut augmina ſumant:
Quod patet in plantis, animantibus, atq; in eorum
Partibus, inque ipſis nihilominus eſt elementis.
Nam calor & frigus quoties hæc alterat, inde
Rareſcunt, creſcunt, concreſcunt, imminuuntur.
Ergo ubi non genitũ corpus, neq; corpus adauctũ eſt,
Atq; ubi non auctum, neq; quicquam dicere paſſum
Auſim: at æternum ſubiectum hoc eſſe fatebor,
Quidquid & illius, non ulla ætate ſeneſcens.

Hvc è latebris procede tuis
Flebile matris pignus miſeræ

HVmanæ phantaſiæ nobiliſsima, auguſtiſsimaque illa proles, videnda, examinanda, contrectanda, ſententianda, & tandem in manum ſecularis iudicij dimittẽda rapitur. En inquam cælorum illa ſubſtãtia quinta, diuine corporea, ſine materia materialis, ſine priuatione forma, actum cum potentia coniunctum habẽs, grauitatis leuitatisq; expers, nullæ generationi corruptioniq; obnoxia, alterationem reſpuens, neq; incrementi neq; decrementi capax, circulo verſabilis, ad medium non appropinquabilis, à centro non elongabilis, rapidiſsimo ſupremum elementum gyro atterens, cui nihil eſt contrarium, motu & luce generationis cauſſa, cuius orbes octo, vel nouem, vel decem, vel undecim, vel plures cum Muſis & Apolline conferuntur, qua fini-

ta omnia finiuntur, extra quam nihil sensibile, prima naturæ genitura, simplicissima, capacissima, potentissima, actiuissima, animatissima, perfectissima, causa uniuersalis particularibus omnibus præstantior, vita & intelligẽtia prædita, suapte natura in orbem circummeans, cuius anima in gyrum torquet, sphæricitate exactissima spectabilis, cuius anima duplex, cuius portæ geminæ Cacri & Capricorni à tropicis adspectandæ, cuius motus geminus, cuius vita beatissima, cuius vestibulum luna, per erraticas ministras suos imperties fauores, ubiq; vigẽs, diuinarum animarum vehiculum, idearũ characteribus signata, productrix, seruatrix, gubernatrix, moderatrix, nostro verenda metuendaq; superincubans mundo, diuinitatis potentia, & naturæ organum, intelligentiarum domiciliũ, numinum solium, Dei harmonice digestissima lyra. Nunc spacij & ætheris natura, & magnitudine comperta leuitatis & grauitatis rationibus habitis, motus perspicuis proprietatibus, stellarum ob oculos apposita substantia, elementorum primorumq; principiorum præsente efficacia, luminis differentijs coram venientibus pallet, latebras quærit, aptatur ad fugam, è manibus, è que oculis euanescit, portẽtosa vmbra sine corpore tandem fuisse conuincitur.

Quod ad primum horum Argumentorum attinet, Verum sane est quod suis verbis comprendit Aristoteles quod in corpore cælesti nequæ grauitas neque leuitas vllo modo esse posit, quodq; neq; natura neq; violentia à medio hoc vel ad medium moueri possit: Hæc inquam bene dicta sunt sed nõ ad eius sensum. Nos quippe dicimus sic nõ esse in natura astrorum quæ circa videmus ut tendant huc descendendo, ut neq; est in natura Telluris ut ad illa pariter descendendo ascendendóue labatur. Sed ita illis in suo loco circuire, vel circulo seruari conuenit, sicut & Telluri in hoc loco proprio. Sed quod & tellus sit astrum & idem om-

nino

nino circa Tellurem sit cælum non intellexit ille.

¶ Quod ad secundum. Non consideravit sic consequenter se habere partes cuiusq; astri ad totum astrū, sic ut partes istius ad istud: de partib. cæli nihil dico, est enim vel inane spacium, & tunc certe est omnino in alterabilissimæ essentiæ, vel ætherea substantia, nēpe tenuissima aeris natura cuius est primò & uniuersalissime spacium occupare & eius partes nullæ motui speciei sunt addictæ sed (ut pluries aperuimus) secundum omnes semidiametrorum differentias rectum asciscunt motū vndique & quocunq; versum vel obliquum; rectū quidē succurrendo fugiendo seu cedendo ad locum externū vel à loco, arcualem verò in sua vel tamquam in sua regione libere consistēdo. Diximus aliàs ut rectus motus est partium tantū & accidentarius; circularis verò (iuxta modum naturalis non geometrici circuli) & toti & partibus tum simplicibus, tum proximius ad similitudinem compositorum accedētibus quorum sunt partes, & toti astro & partibus in astro naturalis est: & ostendimus hoc sepe in animalibus, plantis, lapidibus, fluminibus, mari, aere & omnibus.

¶ Tertij argumenti, materia est ex defectu experientiæ propriæ magis quā obseruationū eorū quos consulere potuit astronomorum: immo quia pueriliter nimis inter apparentiam abstantis & propinqui distinguendū non cogitauit.

Quartò nimis adhæret vulgo nunc ille qui in Topicis docuerat loquendū & nominandum ut plures, sentiendo cum paucioribus ijsq; sapientibus: id enim & diuina oracula faciunt. Proindeq; & ipsius ethymologiæ incostantiam atq; incertitudinem ipsemet aperit, ut in eo potius verbosam cū ventoso sophysmate vanitatē quam argumentorum grauitatem possimus inspicere.

Circa quintum, & alios fortasse posset excusari quando eorum quæ maxime distant in cælo sursum & deorsum

ſum dextrum & ſiniſtrum, ante & retro cum Pythagoricis in ſecundo libro de cælo tribuit ſuo uniuerſo, propterea quod animantuin naturæ hæc ſunt adcommodata & propria non ſentientibus modo, ſed & vegetantibus:cæloq; ideo(utpote animato corpori)non inconuenire. Sed quis ſtultitiæ modus (ubi quis à fundamentis delirat)eſſe poteſt;Nos aſtra dicimus animalia,cęlum vero ſi uniuerſum eſt aer animam dicimus inſitam & comprehendentem. Haſq; differentias localesq; appoſitiones ne in ipſis quidem aſtris cognoſcimus niſi metaphorice ex ijs quaſdã.Surſum enim & deorſum quodnam à polo plus uno accipies quam ab altero?ad Tellurem præterea circumſtans & ſol medians non poteſt magis eſſe dexter quam ſiniſter. Et multa mentiuntur philoſophi garrire cupiẽtes ſub titulo ſentẽtiæ Pythagoricorum quam nunquam capiunt ,ut ubi ille ignem in centro conſtituit,id eſt,ſolem medium planetarum; adducunt quidam ignem in medio Telluris Veſtæ ſacrum & fabulas augent arcanas quibus in præcedentibus libris ferculaſſe volumus. Ibi ſurſum & deorſum non accipit Ariſtoteles contrariorum loca,ſed ut citra contrarietatem oppoſita.Sed quia generationem illorum ab iſtis & corruptionem vel alterationem locis non nouit, quo nam ſenſu noſſe debuit ille oculis ſine mentedonatus redere?qui fortaſſe ſi alias nõ vidiſſet regiones , Stagyritas tantum exiſtimaſſet eſſe homines.

¶ Hiſce cum argumentis multa quæ ad unum idemq; vergunt,ſuccurrunt. ut quod ignis calorq; cæleſtis eſt generatiuus,conſeruatiuus,vitalis,prolificus;ignis verò qui apud nos eſt minimè : Sed nobis non differt ſecundum ſpeciem ignis ille ab iſto : licet ſecundum efficaciã altius promouet ignis ab aſtro quam à fornace, altius ab animali quam extra animal , altius à propria ſphæra quam abalia. Proinde non eſt quod tantum tribuamus ſolis calori qui unus eſt atq; ſimplex,& ideo uno per ſe

ſimpliciq; modo operatur, ſed motui Telluris qui per diuerſas partes atque loca illum contemperat intenſius remiſsiuſq; conceptans certiſq; ad ſuam aliorumq; vitam proficiẽs menſuris. Adde quemadmodum calor ille ſine anima ſpirituq; Telluris ad nihilum eſſet: omnia ergo quæ hic mirabilia videmus atque varia, ab idea & mente quæ eſt in ſubſtantia huius aſtri emanant principaliter, à ſolis verò calore velut inſtrumentaliter. qua etiam ratione anima & ſpiritus quidam naturæ inſitus ad ideam quæ eſt in ſemine conſabricat & diſponit & contemperat & digerit, & altis profundiſq; ordinibus intexit corpus & corporis animalium membra, calor veró natiuus qui eſt in matre & matrice, & utero circumſtante; ut inſtrumentum & locus conſeruatiuus accedunt: humor ab anima opifice tanquam propria materia digeritur. Vide nũc quid à ſole recognoſcamus & à cælo qui efficientem & materiam ſecundum uniuerſum definimus animam, & corpus Telluris matris atq; progenitricis noſtræ. Hæc ſi perceperis, neq; materiam neque efficientem longius inquires tamquam eminus ſitu poſitiſsimumq; admirando quem tibi proximum atq; etiam internum colere debuiſſes.

CAPVT II.

RESPONSIO AD ARGVMENTA *hæc & ſimilia.*

In uniuerſo non eſſe ſurſum & deorſum, Motum uniuerſi nullum ſed in uniuerſo circularem ſeu arcualem.

AD PRI-

AD PRIMVM ET SECVNDVM

NEC age quam valeant isthæc commenta videto.
Quam bene per sursum patefiat perq; deorsum,
Cum non constiterit finita hæc area mundi
Quin potius partes & totum concita gyro
Nouimus in cunctis, proprium seruareq; centrum
Omnia quo mage sint sibi proxima parte locoq;.
Vt neq; diuersis consistunt astra elementis
Cætera, quam Tellus, pariter quam nouimus astrum.
Mobile quid totum ut partes mihi dicis? an humor
Viuidus, & sanguis reliquæq; in corpore partes
Qua totumq; animal tali ratione mouentur?
Corporis hoc proprium (dices mihi) simplicis atq;
Partibu homogeneis constantis: sed modo non est
Corpore de tali speculatio qualis habenda est
Postea, sed tota nunc de Tellure loquamur
Quæ mihi non ulla consistit simplice parte
Verius. Atqui hæc sunt ex iis quæcumq; mouentur
Quæ logico tantum valeas seiuncta videre
Obtutu. & quoties fuerint ea talia perdent
Cuiusq; è quatuor nomen fortasse elementi,
Nempe atomam referent naturam deniq; cuius
Motus erit partes in sphærum æqualis ad omnes
Quamq; diu puluis specie est in pulueris, usq;
Non suffusus aqua, nedum superenatat undas
Sed facili ventus quocunq; per aera versat
Turbine, non ullo concretaq; frigore lympha

Non lympha, at uapor est, fumus, nebulosaq; certè
Materies: quocumq; means per inane profundum.
Ignem non proprie cognoscimus esse elementum
Ast circa humentem naturam luminis actum.
Aeris est porro spacium replereq; primò
Propterea parteis æque contendat ad omnes
Conuenit & nulla teneatur pro regione
Iniectum cunctis comprendensq; omnia dictos,
Sed memini ut motum per se non suscipit aer
Namq; vapor tantum est, atq; exhalatio uenti
Materies, quia quod circumfluit, atq; pererrat
Nimirum haud aer tibi sit sed in aere quiddam:
Si quoq; nos quandoq; locos hanc pergere in omnes
Dicimus, hanc speciem comprendimus esse vaporis
Continui qualis Terræ est comprensus in aluo,
Est ubi cum nebulis species quamplurima uenti.
Interdum verò non vocem vulgi imitantes
Aeris accipimus nomen uelut ætheris unum
Cui calor aut frigus, similis vel paßio nulla est,
Sed potius medium est per quod cũcta ista feruntur.
Humida nam semper substantia sternitur illis
Vt lucem ac tenebras hæc nata est figere tantum
Atq; atomos corpus concretas reddere in unum.
Ergo repugnantum vehit hic contraria fata
Aer, ut & priscis cum nomine currit inanis.
Tellusq; interea ut nulla grauitate premente
Discurrit remanetq; suæ regionis in oris,
Circumit & partes eius motantur in ipsa
Atq; manent, ad quas peregrino ex orbe feruntur,
Vt quoq; Telluris moles si tota seorsim

Ordi-

Ordine de proprio violento auellitur actu
Quã poterit breuiore uia ad propria inde remigrat
Aere de vacuo. Vt sit terraq; lata deorsum
Non habet ex semet; verum facit unda atomorum
Corpora concretum tantum coalescere in unum,
Libera ne incerto volitentq; per aera motu.
Iis nihil est leuius quæ sunt substantia terræ
Quam siccam, rarã, ac tenuem non temperat unda.

AD SECVNDI PARTEM.

¶ Cumq; dabis casum detractæ partis ab orbe
Cælesti, quod sit naturæ quam statuisti,
Natiui adpulsus cur casum deinde negabis?
Nam quo nobilius tibi corpus fingitur illud
Hoc seruatrices plus longe adscribere vires
Debebis (sana si perstas mente) meandi
Ad proprios raptim, cursu breuiore recessus.

AD QVARTVM

¶ Cui ratio inde queat de cyclo firma videri
Aut sphæra quoniam dicis Forma illa rotunda est,
Ergo formato non sunt contraria quædam.
Quis malè te tali sarciuit mente deorum?
Qui Geômetrarum? Qui pictor? Quiue poeta?
Dic ubi comperies praxim cycli atq; ubi terra
In regione sua sic mota est, undaq́;, & aer?
Verè haud in gyrum deflectitur omne, sed illud
Quod natura parens, non ipse Geometra nouit,
Vel quauis logica formatus & arte mathesis.
Non tamen iccirco perdent contraria regnum;
Si recta aut curua est, si est fæmina linea vel mas.

AD TERTIVM QVINTVM, 6. ET 7.

¶ *Iam referas quidnam docet experientia ſenſus?*
Quid memorem rerum ſe reddere præteritarum?
Vt nihil hinc illic mutatum dicimus, & nil
Exauctum omnino cognoſcimus inq; minutum,
Sed magnis ſpecies è ſeclis ſemper eaſdem
Continui ſicut motus ſucceßio, parq;
Inſita vis lucis, vis curſus, viſq; caloris.
Ergo tibi ſatis id potuit Stagyrita videri
Crederes ut generis quã hæc ſint vaga ſidera aliûs?

SI uniuerſum nobis eſt infinitũ, quid ad ducis differentias ſurſum atq; deorſum? cur ex hiſce differentijs contrarietatem locorum & corporum colligis? Eſto infimum in Telluris corpore centrum, eſto quoq; illius periphera ſupremum, non ita tamen ut loca & qualitates locorum ad contrarietatis differẽtias pro tali oppoſitione referas. Sic infimum Lunæ ſit centrum Lunæ, & ſupremum circumferentia ipſius, ſicut centrum mei corporis eſt cor, ſupremum & extremum membra à corde magis diſsita: & quæ huiuſmodi in me ſunt mea, in hominum ſingulis ſua ſunt. Non eſt ergò unum generale ſurſum vel deorſum ut phantaſiauit Ariſtoteles cum vulgo carcere concauitatis Lunaris adſtrictus. Adde ad rationem ut partes quarũ eſt motus in toto, (in ſuo nempe mundo) non ſunt elementa, qualia definis, ſimplicia, ſed ſunt velut in noſtro corpore ſanguis & alij humores, vapor, aqua, arida, lapis, lignũ, gleba, quæ pro ſuæ compoſitionis ratione loca adſciſcent in toto conuenientia per ſibi conuenientes defluxus, influxus, & ſecundum genus circuitus. Et quod (rogo) ratiocinij genus illud à rotũditate figuræq; qualitate colligens contrarietatem non eſſe in cælo (Mitto

nunc

nunc cælum) contrarietatem non esse in astro? Iam si tellus perfectè est rotundum corpus quale facile poteris intelligere, si compositam statuas cum aere isto ventoso & nubiloso ut rectè in libris meteororum cum antiquis asseris: sequetur propterea illi, vel in isto figurato nihil esse contrarium? iam nihil erit erit contrarium, si elementa in suo loco circuunt etiam tibi, quia eorum partes ita mouentur ut à toto minime recedant, si & terræ humores qui per vices ascendunt atq; descendunt, ut sol ad tropicum hunc accedit & illum. Nunquam enim tota aqua est mutata in aerem, sed pro ratione circuli, tãtundẽ hinc resoluẽtis & rarefaciẽtis quãtũ alia ex parte addensantis & inspissantis omnia integra in eademq; mensura per secula perseuerant, hunc sane & tu circulum cum contrarietate vides & contrarietatem in natura extra circulũ non esse cogeris profiteri. ¶ Nunc non hoc contrarietatis genus spectatur in cælis & cælestibus, nulla quippe memoria est quæ in illo aliquid notabit alteratũ: quasi aliter nostra Tellus, hæc stella, hic mundus illis qui extra ipsum sunt videri posit quã stellæ nobis illæ uideantur. ¶ Sunt elementa in cælo (cõtẽplatiui quidã Platonis & Aristotelis cõcordatores & piissimi cõciliatores aiunt) sed celesti cõditione. Sũt, sed longe diuersa sunt, sed eminenti ratione, & quatuor elementa nihil aliud sunt quàm cælum (ut sic dixerint) quodammodo explicatum. Cælum ergo efficiens finisq; rationẽ subibit, quatuor elementa materiæ, ut rectè ait Aristoteles. Sed O ætherei, empyrei, crystallini, adamantini, elysij, ostendite ostendite hoc celum esse aliud quam quod ego ostendo, unum spacium astra non aliter reliqua complectens, quàm astrum hoc quod & nos cælestes incolæ tenemus.

CAPVT III.

De aſcenſu in cælum & vera mundi contemplatione, & primo Telluris ſpecies ab orbe Lunæ proſpicitur.



Ia age conſcendas ſtatuam te in corpore Lunæ
Aptato ſenſus, aptem rationis ut alas
Pergito, perge, ducem certum ſecurus aduſq;
Perſequitor, te non ceratis Dedala plumis
Vlla manus tollit, vel ſtulti techna Menippi;
Vnde vel Icarium formides optime caſum,
Inſulſas Lucij vel ſannas Sammoſateni:
Sed veri ſpecies, naturæq; inclitus ordo
Eſt tibi dux ægro, incolumem qui deinde reducet.
Hinc tibi (ſi mens eſt, ſi ſenſus interioris
Lumine non prorſus caſſum, neq; tam miſeranda
Conditione ſatum te nobis fata dedere)
Hinc tibi ab oppoſita oſtendam regione micantem
Telluris uultum radiantis lumine ſolis
Diffuſo Oceani in faciem. Viden ut modo uaſta
Machina in exiguam molem contracta videtur?
Dic ubi ſyluarum ſpecies? ubi flumina, montes,
Stagna, lacus, urbes, brumæ diſcrimen, & æſtus?
Vt tantum ſpecies candentis manſit, & atri?
Vt maculat clarum Oceanum nigra inſula paßim?
Quæ recti nuſquam aut curui Geômetrica amußis
Atqui ex iis quid confuſum diſcriminat ambo.
Iam tibi non Tellus ſed verè Luna videtur.

Reſpi-

Respice iāq; ubi sis. Nūquid tibi Cynthia parua est
Olim quanta fuit? Specta quantum amplius horizon
Perpetuo cædens ad fines adpropianti?
Iamq; ubi nocturnæ species ea lampadis? ecce
Ordine persimili syluæ, mare, flumina, montes,
Quæ ne sint frustra, species cerne inde coortas
Nempe homines, angues, pecudes, volitantia, pisces.
Iam tibi non Luna est sed Tellus uera uidetur,
Non operæ precium est nunc ista in sede cupire
Gentis colloquium, obscurisq; intendere uerbis.
Nam neq; plus tandem te docta relata docerent
Quam tu per temet certus comprendere possis.
Splendens nostra maris species cum corpore opaco
Tempore præsenti quam prospiciantur ab hisce
Oris, credentur per plurima secla fuisse
Obuia forte secus? Numquid Cerealia regna
Neptuni imperiumq; datas confundere sorteis
Contemerando suos fines magis ista uidebit
Gens, quam monstrarit longa experientia nobis?
Quam modica est illic multo variatio seclo,
Incola ne proprius vix ullam existimet esse?
Nempe velut pontus de littore cessit Ibero
Quantum usurpauit terrai ad littora Calpes,
Agrè etenim mentem tam longa memoria format,
Diminuitq; fidem multos digesta per annos
Fama vagi Alcidis, posuit qui signa tryumphi
Per quæ nosse licet sero quantumlibet æuo
Tethios ut Cereris prata obruit, hæcq; vicißim
Pascere Pana iubet tumidi per tergora montis,
Qui quondam scopuli in specie surgebat ab antris

Ceruleum excipiens agitantem Prothea phocas.
Exigua eſt nimium in tanto variatio fluxu
Temporis in noſtræ vultu Telluris adacta.
Mirum quam longè momento diſtet ab illo
Senſibilis quo ſit modicum de ſedibus iſtis.
Reſpice quam exiguo collata Britannia puncto eſt,
Italia in tenuem atq; breuem anguſtata capillum.
Littora Tyrrheni Lybiæ prope littora tangunt,
Quamq; Hadriæ portus paruo diſcrimine linquunt.
Dic ubi Trinacria eſt latijs quæ abſcinditur oris?
O Nimium longo diſiungimur interuallo
Vnde maris gemini valeas comprendere nexum;
Scilicet Ionias undas ubi dira Charybdis
Attrahit, Heſpheriæ vaſtamq; recondit in aluum
Inq; vices reuomit fluctus Scylla, atq; reſorbet.
I nunc crede homines iſtos ætatibus actis
Permultis potuiſſe aliquid Telluris in orbe
Mutatum vidiſſe magis, quam Cynthiæ in ore
De noſtro licuit mundo. Quare abijce curam
Captandi ut generis fiat variatio noſtri,
Vt modo tranquillo recreata ſub aere geſtit
Telluris vario ſpecies ornata colore;
Poſthæc contingat triſtis ſub imagine campi
Nubibus obducto & brumali intendere cælo.
Vtq; magis ſapias, ac verum certius alto
Concipias animo, maiores tento receſſus
Nosq; imus Lunæ exceptos tranſmittat horizon
Vt Cypiræ multo quæ nunc maiora videntur
Accedat nobis quoq; candida templa ſubire.
Carpe uiam aduolita magni per limina ſolis,

Pandat iter natura parens, quia circulus unus
Lampade Phœbea in cyclo mediante relicta
Quæ gyro breuiore ſuum circumflua centrum
Vt ſe pro motu conuertit terra diurno:
Quin etiam quo æquè ſe circumſtantibus vndis
Præſentem reddat uario diſcrimine poſtis,
Externum centrum ad ſtationes circuit anni
Hinc uer, hinc æſtas, autumnus, brumaq; fiunt.
Interdum nobis propior fit mole minorq;
Lampus Phœbea & velox & tardior hinc fit:
Hinc illam Tellus ſublimi vertice in ambos
Inclinare polos ſpectat, tropicoſq; notantem,
Sic reliquos intra Nimphas diſcurrere ſoles
Eſt operæ precium: pariter quia circuit omnis
Mundus nempe iiſdem quia conſiſtunt elementis.
Quilibet in motus ſpeciemq; inclinat eandem
Propterea & ſtellis varia eſt diſtantia fixis,
Quæ non comperta eſt volgo non eſſe putanti.

HEic de aſtrorum natura illud itidem colligere licet, quod omnia ex iiſdem conſtant elementis ſi quidem eadem conſtant figura eandem non reſpuant motus ſpeciē, magnitudinē, locū, ſitiū: quia vero in externa ſaltē ſpecie in quibuſdā lux præcellit atq; calor, in quibuſdē vero unda, vel ut melius dicā in quibuſdam uno, in quibuſdam verò alio lucem concipit modo quædam per ſe tenebroſa ſeu opaca quædam vero per ſe lucida perhibentur aſtra, quædam ignis quædam lymphæ quædam fœminæ numinis nomenclaturam uſurparūt apud antiquos, ut Phœbe hinc inde Phœbus hinc Lucina inde Titan, hinc circa unum medium plu-

res nymphę seu Musæ, inde unus intra plures nymphas Apollo: Hinc Cereres plures; inde Baccus unus, hinc veluti matres, inde Pater. Hoc innuit Poeta:

Vos ò clarissima mundi
Lumina labentem cælo quæ ducitis annum
Bacchus & alma Ceres vestro si munere Tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit arista.

Illic iuxta physicæ veriorisq; philosophiæ principia eodem nomine Lunam appellat quo & Tellus appellari solet: frequentius enim Cererem Tellurē dicimus. Quin & Triuia à triplici loco atque nomine dicta in occulto profundi regno Proserpina; in nobis conspicuo Diana, in eminus quasi excelsiore, Lucina, quibus meliori (quā vulgus hodie pati possit) luce, una eademq; substantiæ astriq; species illa significatur atq; ista. Ex ijs soles medium obinere declarauimus, ut una lampas & ignis pluribus illuminandis atq; calefaciendis satis est.

¶ Propinquiores soles quorū quoq; terras à terris istius synodi minus distare necesse est, sunt astra fixa maiora quæ primæ dicuntur & accipiuntur magnitudinis, quales sunt ad plagam septentrionalem tres ARCTVRVS inter Bootis crura, LYRA, & fulgens in AVRIGAE humero sinistro. Ad plagam cinguli firmamenti quinque OCVLVS Tauri BASILISCVS, extremum CAVDAE Leonis, SPICA, & qui in ore PISCIS Australis. Ad Australem partem septem unus in humero ORIONIS, alius in sinistro illius PEDE, extremū FLVMINIS, quintus CANIS, sextus CANICVLA quæ in Argi temone, septimus in pede CENTAVRI dextro. Circa soles hosceq; crediderim qđ si quis studiose certis tēporib. adtēdat, poterit aliquos non scintillantium ad propè minimam non notatā magnitudinem, nunc conspicuos nunc vero latentes nec non paruorum circulorum intra suas Tellures indicia in solibus experiri.

¶ Eue-

¶ Euenit autem cum tātam aſtrorum multitudinem perſpectabilem habeamus eorum tamē pauca quædam quæ proximiora ſunt apertè moueri cognoſcamus, non quia alia poſsit in illis ſolibus eſſe ratio atq; iſtis, ſed q̃a nō ita ut illi cōſpicuę illorū poſſunt eſſe tellures: & quia lux in ſpeculo non tam longe ſui ſenſibilitatem ſeruat, quam lux in lampde: & quia corpora minora & natura ſua opaca citius viſibilitatis diametrum amittunt. Hoc quotidiana iugeque experientia ſenſus docet, qui quæ propinquius gyrantia & in directum deambulantia moueri nouit, eminus eodem ordine mota atq; menſura, fixa manere iudicabit. Hinc patet quod ſi eſſemus in uno de aſtris illis primæ magnitudinis ſol iſte pariter primæ magnitudinis aſtrum videretur; ſi in ijs tandem quæ minima ſcintillare vidētur mole, non maior ſol iſte videretur, ulteriusq; elongatos lateret omnino. Quantumuis ergo proximæ apparent & quaſi hærentes illæ ſtellæ, non tamen eas minus ab inuicem diſtare intellige re debemus quā (ut dictum eſt) à noſtro ſole alter ſol ut Baſiliſcus. Sic locus circumſtantibus & ſpacium ſuppetens planetis tribuatur & conſiſtentia diuerſorū corporum eodem quo heic ordine ſaluetur.

¶ Non ſunt vanæ noctilucæ, vacuæque lampades & flammulæ, ſed ingentia mundorum corpora & quibus innumerabilia hoc noſtro quem incolimus Telluris mū do longe maiora ſunt: iam quid putabimus de magnitudine ſpacij quod totum implet interuallum? an non hoc tantum quod viſus noſtri terminat uſq; ad minimorum ſiderum ſenſum, quæ nihilominus magna eſſe poſſunt quam iſte ſol (quem toties Telluris molem ſuperare volunt) exceſſu quaſi immenſo tellurem atq; ſynodum iſtam huius ſolis cum ſuis planetis ſuperabunt? Ibi ne (hominum ſub philoſophi titulo ſtultiſsime) terminum rerum conſtitues? ubi inquam ſoles illos mundoſq; maximos nihil habere à tergo voles, atq; tanta ex

parte

parte quanta ad nostrum hoc seclum, non est conuersa? quasi tellus hæc, centrum hoc (quod ad magnitudinem continentis comparatum punctum esse oblitus es) magnitudinem & lucem & calorem, & esse rebus iuxta nostri sensus mensuram tribuat: & quasi perpetuò circa similia astra non pateat simile cum simili eademq; potentia spacium.

¶ Sed ut à principio propositum resumamus illud in mentem reuocari volo ut non solum eiusdem speciei planetas cum planetis intelligamus, sed & eiusdem propter cõmunem materiam atq; omnino substantiam generis soles atq; tellures. ubi quippe lux illa est, ibi ignis est, ubi vero ignis ibidem aqua, quid enim est ignis præterquã aqua lumine affecta, seu luminis virtute formata? Apud nos nusquã incõsistere sine aqua videtur ignis, & validores flammas humiditate simplicis aquæ alim⁹, alitur Vulcanus & Aethna vicinitate maris, ignes etiam veluti mortui aqua (ut in calce viua constat) excitantur: Quid autem tibi bituminis, picis, salnitri, sulphuris, tartari, oleiq; species esse videntur, quam aquæ, sine quibus vel eorum proportionalibus nusquam inuenietur ignis ullus?

CAPVT IV.

Hinc Telluris species ab orbe seu astro Veneris, haud aliter quam Venus à nostro orbe declaratur.



Er gyri centrum quod sol terit ad duodena
Signa means fingas tibi productum diametrum
In cuius hinc inde polo Terra exstet & Hermes,

Atq;

Atq; ut Tellurem circa Lucina recursat,
Sic Venus opposito circumq; vagatur ab astro
Non minus à sole est distans Cyllenius ergo
Hac de parte, alia quam Tellus dißita facta est.
Atq; ita Telluris corpus sub lumine solis
Inde latet, veluti substat Cyllenius illi
Namq; meant parili Phœbi circa atria cursu
Eiusdem & prorsus seruant vestigia callis.
Alter in alterius prospectum forte veniret
Non umquam nisi sol cyclum peragendo minorem
Nunc Arcto proprior fieret, nunc proximus Austro.
Ergo uelut circa Tellurem Luna vagatur
Dum tamen interea tanquam unū corpus in orbem
Torquentur sphæra in medio solare relicta.
Sic etiam statuunt uenus ac Cyllenius unum.
Dumq; uno veluti curru uectante mouentur,
Blandaq; Mercurij circumterit atria Diua.
Ergo iuuat Veneris cursu contendere in ortus
Vnde minus nihilo Tellus spectabilis exit,
Quam sit Telluri spectabilis ipsa vicißim.
Hinc te verte iterum. conuertere. quid stupet ultro
Sensus inassuetus, sensus sibi qui excidit ipse?
Telluriq; nouæ, lunæúe occurrere mirum
Est tibi. Ne trepides similis hic est quoq; mundus.
Proinde peracta tibi memori uia despiciatur
Vnde oritur volucris Phœbi rutilantior axis,
Quandoquidem è tenebris lux fulgens, inq; tenebris
Imperat ac verè præcellens inde triumphat,
Lux lucem obfundit, luci lux inuidet. Ergo
Diluculi ad sedes iuuet has venisse rubentis,

Auroræq;

Auroraq; fores, qui mox subitura fugacem
Depellet noctem stellarum luce superbam
Illaq; in occasum aurati gregis agmine cogit.
Hinc natale solum tua per vestigia specta
Libera quo visus se immittit linea planè
Miraris quærens Tellurem? ipsamq; videre
Cum videas nescis? partes versusq; in easdem
Hæres? Atq; tuis oculis non credere dignum
Credis eos tergens, quasi lippum fallat imago.
Inde aliò versus, petis illam quo tibi præsens
Notam subijciat faciem, verum ad tua tandem
Non ignota redis vestigia terq; quaterq;.
Illa illa est toto quæ nunc tibi candet ab orbe:
Abstersit maculas, furuoq; exuta colore est,
Fimbria lata obijt: modo corporis illa minoris
Contraxit speciem toto splendentis ab orbe.
Hesperus est istis illa, illa est Bosphorus istis.

Ostensus est ordo antichtoni orbis Mercurio Veneriq; communis: ad orbem hunc Lunæq; communē circa solem. Visumq; est qualis Telluris explicetur facies illi qui orbem Lunarem teneat: proinde & perspicuum esse potest ex ordine atq; analogia qua ulteriorem sortita distantiam corpora, quorum facies opacis lucidisq; partibus est composita, ut necessarium sit ea tandem toto (sed imminuto) corpore lucida apparere.

CAPVT V.

Ordo aperitur quo Telluris & aliorum a-

stro-

ſtrorum ſpecies appropinquatione & elongatione varietur: ut inde propoſitum paulo ante colligamus.



QVoq́; tuis melius oculis modò credere poſſis,
Ne tibi viſa putes ficto phantaſmata vultu,
Te reuoco ad fontem ſenſus, rationis & arcem.
Corpore de viſo quam longius ipſe recedis
Tantó ſe in centrum magis ac magis arctat & unit,
Quacunq; exſtiterit donatum ſorte figuræ.
In ſphæram migrare decet nihilominus ipſum,
Inq; orbis ſpeciem plani: nam mole cadente
Angulus atteritur primum, dein machina tota
Ordine quæq; ſuo pro conditione coloris,
Pro medij modulo, pro interq́; capedinis auctæ
Inq́; minutæ, ac vis oculorum intenſa acies eſt.
Interea citius vaneſcit corpus opacum,
Dimetrus at lucis multo durantior inſtat,
Hocq; magis, ſenſum mage quó ſiet apta mouere.
Ergo ubi conueniunt lux & color ater in unum
Heic ubi (ceu conſtat) proprio ordine diſtribuuntur
In centrum ambobus dum concurrentibus, atrum
Multo ante in ſpeciem reſolutum ceſsit inanis,
Alterius manſit ſpecies ſphæralis & inter
Iecto atro ablato lux pura & parua niteſcit.
Indicat id quatruplex flammanti corpore lampas
Eminus acta ignem quia continuatur in unum
Vnius atq; facis ſpeciem demonſtrat. Idemq;


E' tellure vides obiecto in corpore Lunæ
Lucem quæ magis intenſam iaculatur ab orbe
Quando per anguſtum ueniet ſpectanda foramen
Plena fauentq; oculo non turbida tempora noctis.
Experiere velut quantò contractior exit
Tantò etiam obiecti ſpecies rutilantior aſtri
Ex toto albeſcens puro candore micansq; eſt.
Nunc igitur meliore potes perpendere lance
Ingenij ſenſum quo tot molimina uaſtûm
Errorum ſubiere animos, ubi ſemen iniqui
Principij iactum fœcundum redere campum
Conſpicies ſterili quem credere deteriorem
Addecet: ut non tam nocet ignorantia ſimplex
Quam ſophiæ mentita vices temeraria & audax,
Cui deplorando ex agro terit area meſſem
Qua errorum fruges conceptent horrea mentis.
Ergo adſis, repetamq; prius quæ dicta fuere,
Quorum pro cauſſa filum exglomerauimus iſtud
(Officium quamuis multum magnumq; superſit)
Dic mihi Tellurem ſtellam ſpectantibus hiſce
Eſſe queit facies umquam variabilis illa?
Pluſquam ſit Veneris facies uariabilis iſta,
Quæ nihiloq; minus radios ſubeundo micantis
Solis Mercurium videat ſubdeficientem,
Mercurius ſolis defectumq; experiatur.
Mox quoq; ubi aduerſi magis altas cardinis oras
Obtinet Hermeti uultum obiectando nigrantem
Intercepta ſibi deplorat lumina ſolis.
Si geminos ratione pari reliquosq; planetas
Conſtituit natura parens, non tuta negandi

Anſa

Ansa datur, quoniam circum non ulla videtur
Stilbontem ac reliquos currens fax, quamq; vel ipsi
Perlustrent circum. Sed non de iis spiritus urget
Dicere, materia dum consistemus in ista.
¶ Iam figmenta tibi noua sunt captanda, nouumq;
Naturæ longé á specie (namq; ipsa reperta est)
Errori effugium, si non pulcherrima veri
Te facies capiat, neq; te submittere uictum
Collubeat, populo sed uictor posse videri,
Caussa proq; semel capta, quæcumq; sit illa,
Malle mori, in morem nostratum lucifugorum,
Vndiq; uastantum varia specie inclita pacis
Munera, pugnantum lege illege, arteq; inerti;
Hostili contra sensum studio & rationem,
Sunt seruatores secli huius, & inde futuri
Raptores, bruci, corui, harpyiæ, atq; locustæ
Pestiferæ, qui dum peruertunt omnia fiunt
Fanda nefanda, nefas fas, norma enorme, venitq;
Inconstans constans. factum infectum, uia visq;.
Inuitum est votum, Mars & Mors salq; salusq; est.
Parcite vos superi ò tandem uos parcite mundo,
Et genus humanum tam longa peste laborans
Suscipite, & miserum meliori sorte quietum,
Eripite indignis, sub vestris cogite fatis.
Ne mente amentum, parte expertûm meliori
Ortus hic è uobis vestri reputetur abortus.
Parce precor Tellus natis morti esca futuris,
Per quam de partu in partũ trahis optima, quo sint
De uita in uitam migrantia morteq; mortem,
Vt uertente rota tandem omnia singula fiant.

Quid iuuat inuiſum hoc pondus ſe uarier uſq;
Conditione ſatum indigna tuo ab ubere ſancto
Nutriri, atq; ſinu refoueri adeò uſq; benigno?
Forſitan ut leſis, nec miti corde ſiniſtris
Numinibus, hæc ſcæna ſiet turpiſſima ludo?

SEmper facilius opaci corporis motus extenuabilis eſt ex diſtantia ad ſenſum viſus quàm lucidi: ut & cũ illa in punctum nihilumq; euanuerit, hæc interdum integra maneat. eſto enim corpus A B C cuius opaca pars ſit C D E F reliquæ verò lucidę: eueniet nimirum ut toto ad certam diſtantiam elongato, ſtantibusq; terminis quibus partes E F A & D C B tertia parte minores appareant, tunc ſpacium E F C D vel corpus opacum in eo contentum ſpacio, nullum ſui ſenſum efficiat: ſed omnino duæ lineæ D C & E F in unam lineæ ſpeciem migrabunt, & corpus A B C tum minoratum, tum continuũ unũ ex toto lucidum apparebit. Idē in alba tabella atris inſperſa guttis videbis, quæ eminus poſita totam ſuperficiem etiam candididam præ



ſenta-

ſentabit,& Lunæ in candenti orbem ſi quis per arctum foramen aciem intendat,minor,abſq; maculis, & longè rutilantior illi fiet.

CAPVT VI.

De horizontis natura in uniuerſo, cuius ubique centrum,ſicut in circumferentia mundi ſimiliter effiguratur.



Ndeq; horizon ut est puncto Telluris ab omni
Hinc geminus quem nocturnũ dico atq; diurnum
Aetherij immenſi à puncto (dubio procul) omni
Par erit occurrens oculis tibi ſemper horizon.
Nempe ubicumq; ſtes centrum conſtabit ubiq;
Et geminas capias quaſcumq; per æthera ſtellas,
Oppoſitas medius ſi ſias eſſe videbis.
Venit in oppoſitum Tellus Lunaribus & Sol
Aetheris in ſpacio ſi gyrat mundus eorum
Per cæli zonam Tellurem proſpicit ire
Nunc his nunc illis coniunctamq; oppoſitamq;.
Nec potis es cælorum ulla in regione manere
Vnde & de centro haud videas paria omnia circum
Motaq;,ſi nactus velut iſtud mobile ſydus.
Quare ſimpliciter medium nuſquam eſſe putato;
Sed polus,& centrum,& punctus vertiginis, atq;
Imũ vel ſuperum, internũ externũue per omne eſt.
Nempe alijs,alibiq;,aliudq;aliudq;repertũ.
Sic igitur terra ad partes proſpectat eaſdem

Continue esse aliasstellas aliasq; vicißim
Aduersas, simili semper ratione, reditq;
Permensis parteis seclis quasi versa ad easdem.
Atq; adeo certas signauimus oppositura
Quas proprium circa centrum dum vertitur, atq;
Atria circundat medij torrentia solis
Per luces annosq; oculis obtendere sueuit.
Quamuis est confessa satis variatio fixis
Sensim Tellure aspectus variante polorum
Vt partes renouet calido sub corpore Solis,
Claustra marisq; aperit, terramq; obuoluit apertã,
Vnde putant stupidi cælorum inuertier auges
Turbariq; polos, tropicos, atq; omnia circum
Constanti remanente solo, siq; inde per amplum
Exiret spacium Tellus peregrina capessens
Ora, alias lucis spectares oppositura.
Desinerent coitus Lunares, Lunaq; in arctum
Constaret contracta iubar; detergeret umbras,
Ac maculas vasto quales speculamur in orbe;
Pro Lunaq; alia stellarum occurreret atram
Exornans noctem atq; alius tunc signifer esset:
Vt certe haud idem Saturno est signifer atq;
Marti qui nobis circa huius luminis ortus
Callibũ dum pergunt alijs: at signifer idem
Mercurio, Veneri, Terræ, Lunæq; repertus
Non tamen exactè spatium constabit idemq;,
Dum solem stellas adfixum versus easdem.
Zodiacus porro Veneri Lunæq; peramplus
Cernitur ut latè expaciantur, perq́; recessus
Inconstante magis cursu volat ulteriores

Vtraq; stellarum. Telluri Mercurioq;
Zodiacum apprimè similem reputabo, & ut unum.

SAepe diximus in uniuerso infinito secundum rei veritatem centrum esse ubiq; : proptereaq; non interesse utrum heic vel alibi simus ut eâdem circa nos rerum faciem videamus: propius enim quibusdam astris factis ut illorum nobis crescit vultus, ita & horum à quibus elongamur diminuetur. In illis constituti diem inueniremus atque noctem quam ex isto á quo recessimus orbe perdidimus, & ostendemus non aliam esse in solis astro rationem quâm in cæteris: alius nobis alibi esset polus, alius alibi Zodiacus: ut non est in uniuerso punctus qui idem respectu diuersorum non sit centrum, polus, zenith, nadir, tropicus, & quoduis eiusce generis aliud.

CAPVT VII.

De rerum uultu circa mundum, si eas ex astro solari liceat contemplari.



T verò solis per lucida templa tenenti
Rerum aliæ occurrent species, non ullæ polorum
Forma aderit quibus inuertat se machina tanta
Centrum ni proprium circa inuertatur & ipse
Vt Tellus, qualem suadet trepidantia multa,
Ille suo undantes suffundit lumine parteis
Humentemq; solum, ne possis dissimilares

Ire tomos visum quales in corpore Lunæ
Inspicuæ, & Terræ nostro spectantur in orbe.
Nulla etenim corpus diffundit lumina simplex,
Se luxq; humenti, & de corpore fundit opaco,
Vt nullus lucis vigor est ubi nullus & ignis,
Ignisq; est nullus nisi quisquam suppetat humor.
Quare & nonnullis humens substantia dicta est
Mercurio nempe & Mosi qui corpora prima
Inter non numerant ignem, quem compositorum
In genere esse volunt, quod constat lumine & unda.
Ergo illic etiam distinguitur insula passim,
Montibus excelsis globus est & vallibus imis
Aequoreq; impactus natiuo lumine, cui est
Vnda nitens sed nulla manent habitacula circum
Atq; intra, ut circum maria isthæc viuere, & intra
Multa vides quibus ora negant Neptunia vitam,
Diuesq; Oceanus, quamuis armenta gregesq;
Pastoresq; suo vitæ nutrimine donat.
Ergo illic aliæ extabunt species animantum
Qualia & ignito interdum se corpore produnt
Aera peruacuum ad partes volitantia nostras,
Esse trabes quæ stulta docet sapientia vulgi.
Et species aliæ nostris ibi consimilares
Esse valent quoniam non tantus adæstuat ignis
Orbem per totum, neq; tantum lumine clarat
Subiecti ora globi, quantum ora externa calescunt
Lumine demisso radijsq; micantibus extra.
Quæ solidè poteris comprendere quando rotundam
Credideris massam quæ circum spicla supernè
Eiaculatur ad hæc sua luminis, atq; caloris.

Corpore deq; suo tantummodo calfacit illis
Finitimas partes, partis virtute propinquæ:
Nam calor & lux unius regionis & arcus
Subiectos minime ad reliquos intenditur arcus
Quando superficies illos conuexa tuetur.
Lucis quocirca eximiæ vigor, atq; caloris
Amplius externas numeris se pluribus effert
Ad parteis peruadentis iactu æthera lucis,
Corporibus quo se solidis immittat in altum,
Quam sine flammifero quæ est insinuata vigore
Ac veluti suppressa aliJs à partibus (ut fit
Sub cinere arenti latitans, aut calce ubi suspen-
Sum est retinens actum quo splendeat) atq; calore
Eminus excusso occurrentia torreat astra,
Sic tantum virtute aliJs seruatur in oris,
Materiesq; subest quam vis contraria tentat,
Nam nil consimili de corpore pabula carpit
Ast quod transmutet famis absumptiua requirit;
Flamma etenim lympha, non sese vescitur ipsa.
¶ Materieq; opus est æterna in corpore tanto
Quæ quoties absumpta fuit, resolutaq; in auras
Sit toties iterum certum renouata per orbem:
Vt sursum maria in specie sublata vaporis
In nihilum non contendunt: ast eius ad orbis
Exhaustas (iterum mediJs recidentia certis
Quæ strauit natura parens) voluuntur auitas
Appulsu miro parteis: Si nempe vapores
Quos rapit æstiuus tantis de fontibus ardor,
Non iterum integro reuenirent pondere, nec se
Compare subiectum in corpus remeando refluxu,

Aptarent priſcam in formam: non illa maneret
Telluris ſpecies tantis celeberrima ſeclis,
Non vigor ille idem, non virtus parturientis
Omnia, ſed ſaltem ex aliquo viduata maneret
Momento, & vacuata foret diſcrimine multo,
Quod validè cōſtans rerum experientia abhorret;
Nam mare quam procul ex una regione receſsit
Tam propè ſe ad reliquam conuertit, quamq; retuſa
Vnius adtendis tumidi ſublimia montis
Subdita tantundem ſublato tergore vallis
Conſurxit, verrenſq; ſolum vis fluminis, alueum
Permutanſq; cauat circum exæquatq; rotando
Campis, ſe ſurſum iubet ultrò adtollere monteis
Planitie humilius ſe ſubſternente. Perinde
Orbita ſolis habet quo parteis atterat, & quo
Inſtauret rurſum, inq; ignis nutrimina vertat,
Quod plane haud ulla poſſet conſiſtere ſorte
Si rapidas toto vireis de corpore circum
Funderet, haud umquam peteret vapor ille ſolutus
Subiectum corpus totoq; abſcederet orbe,
Materiam reditus non opperienſq;, receſſus
Captaret longos, vacuoſq; relinqueret artus
Egeſtos, proprio tandem recoquente calore.
Sic igitur quia ſe circum conuertitur ille
Quæ rapidi ex facie tenuarat viribus ignis
Conſtringi patitur facie quæ ſubuenit olli
Frigida, vel neutro fortaſsis robore linquens
Natiuò, ut ſemet redimat pro ſufficiente
Principio, ut ſatis eſt abſens contraria virtus.


Repe-

REpetiuimus ut aſtrorum partes etherogeneas eſſe oporteat: lux enim & calor & ſimilia accidentia, atq; ijs contraria, non niſi in corpore compoſito eſſe poſſunt neq; ab alio præterquam à compoſitione prouenire (ſi ſerius velimus de rerum natura iudicare) aſſeuerabimus Sed in ijs quæ de principijs habentur hæc definita petantur. Sicut ergo telluris ſuperficies mari terraq; diſtincta eſt, ita non ex toto lucida eſt facies ſolis; nec eſſe poteſt. immo neq; videri poteſt illa lux præterquam in opacitate quadam radicata. Neq; item licet ſicut in Tellure atq; Luna expreſsius partium illud diſcrimen ſenſu viſus apprehendere, ubi maior lucis uehementia lucida quadam caligine ſeu fulgore opacarum partium euidentiam obfundit & hebetat. Et ſolis ergo ſubſtantiam maiori ex parte immò & maxima (velut & Telluris) aqueam eſſe oportet; ſæpe etenim oſtendimus quod & abſq; oſtenſione ulla debet claris ingenijs atq; ſenſibus eſſe perſpicuum, ut non niſi ab humida lux poſsit emicare ſubſtantia, etiam ubi ignis à cauis ſpeculis accenditur. Corpus enim hoc pacto terſum, & lene quod lucè concipiat ſuſtineat, & reflectat non poteſt eſſe niſi per aquam inſpiſſantem continuantéq; ſubiecti partes: Et noctilucæ ſecundum genus tum ſpirituoſa atq; ſubtili tum adipoſà quadam à materia habét hoc quod ſplendeant argenteo illo vel aurifulgido colore. Neq; uſquam eſt ignea lux ſine aqua; ſed frequenter aquæ lux eſt ſine (quem poſsis dicere) igne. atqui cũ hoc lucem nuſquam experimur calidam ſine igne. licet in comburente ſpeculo non ſentitur quia in eo eſt centralis & non ita actiua, ſicut ab eo in materiam acceſſibilem. ¶ Qualia in ſphæra ſolis animantia viuant pro dignitate neſcimus; diuiniora tamen omnino eſſe oportet ſiquidem illis licet conſpicua nobis fieri, & ſe quodammodo nobis communicare, quibus ſegne eſt corpus & ingenium nutriri tamẽ ea oportet ut ignem, & aliam omnino

omnino esse vitæ eorum rationem atq; nostræ. idem enim ignis (vel ut melius dicam lux) potest melius per se consistere quam nos per ignis participationem quandā quę in spiritu est, consistimus: quibus non ita licet materiam substantiæ nostræ animalis ad unam numero vitam obligare.

¶ Sicut etiam in Telluris orbe alia uiuunt in mari, alia in diuersis reliqui corporis partibus diuersa; non secus decet putare in cuiuslibet specie astri, quod eiusdem generis principijs ad etherogenei totius compositionem concurrentibus existat.

¶ Ad iudicium ergo eius formæ qua se nobis solis fulgentissima orbita manifestat sit corpus globosum cuius partes lucidæ seu igneæ sint BC, DE, FA opacę verò terestres seu aqueæ, A B, C D, E F Ignē appello corpus aqueū in quo primò vis lucis & inde caloris dominatur;



aquam vero in quo primum vis tenebrarum ſeu opacitatis, & inde frigoris.

Dico tale corpus optimè conſiſtere. in finibus enim, ubi aqueum & igneum uniuntur æquali reſiſtentiæ atq; fauoris virtute contemperantur, licet in ijſdem maiores mutua actio atq; paſsio faciat alterationes. nam calor & lux quæ eſt in latitudine B C, non calefacit & illuminat latitudinem A B multo minus latitudinem D E & alias: cuius ratio eſt tum ea quam ſupradiximus circa extenſiuam actionem & paſsionem eorum quæ corporeo modo agunt atq; patiuntur (vnde infinitam intenſiuè actionem non prouenire ab infinita mole corporibus oſtendimus) tum quia corpus eſt ſphæricum cuius conuexitudo non patitur ut virtus calefactiua quæ eſt in A imprimat actus ſui veſtigia in B vel in C. Effectus ergo lucis atq; caloris à corpore ſolis incomparabiliter maior eſt ad partes exteriores atque oppoſitas quam in eodem corpore ſubiectas propinquas partes (quemadmodum & à ſuperficie Telluris circa Zonam Torridam æſtus qui ad ſepoſita æthera tranſmitti poteſt ad multã ſemidiametri differentiam; ad partes eiuſdem globi valde propinquiores nihil omnino facit) Sicut etiam in noſtro globo experimur lucem maris noſtri quam ſpeculariter eiaculatur, non ita terreſtrem noſtram afficere regionem ſicut lunam & oppoſitas alias in cælo regiones, neq; calor à medio corpore, ad partes nempe polares (pro ſuæ molis ratione non aliter propinquas, quam noſtro pectori atq; ventri capitis vertex eſſe poſsit atq; pedes) calefaciendas peruenit quæ ſuum ab ipſa ſolis rota immediate calorem preſtolantur atq; lucem; è quibus felicioribus ingẽti concretorum marium atq; montium diſcrimine diuellimur. Qui ergo proximarum partium ultra tropicos hyemes non contemperat, ad longe maiorẽ diſtantiam oppoſitam obiectamq; aeris calfacit regionem. Sic ergo extra lucidum ſolis oceanum

tum

tum frigidæ tum temperatæ esse possunt regiones usq; adeo intensa caloris lucisque virtute (quæ ad nos usque versus & ultra emittitur) non distante.

¶ Quod autem ita varias in illo oporteat esse partes indicat iterum ignis substantia qui in lampadibus & sulphure accensus non ibi maximum sortitur vigorem ubi lucet sed ubi non lucet potius: inter fumum quippe tepidum, atq; eum qui consumit proxime ignem qui in cerulea quadam opacitate cõspicuus est; flamma ipsa (quæ fumus ardens definitur) est sensibilior: ut inter verum ignem qui inter materiam combustibilem mediat atq; flammam discrimen agnoscere possis atq; ardentē fumum; qui non ignis est, sed ignitus: veluti pruna non ignis est sed ignitum lignum, & ferrum candens nõ ignis est sed ignitum. Vbi & sine sensu per lucem ignem verũ licet experiri quando materiam combustibilem adhærentem accendit. Quod ergo lucet non est ignis neq; lignum. Sed humida substantia, vel ignis in substantia humida, vel humida substantia lucis quadam affecta virtute, quã in simili potest exercere materia. Imo & lux p se est inuisibilis, visibilis vero p ipsum cui inhæret corpus. Ideo Moses & Mercurius Trismegistus distinguere inueniuntur inter lucem & ignem & solem. Illa enim est natura primogenita, seu principium, atque elementum quoddam illis & primæ diei opus: sol verò cũ stellis opus est diei quartæ: sic quippe ambo sapientes illas metaphoras apportant, ut naturæ ordinem in suis sentẽtijs nusquam inuertant: de cætero alijs relinquo curam pro illorum physicè enodandis sensibus.

Sol ergo non est neq; esse potest substantia simplex, qualis usq;adeo spissa atq; usq;adeo sensibilis, & usq; adeo diuersi color esse nequit: intensius siquidem in illius orbitam oculos intendentibus circa medium opacius quiddã & circa perimetrũ lucidius: videtur sed ex visu non magnã constituo argumẽti vim: aliæ quippe nobis

nobis undiq; magis intrinsecę succurrunt rationes, quibus lucem non infra in opacitate quadam fundatam insitamque sensu ratioeque concipere licet Ab aliquo enim apprimè constante, & densitate eximia præualente subiecto æternæ lucis illius virtutem oportet ter proficisci : sicut & apud in nos æternùm eadē & æqualis maris superficies perseuerat ;nō etenim plus uno tempore atq; loco depascitur quam alio loco atq; tempore Sol digerat;ut in eodem perpetuo vigore Telluris diuersum corpus perseueret:quin etiam sic omnium animalium corpora essent æterna,si non plus & sibi cognatius ab earum effueret substantia quàm influeret. ¶ Ad eius quoq; quod proxime dictum est demonstrationem facit : quod paraelij in speculo cristallino plano cuius spissitudo triplici bractea vel duplici constat,duo qui altrinsecus sunt à secunda reflexione soles, quorum media cardinalis imago liuentior est,duæ verò collaterales valde sensibiliter candidioris apparent speciei. ¶ Illic fulgor Solis proprijs terminis non contentus (ratione qua & nocturnæ lampades eminus maiores apparent positę quàm propinquæ) distinctū opacarum regionum sensum non æque facit apparere atq; luna ; illas tamen omnino sic esse necessarium est, alioqui contingeret argumentum nimis excellentis prędominij famelici vnius (quod ita volo dicere) cōtrarij super alterum quod in illius alimentum conuertibile est: Ita more vulgi loquor : constat enim quod per ignem in vaporem magis transire videntur ea quę comburuntur,quam in ignē transmutari quand oquidem combustione facta nullus remanere videtur ignis,& dum combustio fit ignis ita semper alius est atq; alius,ut semper aliud pabulum suggeritur atq; aliud : ut sic totam ignis essentiam intelligere possimus lucis actionem quandā circa humidam alterabilem naturam, sed de hoc aliàs. ¶ Rursum ita,inquam, necesse est ad vitam animantū

suorum

ſuorum (ad quid enim vaſtiſsimi illius mundi fabrica inanis? ad quid deterioris hoc noſtro mundo minore conditionis?) diſtinctis conſtare partibus extimam ſolaris orbis ſuperficiem, ſicut & Telluris; cuius ſi totam faciem aqua cōtegeret, qui poſſet inſpirare tot mirabilibus ordinibus aer? quæ tam fœcunde viuifica lux animare poſſet interiora ad tantam ſpecierum anguſtiſsimarum varietatem? fere totum vitæ genus tum ipſum, tum eorum quæ in ipſa viuunt tolleretur. Ergo & ad propriam, & eorum quę in ipſo ſunt vitam, & intus & extra ſol etherogeneis hac eadem conſimiliue ſorte donatus debet eſſe partibus.

¶ Ita etiam animalibus noſtri generis crediderim partes habitabiles illis eſſe raras, ſicut & hic ignes videmus in ſuperficie raros, cuius etiam animalia nobis inſenſibilia pro corporis ſubtilitate, & quia ſuos non impune fines deſtituerent, ſicut nos ad eorum partes contendendo noſtros. Non eſt tamen conueniens credere ullam mundi patrem eſſe ſine anima vita, ſenſu & conſequēter animali: ſtultū quippe & hoc vulgare eſt quod non alia credantur animalia, non alij ſenſus, non alię intelligentiæ quā quæ noſtris obijciuntur ſenſibus. Proinde ſicut ſpecie differunt hęc duo corpora. Tellus & Sol: oportet etiam ſecundum ſpeciem accipere diſtinctionem omniū quæ ſunt in Tellure atq; Sole, ita quippe oculus hominis, pes, auris, cor, ſenſus, & omnia differunt ab oculo, aure, corde & ſenſu canis & bouis; ſicut canis, bos & homo ſpecie differūt: ſic ut verò in genere animalia iſta conueniunt, & in ſubſtantia eorundem primorum principiorum, ſic Tellus & Luna & omnia aſtra & mundi quos appellamus in genere uno conueniunt. In quibuſdam ſuper humida natura dominatur lux atq; calor; in quibuſdam vero tenebræ atq; frigus, Sicut vero non eſt ſine ſuo calore luce & igne Tellus; ita neq; omnino Sol ſine ſua opacitate, & frigore, cū accidē

tibus

tibus aliis circa aquam, quæ cōmunis est omniū substātia. Ratio dictat illum precipuum esse & diuiniorem locum & animalia excellentiora complecti, quandoquidē illa in nos possunt, minime verò nos in illa.

CAPVT IIX.

Quare sol cæteraq; fixa scintellent astra.



On alia trepidare putes ea sydera caussa
Quæ sic scintillant, sensu & donata tremoris
Quam quia se circum varijs de partibus astrum
Inrotat & radios semper transmittit iniquos;
Impariter toto qui à corpore deiaculantur.
Quod si oculum vultu ad nostrum constaret eodem
Partibus & cunctis parili virtute valeret,
Non esset ratio ut vis intensa inq; minuta
Nunc alios, aliosq;, aliterq; aliterq; cieret
Cuspidis affectus: simili quia sidera vultu
Vndea translucent, pigroq; è corpore lentos
Emittunt radios, oculi tantummodo nostri
Pro ratione suos crines motare videntur,
Contrahere inq; vices, illosq; extendere rursum
¶ Succurrunt ieiuna nimis commenta sophistæ
Cui ratio qua scintillant hæc astra videtur
Sufficiens horum distantia, qua afficiatur
Visiuus radius, paßiuaq; nostra facultas:
Quæ si caussa foret non cunctis tempore eodem
Qui simul adspectant species ea flammea iactu

Pulsaret similiq; pariq; ut sæpe notaui:
At verò hæc aliis magis esset paßio fortis
Vt magis atq; minus pollet uisiua facultas.
Nec simul affectu multi inuenientur in uno.
Præterea id prorsus nobis sol monstrat in ipsis
Inconstans radiis; ut subsultantante nitore
Proximior multis cum sit tamen ille planetis,
Maioriq; suam plus seruet corpore formam.
Distinguenda igitur remanet substantia solis
Tellurisq; uelut distiuguitur ignis & unda,
Et gemina hac specie apparent astra omnia circum
E quibus hæc proprio, hæc alieno lumine gaudent.
Nec quædam cæli fulgent densedine, namq;
Differitas generis satis est expressa videnti
Lunai densum corpus sine lumine per se;
Estq; ad Tellurem sub sole, ut terraq; ad ipsam.
Solq; suo expreßé insignit fulgore planetas.
Ergo aliam causam dare luminis est operæ & nos
Flammanti & vitrea facie distinguere mundos.

EAdem certe de causa astra reliqua ignea scintillant qua & Sol proximus omniumq; nostro aspectui maximus subsultante orbe conspicuus est, qui si amplius abstaret ut alij, eadem qua alij forma scintillare & saltillare videretur. Stellas fixas Peripatetici omnes uno ore dicunt scintillare quia valde distant, atque à tanta distantia nostri sic afficiuntur oculi ut iuxta aliam speciem remotiora illa appareant quàm planetæ qui nobis propinquiores non scintillant. Est & quidã inter recentiores multæ lectionis, atq; scripturæ, varijq; iudicij medicus qui ait, scintillare videntur astra

quo-

quoniam cæli substantia cum sit rarissima, radij ad nos venientes sæpius sed tamen semper ad perpendicularē franguntur: ob id cū aer moueatur sicut lapilli in fundo aquæ tremere videntur ob motum fluentis aquæ, ita illæ titubare videntur, hoc autem in luminibus dicitur scintillare. Stellæ autem errantes & Luna non scintillant quia robustis viribus radij ad nos perueniunt, sunt enim longe nobis fixis propiores. Iudicio est sic esse ꝙ cùm magis scintillent & planetę etiam non scintillare soliti ventum futurum præmonstrant, nam medius aer qui est in sublimi vehementius agitatus efficit ut frequentius atq; magis scintillare videantur. Sed hic medicus non satis incolumi utitur argumento ex sententijs varijs & non secum cohærentibus resarcito. Astrorum fixorum maximè quę primæ sunt magnitudinis robustiores ad nos eiaculantur radios quam Planetę plures & quám Luna, quin & Luna minimè omnium robustos habet radios quam inter vehementius radiātes cōputat: ita medicus non à qualitatis sensu manifestę, sed ab argumento distantiæ & abstrusa ratione mauult de radiorum efficacia definire. magis abstant, ergo, minus robustis viribus scintillant: atqui Sol magis Luna abstat ergo minus robusté irradiat. Ratio deinde qua ꝓpter aeris intermedij commotionem, eandem concludit rationem ab oculo ad stellas fixas, cum ea quæ est ab oculo ad lapillos in fundo fluentis aquæ, non multum habere de Apollineo videtur: non enim maior neq; alius aer inter oculos nostros atq; stellas fixas interijcitur quam inter oculos nostros & erraticas stellas & usq; ad lunam, quapropter non est possibile euitare quin eadē ratione sicut lapilli in fundo aquæ, ita lunæ partes, & omnes stellæ tremere videantur siue robustiores siue infirmiores viribus radios eiaculentur. Alia possent adduci argumenta, sed circa opinionem hanc & alias quæ nihil habent neq; ex viri fama, neq; ex mediorum con-

ſtantia perſuaſionis, turpe eſt ociari, & etiam ignobilis ingenij eſt ad quemlibet opinãtem reſpondere. Aſtra præter planetas (inter quos cometas numeramus, quibus certis etiam temporibus inſolitus cometa poteſt eſſe Tellus & luna & reliqui planetæ) nobis conſpicua perpetuò omnia ſunt ſoles ſeu ignea; quæ ideo ſcintillare diximus quia ignea ſunt, nempe quia ſoles ſunt, & eiuſdem conditionis motus capiunt atq; ſol. Hoc verò quemadmodũ ſit nunc diſtinctius oſtendamus. Quod ſcintillatio eſt in Sole, idem eſt ſcintillatio in fixis. Certum eſt Solis machinam ita circa proprium centrum cõuerti, ſicut & Tellurem conuerti nobis eſt certiſsimum: hoc cognito, vel poſito, certum eſt circumferentiam aſtri ad oculum ſemper aliam atq; aliam peruenire & circuli exterioris partes nunc contrahi nunc extẽdi magis minusq; inconſtantiſsimè videri. Hinc illa ſaltationis ſpecies. Itaq; cũ dicimus ignea aſtra ſcintillare quia ignea ſunt, cũ circũſpectione capienda ſunt verba, cũ hoc ſcilicet quod huiuſmodi aſtris propriũ eſt circũrotari, quia ſic omnia moueãtur, non tamen quia ſic ſola; niſi & igneæ ſpeciei aſtrum velimus & Tellurem cum Cuſano intelligere, qui ignis ſphæram circa Tellurem in unum cum eadem corpus venire intelligit: quod tamẽ ego (non ut impoſsibile neq; abſurdũ neq; difficile) non credo; quia ſi eſſemus in ſole lucem noſtri orbis nõ nos, ſed exteri, non ex imo corpore aſtri, ſed ex facie viderent. Atqui de facto non eſt neq; eſſe poteſt: quandoquidem ſi Tellus eſſet eiuſdem ſpeciei cum ſole, & ſic circumſtãte igne fulgeret tempore oppoſitionis, lumine ſolis per Telluris interpoſitionẽ priuata; ipſius lumine Telluris nihilominus fulgida videretur. Stat ergo quoſdam aqueos mundos ſeu planetas circa proprium centrum ita verſari ſicut & ſoles: inde ſcintillatio illa: quæ etiam aliqualis in Marte conſpicua eſt: neq; etenim ea efficacia planetæ ſcintillare poſsunt alieno illuſtres lumine

mine atq; soles proprio. Quod verò à rotatione & superficiei illa inconstantia scintillatio proficiscatur sensibilissimo patefacimus argumēto, quoniā lux quę in face accensa est constans, in obiecto speculo vibrato est scintillans, & lux Lunæ in suo orbe fixa, in vibrata fontis superficie trepidat; sic ergo si Telluris faciem à lunæ orbe videremus, sane propter eā qua gaudet circa proprium centrum reuolutionem aliquo pacto (licet non ita viuaciter) tremulos ex orbe intenderet remitteretq; crines. neq; sic idem umbrarum, seu opacarum partiū ordo in Tellure videretur illinc, atq; hinc in Luna.

CAPVT IX.

Persequitur propositum indifferentiæ corporum illorum, & istorum.



Echnis ergo perit leuibù illa essentia quinta.
Ergo dies illa illuxit, quæ ea sidera, & orbes
Sustulit inq; suum nihilum dicendo resoluit,
Quæ quoq; de nihilo sunt efformata profectò.
Illuxitq; dies qua nos de sedibus imis
Surgimus, & facili calcabimus astra uolatu,
Et seclum immensum nobis reserabimus, extra
Carceris inuisas tenebras claustriq; profundi.
Cernimus & quondam cæcis, modo luce recenti,
Loripedum pedibus, scapulisq;, talaria & alæ
Adiecta, & sensus diserti elinguibus, acri
Detentis morbo, ac rigidæ formidine mortis
Oppressis, vitæ species data sorsq; perennis.

Propositum rursus repetam. Distinguitur illic
Pars à parte quidem, nigra à fulgente corusca.
Et quamuis longe proprij pars proximior sit
Partibus orbis, habent nihilum tamen inde caloris
Et nihilum lucis directa cuspide certè
Sed tantum oppositis venientis ab orbibus hisce
Qui parili distant circum discrimine ab illo
Temperieq; calor deflectitur inde benigna
Et lux, quæ nusquam possunt curuamine sese
Fundere. Nam fieri si posset & experiemur
Corpore Telluris tropicos quæ exæstuat inter
Ingens ad spacium; tantus calor attamen orbis
Non tangit reliquas flexa curuedine parteis
(Quamuis vicinas) qua subijciuntur utrinq;.
Non etenim magno terrai in corpore ab Arcto
Plus tropicus distat quam nostro à pectore ceruix,
Attamen & medias inflexis viribus oras
Non iuuat, at solem iubet adspectare parentem.
Non secus Oceanus fulgentis in ordine solis
Igneus haud prohibet solidas consistere parteis
Compositas fluidis paßim, in propriaq; manere
Temperie, immo etiam concretas frigore, si fors
Corporis illius sortes patiatur easdem:
Ignis ut & multus terrai in corpore constat:
Concretum faciemq; tenet frigus in medioq;
Sphærai nilum concrescit sortibus ijsdem
Quinimmo interiora calent dominante rigore
Frigoris externi. Quare à ratione alienum
Non erit in medio naturam credere solis
Corpore diuersis informatam esse elementis.

¶ *Quod*

¶ Quod verò vario parteis siet ille colore
Sortitus multo poteris comprendere sensu,
Nam lux in facie igniti sita corporis esse
Cernitur, atq; ignis verus qui in lampade viuit
Depascens adipem in tenues aurasq; resoluens,
Flammã intra ac lycinũ apparet, fumusq; putatur
Quidam flamma ardens, quam nolo dicier ignem
Iccirco, ignitum ratio quia dicere mauult.
Vt carbo accensum lignum non ignis habendus
Iis quibus est aliud lux, ignis, & ignea massa, &
Ignitum, & radij, & radiatum, materiesq;
Fulgida, & haud idem est lucis color, umbraq; lucis.
Ast quocumq; tibi capiantur significato,
Humida subiecta est semper substantia, & ista
Esse nequit proprio consistens robore fixa
Ni sibi materies arens societur & ardor
Non habet ipsius quod vi soluatur & inquod
Actitet, Arctoo nisi quod sit frigore primò
Condensum. neq; finitæ data materiei
Copia seclorum poterit per secla videri
Ni se continuo instaurent contraria gyro.
Ergo loci oppositas species, habitusq; requirit
Quilibet è mundis, ac motus continuantes
Totius & partis minimorum ad usq; valorem.
Non igitur lux illa potest substantia simplex,
Ac sibi subiectum corpus sine compositura
Effingi, siquidem spissum quid, sensibus estq;
Obiectum, & calida tangit virtute remotum
Quam tantum ignito scimus de corpore abire
(Nam nec quæ exurunt ignita specilla negamus)

Artubus è cuius contraria pabula carpit
Incendens virtus, cui si contraria desint
Est nihil, aut nihilo similis, Non ergo repertæ
Sunt tantum parteis aliæ à lucentibus illic:
Sed quoq; radices inopaco lux habet, ut sat
Commonstrant nobis flammantia corpora semper.
Nempe superficie in quadam lux cernitur omnis,
In clypeoq; subest candentis Apollinis atror,
Indicat id clarè ternàq; in imagine solis
Cristalli glacies quarum media illa nigranti
Liuore inspicua est geminis albentibus hoc plus,
Luminis à specie quia tantum progenitantur,
Integit & partes mage fulgor solis opacas,
Namq; minus contenta suis est finibus hæc lux,
Quam Lunæ, atq; astri peregrina luce nitentis.
Hoc lampas nocturna facit quando eminus ardet
Sensibus expressum, molem mentita superbam,
Vsurpansq; sibi tenebrarum finitimarum
Attiguas parteis amplum grassata per orbem.
Præterea si flamma foret nimia illa tyrannis
Vnius, aduersi euictas monstraret apertè
Alterius vires, & de interioribus esse
Compositumq; eius generis vix tempore pauco
Consistet, siquidem pars quæ resoluta potenti
Cuspide diffugit contraria ad ora rediret
Numquam, quæ simili se obiectent undiq; forma.
Diffugiens igitur rapido torrentia cursu
Pars gremio rursum aut dorso instauratur amico.
Vt generis tamen Oceanus constabit aliûs,
Congeneusq; humor toto de corpore, massam

Compingens solidam, varium genus inde animantũ
Testatur facilè, & vitæ melioris adesse.
Nempe Deum quem ignẽ absumentẽ dicere suerũt,
In sole affirmant sedem posuisse potentem,
Flamantesq; Deos illi virtute ministra
Adstantes, volucrum cæli hos Cabalista celebrat
Nomine. Timeus solem medium esse deorum
Prædicat, & vates Orpheus, Psaltesq; propheta
Luminis indutum radianti syndone dixit.
Ergo ut sunt Tellus & sol materq; paterq;
Liber & alma Ceres, Iuno & Iouis alta potestas
Vnius haud generis qui sunt animalia, quamuis
Principijs constent ijsdem duo corpora primis.
At super humentem naturam est lux ibi princeps,
Heic umbra, atq; illic uiuunt animantia lucis
Heic genus inuisum, occultum, nothumq; laborat,
Spiritus est illic vitalis frigida virtus,
Atq; umbra, unde Stygem diuis dixere verendam
Prisci illi & Noctem matrem antiquamq; Deorum
Multorum. Nobis calor & lux ordia vitæ
Suppeditant, tatum seruantque fugace fauore.
Spiritus inde simul totum contemperat unus,
Vnicus ille animus cunctis, Iouis omnia plena.

SVbstantiam celestem Peripateticis saltem recentioribus, non differrè debere à substantia istorum quę sunt penes nos importunè docent comperti cometæ; supponunt enim materiam eorum esse terrestrẽ, & non possunt etiam negare aliquid humidi, immo tam multum humiditatis inesse quã multum ad inspissandũ

tantum cotpus sufficiat,& tam diuturnum adeò potententis voracissimiq; ignis pabulum : subindeq; horum apparitiones couuincuntur fieri ultra Solem, & frequentissime ut illi aiunt circa orbem Veneris atq; Mercurij. Quidam dicunt raptum humorem illuc usq; vi siderum quamuis altior sit locus eo qui humoribus est destinatus. Quidam ad virtutem supra & extra naturalem confugiunt aientes Deum qui supra naturam est ad aliquid nobis significandum,has in cælo species creare: quasi vero meliora diuinitatis & optima signa non sint ea quæ ordinario incedunt cursu inter quæ & ista ab ordinario non sunt aliena;licet eorum nos ordo lateat:sed cum prophetis huiusmodi nos non loquimur,neq; ijsdem respondere curabimus ubi non sinè sensu atq; ratione loquendum. Author homocentricorum obseruauit cometem anno Christianorum M D XXXI. paulo Sole orientaliorem ad vigesimũ quartum gradum Virginis Ioue tertiã.Scorp tenẽte partẽ:& habet pro impossibili ut decimo octauo die,vel ante,Iuppiter ad gradũ decimum tertium Scorpionis peruenerit : quapropter unius mensis spacio progressus est secũdũ lõgitudinẽ à vigesimo quarto Virginis usq; ad tertium Scorpionis gradum : partibus nempe quadraginta & una:qui sane progressus tempora Mercurij & Veneris imitatur. Ex illo & alijs concludit Peripateticus quidam cometas non fieri ex vaporibus; & non in æthere generari ubi non est materia quæ accẽdi posśit, cùm etiam cometæ pleriq; mensem excẽdant secundum , aliqui etiam nec in tertio finiuntur,cui conflagrationi (bene ait Cardanus) nec tota terræ machina sufficeret.Ignis enim nunquam in eadem est materia,sed nouam perpetuò requirit : ardere verò tantãq; tribus mensibus durare materiam est imposśibile. Accedit (ait idem) quod aliqui humiliores essent qui absconderẽtur ante occasum,aut essent immobiles, quorum neutrum adhuc visum est.

Addit

Addit idem. Deprehendere an cometes in elementorũ regione sit an in cælo fiat, facile est admodum; nam si maiorem habeat diuersitatem quàm Luna in elemẽtorum necesse est esse regione; si verò minorem proculdubio fit in cælo. Et colligit communem omnibus planetis esse ut tribus motibus agantur, uno ab ortu ad occasum generali, secundò more planetarum ab occasu in orientem paulò plus minus in parte una cæli ad Veneris fermè similitudinem; nam cometes anni Christianorum 1532 exortus vigesima secunda Septẽbris ex quinta parte Virginis processit in octauam Scorpij, quo factum est ut solum sexaginta tribus partibus Zodiaci secundum longitudinem in diebus septuaginta & uno processerit, quod est minus una parte per diem: & ideò non est possibile ut sit infra lunam ubi oporteret Luna velocius moueri. Est & tertius motus in latitudinem quem more planetarum recipit. Ante Italos istos astronomos Albumasar etiam inter Peripateticos Arabes unus iudicauit cometem supra Venerem esse. Quinetiam est & cometa ad annum M D LXXXV. quem rotundum dicit cometam. Alij nouam stellam quam iudicãt in cælo supra Saturnum quę mensibus Octobri atq; Nouẽbri cõspecta est, cuius obseruationem ut ab Vraniburgicis astronomis facta est legi. Vnde hoc tantum ad hominem (ut aiunt) argumentũ deduco. Si cometæ sunt ex ea quam Peripatetici existimant materia, & hæc est in cælo supra lunam, substantia profectò eorũ quæ sunt illic à substantia non differt elementari. Item oportet spacium unum esse aereum corporibus hisce peruium atq; penetrabilem, & in quo talia præsente materia gigni possint. Sed hoc in hoc proposito sufficiat, nostrã quippe de hisce sententiam maiori oblata occasione in posterioribus aperiemus.

CAP.

CAPVT X.

Vt non alia ſpecies rerum eſſe poſsit circa Lunam quàm circa Tellurem.



On magis inde tibi circum confinia Lunæ
Ignis adeſto, magis vel candens aeris orbis
Quam videas circa Telluris proxima; namq;
Hæc ſimili ratione vigent agitata manentq;
Conſimili vultu parteis referentia eaſdem.
Abſimilem verò motum eſt ſortita diurnum,
Namq; propinqua magis ſolaribus ora recepit
Ignibus; hinc tanto candente recedit ab orbe
Luna magis quãto pluſquã Terra acta ꝓpinqua eſt:
Circuit hinc igitur Telluris concita mundum,
Interea in media noli regione putare
Aerea multum Vulcania regna vigere.
Non etenim ſatis eſt ut ſint magis ora propinqua
Vt magis igneſcant, calidum capiantue vigorem.
Inſuper exigitur retinendi denſa poteſtas
Siſtendiq; vagum radioſa è luce calorem.
Illinc non tantum capitur calor atq; tenetur,
Aſt etiam (fuerit ſi corpus denſius atq;
Terſius) accendet. Si lucis uimq; reflectit
Vt patet in ſpeculis vrentibus inq; cauatis
Sole ſub ardenti. Docet experientia multa
Quid candens poßit vehementius ænea peluis
Seu chalybæa cauo efferuens; ex orbe propellit
Spicula quæ forti noſtro concæpit ab igne.

Hac

Hac malus arte ſuum Maurorum rex Muleaſſes
Et ſenſu uiſus & regni ſorte parentem
Ignitam in peluim qui verterat ora repente
Orbauit.—
Ergo licet ſoli propiora cacumina montis
Exiſtant, regioq; vagis ubi nubila creſcunt
Corporibus, ſurguntq; niues, pluuiæq; adoleſcunt
Materies, ideo non eſt quod digna putentur
Vt magis igneſcant, ſpecies promantq; calentum.
Namq; ibi non uſquam radij vis illa potentis
Siſtit continuò exagitantibus aera ventis.
Si quiſquam ergo locum attingat ſcandẽdo ſupernũ
Terrenæ ſphæræ qui verè eſt ultima finis
Aeris & reſlui conſiſtit terminus, illic
Temperiem ſummam experietur, perpetuamq;;
Nam tranquilla vigent cæli illic ora ſereni
Vnde videre queas prono vaga nubila vultu.
Et quia non ulli ſunt illa in parte vapores
Non eſt quod rectum teneat radium atq; reflexum
Quare naturæ eſt illic impreſſio nulla.

VT arrogantiſsimum eſt omne ferè grammaticorum genus: non eſt rerum quantumlibet difficillimarum iudicium quod ſibi pro logodedalæ ſufficientia iure optimo non uſurpent; hinc poſtquam laſsis à nominum dictionumq; notomia interferiare licet, mitto minora opera quæ ad municipales ſtatus pertinẽt, ut tot ſint theologiarum ſpecies quot & paruarum monetarum quarum valor etiam huiuſmodi pecuniarum æncarum more de paſſu in paſſum, de anno in annum perit & eadem leuitate euaneſcit, atq; exorta,

fuit vel ex utero alicuius abiectißimę hypocrisis vel malitiæ, vel alius secundum genus impostura & melancholicæ temeritatis: quæ omnia melius in Pedantis (quem aiunt) unius quam in quocunque alio conuenire possunt. Nouissimè de morte ad vitam antiqui illius Iouis Cretensis defuncti, memoriam per Iouam de tetragrammo Ebreorum decolatum reuocarũt, nolentes vel secundum natiuam Iudæorum institutionem à prolatione illius sancti nominis pro reuerentia abstinere, neq; secundum aliorum usurpationem proferre Iehoua: Sed hoc condonabile esset, nisi esset post nouorum Eloimorum substantias, essentias, usias, de quibus nihil ad nos. Hæc cum complerint, quasi ex altißimo tribunali & negociatorio, isti altitonantis secretarij, grãmatici Latini, Græci, Ebræi, Syri, Chaldei & consequẽter Theotochi, philosophorum quoq; de litibus definire dignantur; ingrediuntur ergo academiam, conscendunt suggestum, proferuntur in medium opiniones, absq; legitima partium pręsentia, & causę dictione, quia omnia iura & lumina sunt in illo sacratißimo archididascali pectore recondita. Expectatur iudicium. venit.

Ait ergo diuinarum humanarumq; rerum definitor ex hoc ordine Grammaticus.

¶ Cum verò corpus Lunæ nõ sit ex aliqua natura dẽsa ut terra est, aut ex ea composita, mirum videtur cur Xenophanes adductus sit ut in luna habitari dixerit eáq; locum esse multarum urbium: Mirum cur Nicetas Syracusanus cælũ solẽ lunã stellas supera deniq; omnia stare dixit, neq; quicquã pręter terram moueri, qua circa axẽ suũ versa omnia illa sic rapi videantur. Harum opinionum illam causam fuisse credo, quia sicut in frequentißimis

ciui-

ciuitatibus multi sunt rerum nouarum cupidi: ita in philosophia contingit. Nonnulli enim ne nil scisse videantur, aliqua noua monstra in philosophiam introducũt, ut alicuius rei inuentores fuisse appareant.

Heic Scholarcha, eximiusq; ludi Minerualis moderator, Puerorũ Rhadamantus neq; ordinariã philosophiã callens, quam pro more laudibus ad astra vehendam dicit peripateticam : perperam de diuinorum hominum (quorum cineres omnibus huius generis animabus sunt anteferendi) sensu iudicat. Postquam literarum falsificationem, & mendacissimam (ex fonte temerariæ ignorãtiæ) illustris illius positionis euersionem (cælum quippe stare ille dixit, mota tellure, non autem lunam & omnes stellas, & omnia supera) nesti quomodo actum deinde expediat. Nos vero quid grammatico respondebimus quod ille capere velit vel possit? Quid pecorum omnium insulsissimo faciemus? ad quẽ promeritorem appellabimus? Quid de corio illius (qui ultra suam puluerulentiam stercoreamq; crepidam tam temerariè audax adsurgit) faciendum existimabimus?

Sunt qui crediderunt quoddam tempus (refert Mythologicus ille) quo nondum nata esset luna quæ iunior esse sole credebatur, cùm vel Arcades ante illam putati sint qui non procul ab Apidano coluerunt, Apollonius libro Arginaoticorũ quarto. Nulli erat auditum (inquit) Danaum genus; at Arcades Alpidanenses soli fuerant olim, Arcades illi qui lunam superare se tempore & annis ferunt, cum glandes ederent dispersi in montibus altis. Et Theodorus libro primo paullo ante bellum quod ab Hercule ante gigantes gestum est lunam apparuisse scribit. Aristochius, & Dionysius Chalcidẽsis in primo suæ ædificationis idem confirmarunt. Mnaseas ait Proselenum Orchomeni filium Arcadibus impe-

imperasse: quod etiam affirmauit Duris Samius in libro quintodecimo rerum Macedonicarum qui inquit fluuium Orchomenum eum à patre nominasse, & Mnaseas Arcades ante Lunã genitos fuisse, unde, & proselenos id est antelunares vocatos. Ab hisce historicis nihil adducitur naturæ inconueniens, neque non naturæ (quidquid sit de Peripatetica philosophia & grammaticorum censura) conuenientissimum fertur. Etenim Tellus quæ eiusdem est speciei generabilis est & corruptibilis substantiæ, est enim animal quantumuis diuinum etiam mortale: Mundi ergo generabiles sunt & corruptibiles, & nõ est possibile æternos fuisse quos experimur alterabiles exq; alterabilibus partibus consistentes. De eorum verò materia, & spiritu non definio quia altius requiritur iudicium: hoc autem certum est quod omnia secundum totum esse à Deo dependent, sed de principio dependentiæ secundum durationem disputatio est: non potest enim capere vulgus ut æternum secũdum totum esse dependere ab alio possit.

CAPVT XI.

Ex Platonicis Pythagoricis & Timeo de variis circa Tellurem habitationibus



Ortunatum animal vegetat Telluris ad umbram
Nubiferos ultra campos aurasq; fugaces.

Atqui ubi Terrai non fimbria contegit ulla,
Nil viuens perstare potest quod læserit ignis,
Compostumq; magis torrebitur inde repente
Haud medij virtute nihil quod suggerit, atqui

Con-

Concipiet propius penetrantia spicula solis
Quæ neq; Telluris matris contemperat umbra,
Nec rapidus motus, neq; constans craßior aer,
Qualia sed Tellus neq; posset ferre manendo,
Frigida quantumuis donataq; corpore tanto.
Timei Locri sensus fuit atq; Platonis
Non inconueniens dictis positisq; Magorum
Fortunata magis constare animantia in oris
Iis, ubi tam puro plusquam nos aere gaudent
Quanto subtilis plus est regio data nobis
Hac quæ squamosis concessa est piscibus, & quæ in
Corpore Terrai magis est situata profundè.
Illas accedit, uel forte attingit ad oras
Telluris propriam sublime cacumen olympi
Contiguum ad faciem, quia pars Telluris habetur
Aeris hoc totum quod vento & nubibus atris
Turbatur, quatitur, strepit, in tot abitq; colores.
Cernere ibi posses anno uertente dieq;
Sacrorum cineres leuior quos aura potesset
Spargere, qua fuerant forma consistere eadem.
Temperies illic, geminas quia terminat oras
Intra incentiuas superas, imasq; rigentes.
Et si autem constans tranquillusq; aer ibi sit
Non tamen est calidus, nullos quia concipit igneis,
At crassum corpus si quando aduenerit illuc
Fortius arreptum violento absumitur igne
Sed nil adsurgit quod certè dicere poßis
Et quæ nocturna præsertim æstate videmus
Currere flammanti (subito extinguenda) nitore
Pabula sulphureæ conuictaq; materei

Mirum ſi conſtent ubi uentus nullus; oberrans
Perpetuò ingyrum Telluris concaua circum
Nulla igitur reliqua eſt uis qua pellantur ad aſtra
Et purum ſubeant uapidum ſuper aera campum.
Quare non opus eſt medium magis eſſe caleſcens
Vis calidi circum, quocumq; admigret ab igne
Eminus at poſitum ſi ſpicula fixerit hæc quæ
Difflua mobilium penetrarunt ſecla uiarum.
Immo reflectuntur radij de corpore denſo
Quo nihilo calidum minus eſt pote deiaculari
Quam ſi torqueret recta arcus ſolis eoſdem.
Interdum facies ſpeculi caua perficit iſtud
Quod radij nequeunt uenientes undiq; rectà:
Non quia præpollet radij reflexio, uel lux
E uultu manans ſpeculi, uerum inde profecto eſt
In centrum radios quia ſparſos colligit unum.
Lenis concauitas ea corporis atq; uagantis
Aeris attritus nihilum contemperat illic,
Impreſſas uires. Iure ergo potentior inde
Emicat ille calor qui prorſum totus ab aſtro eſt:
Sed ſpeculi tantum in facie componitur, atq;
Stringitur in punctum quo deinde intenſior exit.
Quapropter cauſæ reliquum nihil eſſe videmus
Quo neget omnino cæleſtem hunc eſſe calorem
Quiſquam, ſed puram é cælo deſcendere lucem
Puramq; in denſo conſiſtere corpore ſolis
Quale elementorum quocumq; horreſcat ab actu.
Aſt ego uectablum benè lucem dico caloris
Quantus pro modulo ſemper comitatur eandem
Perfecto ſatis hæc aperuimus omnia ſenſu

Et commenta iacent stulti adnihi lata sophistæ.

CONforme ei quod dixit Plato esse partes in Telluris orbe altiores in quib. homines fœlicioris vitæ inhabitent & diuturnioris & substantiæ magis spiritualis quorum aer tanto subtilior & tranquillior atq; clarior hoc nostro est, quanto & noster hic est purior ea spissiore Telluris regione quam incolunt pisces; refert Cardanus à suo parente relatum de septem viris qui se protestati sint homines quasi aereos, qui & ipsi nascerentur & interirent, sed illorum vitā longe nostra diuiniorem quæ ad annos trecētum tenderetur, quos nihil abditarum rerum lateret, tenuissimo quoq; corpore nil nobis commodi vel detrimēti adferre posse præter spectra & terrores & scientiā. Deinde rudis & amens fabulator refert parentem audisse eos de animæ immortalitate & de mundi æternitate altercantes & dissentientes quorum alter se palam Auerroistam profitetur. Vbi dixerat eos nihil latere abditorum, iam sequentibus verbis alterum eorum ignorantem vel ambos potius posset inferre; quàm doctos. Nobis certū est diuturnitatem vitę terrestribus animalibus maiorem & minorem non capiendam esse à ratione superiorum & inferiorum Telluris regionum. Sed certe in interioribus huius astri regionibus sunt animalia subtiliore corpore viuacissima non satis rationalia, nec quæ multum nobiscum possint habere commune, sunt etiam ad spaciū aereū quod umbrę Telluris pyramide cōtinetur & cū Tellure motu diurno circunducitur in quo dæmones sapiētiores nec satis amici nec satis inimici hominib, irrisores tamen & mēdaces; & qui non plus habere ingenij quā nos habere possimus, sed in eo excellūt ut ꝓ corporis tractabilitate quale est & nubiū corpus varias se possint in imagines transfundere & cōtrahere, insomnia in-

 nia in-

nia inducere, & abſentia à nobis videndo annunciare citius, unde futura putantur intelligere, quorum longe minus poſſent eſſe præſcij quam nos.

De rerum verò iudicio, ex diſcurſu & argumentatione nihil eſt quod illis ſolidè tribuere poſsimus: plurimum enim etiam propter ignorantiā mentiuntur. Ambiunt tamen omniſcij apparere omnes: porro ſic apud eos eſt diſtinctio inter plebem & ſatrapas, multitudinē vilium & ignorantium, & raritatem ſapientum ad ſingularitatem uſq; unius ſapientiſsimi, ſicut in omnibus accidit ſpecieb. Inter equos, elephātos & canes enim videre eſt eos qui ad ſapientiā humanā propius accedere videntur, & præ multis hominibus certe ſunt vegetioris ſenſus & argumēti: Sic qui aliquid cognoſcunt inter homines infinitis illius ſpeciei demonibus ſunt ſapientiores: Porro ſi ſpeciem ſpeciei cōferamus quemadmodum ſapientior hominum ſapientiori beſtiarum præſtat; ita & ſapientior dæmonū hominum ſapientiſsimo, ſapientior deûm, ſapientiſsimo dæmonum. Deus verò deorum ipſa eſt ſuper omnia ſapientia. Sed redeamus ad id quod huius contemplationis eſt proprium.

¶ Dicimus regionem illam quam conus umbræ terræ (vulgo contra ſolem circumcurrēs aſtrum, vel aſtro, ad auerſām à ſole partē adhærēs diurnum propter motum inuariabilis) conſtituit, dæmonibus aereis eſſe propriam; extra quam nulli ſpirituū Tellurisq; animalium conſiſtentia eſſe poteſt: quia extra huius magnæ parentis ſinum & umbram non eſt quod calorem ignipotentis aſtri ſuſtinere valeat: ſic de regionis figura conſtat. De quantitate verò ſecūdum longitudinem & latitudinem variabili mathematici (quos hoc decet ociū definiant.) Magi etiam per varias ſolis cum Tellure conſtitutiones, diuerſos diuerſorumue dæmonum acceſſus, virtutes, & operationes ſibi conſtituant. Illud phyſicè obſeruandum non prætermittendum cenſeo quod uno acceden-

dentis vel recedentis umbræ terrestris instanti, terrestribus viuentibus & dæmonibus in æthere commoda vel incommoda, fugiendo vel persequendo, à solis luce, vel ad lucem fit habitatio atq; consistentia: quandoquidem tota caloris virtus unà cum solis radijs simul adest & abest. Velut virtus caloris in corpore solidiore magis imprimitur, & diutius perseuerat, plus inquam in ferro quàm in lapide, plus in lapide quàm in aqua, plus in aqua quàm in aere vaporosiore, minimè in aere maximè subtili: sic in ætherea omnino extra Telluris terminos regione nihil est in quo caloris vestigia impressa possint remanere, ideo in instāti locus extremi caloris præsentia umbræ in locum summæ temperiei transibit. E contra verò umbra recedente repente à summa temperie ad summum caloris datur accessus: ubi neq; aqua, neq; nubes, neq; interiectus vapor, retundit spicula solis, neq; Telluris rapidissimo motu discutiuntur, obliquantur, effringuntur.

CAPVT XII.

Contra apparentiam illius gyrantis Olympi stelliferi unius, noua verborum non ita sensuum textura.



Vllas ad fruges sorte infelice profecto
Gyris cōtinuè magnis medijs minimisq;
Tamquā uno rapiēte oēs circūq; rotāte
Phantasiæ Stagyrita modis obiectat ineptis
At verò ut stans est gyroue minore cietur.
Hic sol hosce inter vitali luce planetas
Qui illius æterno circumdant atria cursu
Sic multa qui scintillant regione remoti

Soles in medio consistunt æthere, nullumq;
Obiectant motus sensum, & socialia castra
Errantum non ulla cluunt: quæ mentis habemus
Ac sensus perspecta oculis melioris, & artis.
Sic igitur proprium motu reuoluta diurno
Circa hoc omne facit centrum terrena videri
Machina in immensum mole ad surgente rotari,
Dumq; annum circa solem delineat, ecce
Obliquo impulsu cælum & sol cernitur ire
Cardene ab occiduo exortus generalis ad ora.
Nec capit errantis propria sub lege planetæ
Alterius normam facilè, ut distincta viai
Orbita non patitur confusis pulsibus ire
Obuia quæ veniant occursu illisa sinistro.
Et dum mutantur marium loca flumina, monteis
Fit, centrum hinc alid, atq; aliud faciesq; superna:
Sic reliquæ, cunctasq; vices in corpore parteis
Concipiunt, alioq; ideò sua membra tenore
Obuertit tropici stationibus, atq; polorum
Aspectus variat. Quare trepidare videtur
Immensum, ac parteis non certa sorte moueri.
Quæ quia continuum velut unum agnoscit, & unũ
Fixa vehens cælum reliquisq; vagantibú perstat
O' quantis miseri hæc monstra excusare laborant
Regula quos mater lucis toto orbe fefellit.
Hæc si ita quod sphæram infælix putat esse sophista
Non sphæra est atqui vigilantis somnià sensus
Quæ non ulla exstant usquam ratione probata
Quæq; ubi solerti discussa examine stabunt
Ipso quo utuntur miseri quoq; iudice sensu

Haud

Haud quoquam poterunt fundamine fulcta tueri.
Non locus est stellas vectantibus orbibus ijsce;
Nam neq; circundat terram seges illa micantum
Nec par disiungit nostro distantia ab orbe,
Aethera nec certo clauduntur deniq; fine.
Phantasia hæc quamuis Telluris stantis, & acti
Corporis incurui raptantis sidera possit
Sensibus inuitis quandoq; per artis inertis
Principia infirmas firmo phantasmate menteis
Vincire: at morbum ex alijs curabimus istum
Nam modo præcipuæ quod mensuræ indicat ordo
Ad species oculis obiectas, ut ratione
Sub duce contendant melius, medijsq; reponant
Omnia perspicuis ac certis. Ordia motus,
Effectusq; suo in subiecto cernere deinceps;
Et quæ principia hæc comitantur plurima, posthac
Momentis adaperta suis per singula claro
Ingenio venient, ubi sint primum ista reperta.
Deinc multam ad praxim studiosæ ea pluria curæ,
Namq; opportunis mihi tantum insistere mens est,
Quando polliceor plureis exinde futuros
Celso qui reliqua ingenio deducere possint

STat ergo unum spacium æthereum, & imago multiplicis motus eorum quæ circumstant, nobis motius cum nostro quem incolimus mundo. Hinc Sphæra illa vulgaris nihil est præter mathematicæ phãtasiæ techna. Vt verò naturæ principijs ordinibusq; compertis ad nouam Theoriã procedendũ per se solertissima ingenia melius in posterum desinire poterunt.

CAPVT XIII.

De ordine mundorum in uniuerso, & consistentia in æthereo cāpo II. Quod uariis agantur motibus ad vitam III. Quod plures sint planetæ quam quot apparent.



Rgo ubi concepi spacium sine fine profundum
Inde una perseuerans specie atq; colore:
Continuum minimè dubitem cōprendere quiddam
Quod semper parteis integrent consimilares.
Atq; ita distinguunt propria interualla planetas
Orbi vicinos nostro similesq; figura
Luminis & specie, ac motu, velut insinuabo
Consortes isti mundos, spaciumq; tenentes
Aereum, veluti Tellus medio aere perstat.
Sic neq; distabunt radijs medio omnia ab isto
Quæ circum exagitata putat pulsu unius orbis
Insanum vulgus, sed cælo continuante
Vno, distinctis paßim sunt interuallis
Vt Luna, ut Tellus, ut Mauors, ut Basiliscus,
Et gyris quæcumq; geri spectamus iniquis.
Concita quæ non sunt alio pellente sed ipse
Ipsorum Genius, pulsusq; atq; impetus urget
Vitæ pro modulo captantia munera solis.
¶ Multipliciq; opus est ut agantur singula motu
Totum si debent vitali munere corpus
Regere; namq; calor genitalis, diaq; lux non
Est potis ut gyret circum per singula lustrans,

Sed

Sed benè consistens medius se millibus unus
Communem parili efficienter præbeat actu,
Cum propriæ circa molis medium exagitentur,
Motibus atq; aliis varient gyramina, quo sint
Aptis pro uicibus per singula quæq; nouata
Integri membra; ut generatio, vitaq; cunctis
Obtingat. Constent igitur media atria solis
Quem circum non duntaxat septena planetæ
Discurrat soboles, verum quoq; turba latentum:
Quæ quia non propria se obiectant luce necesse est
Vt certa è regione sient opposta, ut imago
E'speculo ad visum non undiq; fertur eundem
Præsertim lucis. Quoniam mare corpore toto
Percussum Lunæ radiis solisue, refulget
Spectanti aduersa tantum de parte; ideoq;
Corpora quæ splendent nobis errantia semper
Sunt certa in regione poli, & certo ordine gyrum
Complent, ac toto numero spectantur ad Austrum.
Proin sunt quæ obliquant cursus in partibus iisce
Ac raro ignotisq; apparent legibus, hæc sunt
(Quos vulgus putat esse ignis tormenta) cometæ
Qui caudam opposita semper de parte reportant
A'solis vultu, ne conflagrantia credas
Corpora, sed lymphas vitreoq; nitentia tergo
Non minus ac Tellus, & Luna, & Iuppiter, & Mars
Sed quoniam obliquus motus posituraq; passim
Coram isthæc nostros adducit peruia sensus,
Angulus à nostri visus & cuspide solis
Comprensus non consistens in corpore viso est,
At verò specie concepta defluit ultra

Atq; ut proiectu, lucis diffunditur umbra.
Apprimè id speculi posses comprendere plano,
Quod speciem obiecta referet de luce cometæ
Si obliquè formam obuerso de tergore captet,
Quippe planetam etiam interdum uidi esse comatū,
Fixaq; in stella caudam vidit Stagyrites.
Hac etiam ratione iterum coma longior exit
Interdum stellis raro occursantibus illo
Tempore quo lux est ferè extenuata per omne,
Vt noscas non esse ignem qui extinguitur; atqui
Corpore subiecto plus se obliquante uideri
Desinit hæc species sensim, ulteriusq; relabens
Extenuata coma est, tandem occcultatur & extra
Fines discurrit certos, versusue reiectat
Conceptos aliò radios. Sunt pleraq; deinde
Corpora finitimi hoc gaudentia lumine solis
Quæ minus haud possis quā nostrum dicere mūdos;
Et medio conlata deo sunt numina paruo
Corpore, & accepta tantum splendentia luce
Omnia Telluri magis ac minus esse propinqua
Vsq; adeo & uaria pro tempestate remota;
Sic propria exagitata via speciesq; cometæ est
Vt si sint orbes errantum non temerandi
Quos numquam penetrent peregrina peruia mole,
Tunc vel consimiles habeant ea per loca uecti
Vel tantum uisa percurrant mole cometæ,
O'dij quam rapido ruitant torrente mouentes
Multaq; magnifico cytharizans orbita gyro,
Et centrum cui sint obstricta hæc omnia Tellus.
Tunc alia circum solem serie omne mouetur

Tunc

Tunc proprij merito sensus, mentisq; meabunt
Per campum Stellæ æthereum quæcumq; cientur,
Tunc ipso agnosces soles splendore manentes
In medio & synodos multorum currere circum
Qui maris undantis specie ad loca proxima fulgent.
Tunc ubi uidisti solem hunc circumire planetas
Non cupies frustra reliquos circumire videre,
Nam neq; tu potis es radios intendere visus
Vsq; adeo, & minimè possunt ea corpora lucem
Ad nos usq; dare triplici ratione remissam.
Nam lux non propria est, parua de mole, remota.

CONuenit ut astrorum singula pluribus agitentur motibus ut Tellus; eorum tamen nobis non alij possunt neq; debent esse sensibiles, quàm eius speciei cuius Telluris motus illis sensibiles esse possunt: Diurnus enim (præterquam ab orbe lunari) Telluris motus non potest apprehendi; unde partium eius distinctio nulla est. multo minus ille qui variat cētrū & loca interius, & polos & puncta solstitialia atque æquinoctialia exterius. Argumentamur tamen tanquā ex necessarijs eosdem vel proportionales motus debere in omnibus astris esse; quorum substantia non secus est composita & transmutabilis, neq; per æternum partes in eodem tenore & virtute possunt perseuerare; cum motus in omnibus, in omnia, & ad omnia & omnium dominetur. Renouationem ergo ita opus est esse in alijs ut & in Tellure, & ex diuersis affectibus diueris oriuntur appetitus, hinc varij appulsus, hinc non ijdem secundum virtutem motus.

Præter eos autem qui videntur Planetas alios perplures esse oportet, quales interdum nō solum comati

ſed etiam ſine coma ſolent apparere ab alijs nihilominus diſsimiles; qualiter fuit veluti deorum concilium quoddam coactum, quod celebre refert Nicephorus ſexto anno imperij Gratiani, qui eſt annus Chriſtianorum trecenteſimus nonageſimuus tertius, ubi media nocte prope Luciferum ſtella refulſit ingens & radioſa paulo minor ipſo Lucifero, circa quam paullalatim ingens etiam aliarum ſtellarum vis aggregabatur, ac ſi apum examen circa ducem ſuum obuolueretur. Et ut multitudinem exemplorum prætermittam; quæ fingent Peripatetici miracula de ſidere illo (quod nouum dicunt mathematici) quod anno Chriſtianorum MDLXXII à Nouembri per integrum annum & aliquot menſes viſum eſt, an illi nouam oportet committere ſphæram qua deferatur: ſi ſtellæ extra fixas appellatas proprium habenti motum, orbis, immo & plures (quibus mundi cōcentricus fiat circulus tandē) debentur orbes. Illa mathematici omnes quamuis in naturali philoſophia prorſus imperiti, quamuis (ut uno verbo dicam) Peripatetici; ipſa veritate coacti aiunt excellentioris eſſe conditionis quam ut ſublunares poſsint haberi impreſsiones: quin potius metaphyſica & admiranda illis (nēpe peripatetice religioſis) ſunt portenta.

Ex hiſce alijsque viſis motus eſt Heliſeus medicus Germanus ad ordinandam nouam cometarum ſphæram; ex quo minimè omnino infælix hominis iudicium comperi, neque in obſcurorum authorum cathalogo recenſendum video. Ad id proximè ſollicitatus per cometam qui apparuit anno Chriſtianorum MDLXXVII. pro eo ſtatuit phænomena per circulos & polos, axesq; nouos, cētra, orbes, parallaxesq; certos definire. Ratus ſublimius de illo ſimilibusq; alijs ſentiendū quàm rationibus ab exhalationū materia deſumptis; cùm hoc tamen non eſt auſus Ariſtotelicā arguere philoſophiam: ſed uninerſum ad ſupernaturalem cauſſam

ſam

ſam refert. circumſtantię quibus illã annotauit ſunt huiuſmodi. Ortus eius fuit quibuſdam circa nonam Nouembris diem, quo tempote alijs primum circa nouilunium conſpectus fuit in ipſo ſolſtitij hiemalis, in ipſa eclyptica, puncto. Alijs verò primo apparuit Octobris menſe cuius ortus fuit in vigeſimo Capricorni gradu prope eclypticam; unde uſq; ad Galaxiam colurumq; ſolſtitionum retrogradus exſtitit, in quibus aiunt à principio Nouembris uſq; ad dictum nouilunium ſtationarius vel motu in latitudinem tardiſsimus aſſeritur; à nona vero eiuſdem menſis die in conſequentes ſignorum gradus directum verſus æquinoctialem ſcilicet. Quartadecima igitur die Saturnum poſt ſe relinquens ulterius verſus Antinoum progrediebatur, ferebaturq; ſub Aquila ita ut cùm fines Capricorni egrederetur à maxima ſolis declinatione quæ eſt graduum trium & viginti cum dimidio, peruenit in ęquinoctialem circulum quem pertranſiuit etiam circa vigeſimam primam Nouembris diem: Emenſus ſic in longitudinem triginta gradus à principio; Capricorni nempe ab ortus loco; vel â quo directus eſſe cœpit; latitudine verò ab eclyptica diſtabat tunc per viginti gradus. Exortus igitur ac ab initio progreſſus cometa in recta linea ab occaſu hyberno verſus ortum æſtiuum poſt medium Capricornũ nonnihil ab ea declinare cœpit ſuperius, ac ſi curſum verſus Caſsiopeiam direxiſſet. Tunc deinceps verò decliuius mouebatur donec redierit iterum in lineam verſus ſolſtitium æſtiuale: quare mox ſupra æquinoctialem ſub delphino ferebatur ad nares equi minoris quo peruenit ſecunda decembris die: inde adhuc decliuius parum cum manifeſto decremento verſus Pegaſi pectus mouebatur; in rictu Pegaſi tardius quàm ante in Capricorni ſigno. Excedens igitur Aquarium in principio piſcium poſitus, tardiſsimo inde motu progreſſus ad crura Pegaſi in duodecimo gradu piſcium ul

timo

timo cõſpectus fuit ab Helyſeo. Cornelio verò Gẽmæ progreſſus illius extenſus ad medietatẽ piſciũ uſq;, qui diſparuiſſe affirmat poſt medium Ianuarij, ita ut decima octaua Ianuarij illius tenue veſtigium effulxerit ad gemellas ſtellas inpectore Pegaſi. Sic ſpacio tredecim dierum integrum Capricorni ſignum emenſus, duplum inſumebat in Aquario, nempe dies ſex & viginti, duplum in piſcibus, nempe duos & quinquaginta dies. Procedit deinde Helyſeus ad oſtendendum motum proportionalem dicti cometæ, & cauſam motus ipſius. Quinetiam notat hunc cometam eodem ipſo in loco exortum ubi Gemma deprehendit ſtellam anni Chriſtianorum M D LXXII. Idemq; comprehenſus eſt motũ ſuum ad locum ubi ſteterat ſtella in Caſsiopeia produxiſſe, ubi dubitat num hic cometa ſit eadem illa ſtella quæ per aliquam inclinationem, vel aliam habitudinem nunc eam comam oſtendat quam non oſtenderat prius, ait cometam ab initio motus fuiſſe velocißimum, in medio remißiorem, ſub fine tardißimũ. Sed hoc nouimus quod licet æqualiter ſemper moueatur, differentia tamen velocitatis & tarditatis apparet ex eo quod obliquè ſeu arcualiter ad aſpectum noſtrum arcum deſcenſus deſcripſit; arcum verò aſcenſus partim minus obliquè partim rectius, inde tum ſtare tum imminui videbatur ut ſpecularis illa facies ſenſim magis atq; magis à ſolis radijs & noſtri viſus linea angulum in aſtri illius aquei ſuperficie cauſatũ atterebat, ut facile in ſpeculo ad lucem obliquato poſſumus inſpicere. ſpeculo quippe radios ad angulum rectum ſuſcipiente nulla fit in imagine cauda, quod ut plus plusq; inflectitur tum caudam longius eiaculatur, tum imaginem magis magisq; extenuat: unde non mirum eſt nobis quod incẽdiarijs iſtis qui contrahunt frontem cùm videant comã vel caudam longiorem & interdum latiorem, & interdum cum longitudine tenuitatem cometa pene extin-
cto,

cto cum tamen accensis hæc omnia pariter decrescăt; proinde in cometis ut plurimũ cauda candens (id est eorum flāma) sensibiliter remanet plus quā corporis igniti substantia. Sed ad illum cometam redeo: quia ultra differentiam motus diurni, proprium motum ab occasu in ortum referebat similem planetarum motui nisi quod ab eclyptica ulterius ad Septentrionem versus Cassopeiam fuerit progressus, iudicandum est eum motum non esse raptu vel aliûs astri orbem consequens sed proprium. Motum eius prorsus diuersum ab aliorum hactenus obseruatorum cometarum motibus testatur Helyseus, quia omnino regularis constans & proportionalis exstitit: unde necesse sit ut super proprio polo atq; centro motus fuerit, & circuli aliquem regularē descripserit arcum, propterea q; & omnia ordinauit in tabulas more quo de alijs planetis faciunt mathematici.
¶ Cornelius Gemma ultra duos dictos motus notat in eo tertium qui est sursum & deorsum quia inæqualé eiusdem ad terram distantiam deprehendit & parallaxim eiusdem diminui. Vnde Helyseus motus est ad tribuendum eccentrico illi circulo epicyclum, ex quo inæqualitatem diuersitatemq; motus eius saluare possit: & hos astronomos ad eam rerum difficultatem adigit quod horum omnium motum ad circumferentiā Telluris regulam concipere volunt; cum tamen omnes planetæ visibiles & inuisibiles qui nobis sunt conspicui frequentius, quoad possunt omnem normam & regularitatem seruent circa solem. Dato igitur illi epiciclo iudicat eundem ab initio in Austrino limite retrogradũ fuisse in suprema epicycli sui parte vel hoc argumē to quod ab initio multo minor fuerit conspectus, quo nomine etiam à paucis animaduersus; quia magis vergebat ad meridiem, & ob distantiam eius à terra minor erat, sic in apogeo epicycli constitutus retrogradus fuit usq; quo ad longitudinem mediam peruenisset in qua
statio-

ſtatione per aliquot dies agens,directus tandem factus velociſsimus fuit, quãdoquidem motus epicycli & eccentrici in unum conſpirabant Maior inde quotidie cõſpiciebatur quod propius accederet ad terram, tunc etiam eadem de cauſa velocior apparebát. Inde conſtitutus in perigeo ſui epicycli in Boreo limite terræ proximus fuit habẽs maximam parallaxim quadraginta minutorum ut notat Cornelius Gemma. Ob hanc etiam cauſſam iudicat Helyſeus illum etiam tunc temporis maximum conſpectum fuiſſe & longiſsimum etiam ſi rarior multum quàm ab initio fuerit, quod multum iam de ſubſtantia eius luminis deceſsiſſe videretur. Inde ut decreſcere in lumine & motu manifeſte deprendebatur, ita quotidie etiam minuebatur parallaxis eius: quare iudicandus ab imo ſui epicycli iterum aſcendiſſe uſq; dum ad alteram longitudinem mediam perueniret. In qua ut planetæ etiam ſolent alteram ſtationem agens per aliquot dies, omnino fuit extinctus, antequam iterum retrogradus fieret. Hoc eſt extinctionis cauſa, ſpecularis illa auerſio qua non amplius angulum in corpore illius oculi noſtri viſualis linea cum ſolis radio faciebat & ad regionem æthereã huic impreſſioni continuę incongruam deuenerit.

¶ Colligitur ergò cometã illum, aſtrum eſſe. Tum primo ex motus æqualitate ab initio uſq; in finem ſicut in planetis reliquis ſecũdũ geometricam proportionem duplam ſexqui alteram, & ſequitertiam; cuius demonſtrationem ab illo adductã prætereo. Phyſici verò vapores exhalationesq; accenſæ incertè vagantur & exagitantur. Tum ſecundò non enim poſſunt dicere ad orbis alicuius motum hunc cometã raptum. Motus quippe illius nulli motui eſt ſecundum numerum conformis, ſed ſecundum ſpeciem motui omnium planetarũ. & cometa iſte ſuper polo ſuo eſt cõſtãter & regulariter progreſſus, ab illo longius in declinationem non receſſit quãm

ſit quàm planetæ à polo Zodiaci ſolent. & huic ſimilis fuit cometa Anni Chriſtianorum M D L V I. Tum tertiò ex materia, de qua mirum eſſet quomodo ita æqualiter potuerit eſſe diſpoſita ut eandem proportionem flamma prorependo ſeruauerit perpetuò, & iter ſuum ad locum ſtellæ nouæ direxerit. Tum quartò à qualitate quia quòd ex alia quàm elementari materia fuerit totius illius corporis diſpoſitio cum luminis proprietate demonſtrare videtur. illius enim cometæ totum corpus purum argenteaq; claritate radians non veluti de craſſa impuraque ſubnigraque ruffaque carbonum materia: quinimo inſtar unius maioris ſtellæ neq; baſim magnã vel corpus ut reliqui cometæ habuit & ex cauda ſcintillas emittere videbatur: & poſt medium ſuæ durationis tempus puritate luminis & raritate ſubſtantiæ ad galaxiæ ſpeciem proximius accedebat: defectusque luminis illi accidit non ex denſitate materiæq; impuritate ut omnium uiſus iudicare potuit, ſed ex ſubſtantiæ raritate, quandoquidẽ ſicut galaxiã propter raritatẽ ſubſtantiæ non niſi in profundã noctẽ conſpicimus, ita huic cometæ poſterius accidit, ut duorum luminariũ abſceſſum debuerimus expectare ut viſibilis fieret. Tũ quintò ex temporis diuturnitate, quia elemẽtaris cometa in ea qua apparebat corporis raritate citiſsimè abſumpt⁹ fuiſſet. Sexto ab æqualitate decrementi. Septimò à motus perfectione, ſuper perfectionẽ motus lunæ & cum perfectione motus Veneris & Mercurij cõparabili, cũ quorum etiam motibus analogiam habebat. Quemadmodum enim Mercurius in annuo ſpacio quatuor Zodiaci quadrantes perficiens quater etiã ferè eſt retrogradus; quater velox & directus; octies ſtationarius: ſic iſte cometa exactè unum circuli ſui quadrantem perficiens in unius anni quadrante ſemel fuit retrogradus ſemel directus & velox, bis verò ſtationarius in longitudinibus epicycli medijs, ut hoc nomine cõſtet in Mercurij ſphæra rectè obſeruatum fuiſſe & collocatum.

¶ Ex ijs ego interim colligo circa solem versus nostrũ mundum ut & versus alios mundos ista fieri:& consequenter regio illa non differt ab ista. Vnus idemq; est æther ambiens omnia unde non vehantur, pellantur, rapiantur, sed à propria moueatur anima:non enim hisce visis & corã sensib, importunissimè obiectis stare potest illa puritas orbium uni astro destinatorum, impermeabilium; ubi enim orbes istos & mundana in specie, nihilominus adsurgẽtia astra eiusmodi inseremus? unde tot circa & supra Mercurium peregrina eiusdem coloris, substantiæ, & motus species. Stet ergo unum spacium horum & plurium; & qui usq; ad nostrũ sensum deuenire nõ potest:maneat in adhuc Peripateticantis pro viribus Gemmę finibus. Statuat inquam minimum spacij esse quod aeris regioni sit tribuendum, latissimum contra quod cædat unius ætheris elemento idemq; non ignem esse sed lucentem sedem magisq; vi principis formæ concretam & alia multa sine sensu verba, sed non ab ignobili spiritu profusa.

CAPVT XIV.

Distinctio aeris, & ætheris. In æthere non est ignis sed maxima solis potentia, quæ non habet actum sine præsente humido corpore.



Roinde mihi gemino uenit aer significato.
Nam quo ut respirat Tellus, pars illius estq;
Corporis, atq; agitant queruloso flamine uenti
Estq; uaporosum nubes nebulasq; reponens,
Materia est quiddam concretum humẽte, nec ipsum
Est per se simplex sed mixtum affinibus undis

Non

Non absq; arentis naturæ balamine tenui.
Hic nostrã facit ad uitã, hoc spiramus & extra hũc
Non plus uiuemus quam uulsi extra æquora pisces.
Quin uariis etiam caußis super atria uenti,
Et nubis non est spes qua uiuamus ad horam:
Nam non est nostros ibi uis quæ temperet artus,
Corpora quæ spacio degunt uiuentia in illo
Vt Tellus, sol, atq; ignes undæq; minores,
Numina quæ vitæ in se ipsis alimenta requirunt,
Efficiunt ne fors facile extra se effluat hilum
Aut forsan nullo effluxu influxuq; fatiscunt
Sed tantum refouent igneisq; undæq; vicißim
Frigoris excußis spiclis, radijsq; caloris.
Sic Tellus recipit vitalia solis ab orbe
Semina, & ob motum radiorum temperat æstus.
Quæcumq; ergo meant animantia inane per illud
Nomine quod proprio, atq; antiquo dicitur æther,
Vadunt non ulli obuincta, atq; obstamine nullo.
Sed tantum interno appulsu quocumq; feruntur,
Vtq; operæ est illis precium, vitæq; perenni.
Sicut non extra quodam pellente mouentur
Lingua & palpebræ, & crura, & os, brachiaq; & q̃
Pluria sunt nobis, animæ sed simplice voto.
At quæ sphærai constant de partibus atq;
Alterius vita ac motu constricta, laborant
Si quando per se intendant alio ordine ferri.
Quæritur ergo instrumenti uiolentia & artis
Quo concreta auras peruadat massa, vel undas
Pro arbitrio pellens se immittat, seq; receptet,
Inuertatq;, suiq; agitet se ex ordine voti.

Vorticibus quare occultis refluente vapore
Haud aliter quam undæ virtus concretior obſtat
Libera ne valeant pervadere pulſa per altum.
Nec non concreto conſtantes pondere parteis
Conſimilare petunt, cum conſimilare quieſcunt,
Cumq; hoc libenter diſcurrunt concita ſemper.
At ſi Terrai auulſa è regione poteſſent
Poſto pro arbitrio conſiſtère corpora ſurſum,
Hæc ſolis fierent radijs confoſſa, repente, &
In puluim reſoluta ſuum ſublata venirent;
Quos contra ingentes artus, quæ & portat in illis
Cuncta, parens Tellus celeri vertigine ſeruat,
Ac variè ad vitæ hos recipit momenta, ſuoq;
Humenti occurrens fœcundat frigore pollens.

AEr & æther pro eodem ſignificato capiuntur interdum, idq; improprius fit: ſicut inane & aerem infinitum dicebant idem: ſubſtantiam verò humidam qua reſpirando alimus quæque eſt pars telluris, inq; hoc ſpacio mouetur vaporem appellabant: illud enim quod per ſpacium hoc mouetur non eſt aer antiquis: ſed Peripateticis (velint nolint) in idem venit ſignificatum atq; vapor; quid enim aliud illis eſt quam aqua inuiſibilis, & rarefacta, & qui inſpiſſatus aqua ſenſibilis eſt. Spacium verò & locus in quo hic vapor eſt & mouetur quis aerem ſub eadem ſignificatione dicet? Spacium ſane nullum eſt corpus ſed corporis receptaculum per ſe non differens ab eo ſpacio quod eſt extra tellurem niſi quod accidit ipſi eſſe repletum vapore, nubibus, & materia ventorum, & ſimilium.

¶ Proprie ergo loquendo & diſtinctius aerem dicimus ſubſtantiam ſpiritualem, ſeu corporis ſubtilis humidam

midam; unde & aer dicitur hoc ſpacium cum tali ſubſtantia. Aether verò idem eſt quod cælum, inane, ſpaciū abſolutum, qui inſitus eſt corporibus & qui omnia corpora circumplectitur infinitus. Qui maiori ex parte ardet, præter ipſum enim qui inſitus eſt corporibus, & ipſum qui umbra corporum huiuſmodi attingitur, ſolarium corporum paſsim in campo uniuerſi diſpoſitorū lumine & calore pollentiſsimum eſt, non quidem quia actu urat vel illuminet (quia ſine materia ſubiecta humida & terrea nullus eſt eiuſmodi potentiæ actus) ſed quia poſitum ſubiectū in quacumq; huiuſmodi regione potentiſsimè ſic haud quidem ætheris ſed ſolis (igniti inquā aſtri) propinqua præſentiq; virtute patitur. Aether enim nullius qualitatis, virtutis, vel operationis, vel paſsionis eſſe poteſt ſubiectum; & ſic cælum dicimus vere inalterabile impaſsibile ingenerabile incorruptile immobile; quia in eo debent moueri, & currere aſtra. Hoc totum de ſpacio & vacuo dicimus: hoc eſt cælum & regia deorum (id eſt aſtrorum) ab initio philoſophantibus & vulgo cognita, hæc æther dicebatur quod arderet non quia ignis eſſet vel ſubſtantia aliqua alterans vel alterabilis ſed quia talis eſſet locus in quo omnia ardent: & currit conſuetudo ut ſalubrem dicamus habitationem & frigidam quia ibi frigus vigeat; ſic ignem dicunt extra aſtra æthera & ſpacium, quia extra telluris umbram quidquid eſt illic expoſitum potentiſſimè uritur: ubi cælum per ſe nil corrupat, nil generet, nil alteret ſed locus tantum eſt qui (ut diximus) cum telluris umbra vel in inſtanti ſuccedente temperatiſsimus fit ſpirituum animalium nempe aereorum locus, quorū Luciferi appellantur ij qui ſunt in porta Orientis, lucifugi verò qui in porta (id eſt, in aditu umbæ) Occidētis, Meridiani qui ſunt circa altum, Nocturni qui circa imū noſtri cæli. Aetherea corpora dicuntur aſtra ardentia ut ſoles; dicuntur item aſtra non ardentia ſicut tellures q[uæ]

sunt & ipsa in æthere non inquá quod ardeant, sed quia ubi ardor est consistant. Astra item dicuntur æthera quod currant. Spacium dicitur æther quia decurritur. To sunt cæli quot astra, si cælum intelligamus contiguũ & circumstans configuratum unius cuiusq; spacium ut cælum Telluris dicitur non solum spacium in quo est, sed & quantum spacij perambit ipsum distinctum à spacio perambiente Lunam & alia (quæ circa sunt) corpora mundana. Cælum cæli est spacium unius synodi sicut in quo hic sol est cũ suis planetis. Cælum cælorum & maximum & immensum spacium; quod & æther dicitur quia totũ est percurribile, & quia in toto maxime flagrant omnia; tellus etenim quamuis habeat suas qualitates proprias in flagrantissima tamen regione est quæ sibi contemperatissima aptissimaq; efficacia proprij motus efficitur. Sedes ergo beatorum sunt astra: sedes deorum est æther seu cælum: astra quippe Deos secunda ratione dico. Sedes vero Dei est uniuersum ubiq; totum immensum cælum, vacuum spacium cuius est plenitudo; pater lucis comprehendentis tenebras, ineffabilis.

CAPVT XV.

Rursum de principio motus quo per æthera mouentur astra & alia id genus animalia.



Tellure illic peregrino lata recessu
Aio si possent consistere corpora viua
Non plus terreno ad terram raperentur ab orbe
Quam sanguen rapiat proprio de corpore vulsum
Spiritus, in proprio qui sanguen corpore tanta
Vndiq; vi circumtorquet, pellitq;, trahitq;.

At qui

At qui plus facili pro voto adpelleret illuc
Quo lubet absq; alarum, pinnarumq; pedumq;
Partibus organicis, quia sic se tota moueret
Machina ceu alas, pinnasq;, pedesq;, oculosq;
Organicis nullis motamus partibus, & sic
Consilio tantum occulto se se ipsa mouere
Moles tota potest, quam non sors obligat ulla
Depellens raptansq; aliquo. quia ius animai ad-
Pellentis, mediiq; omni adstantisq; fauore
Indupedita iacet duplici quem diximus actu,
Corporis haud proprii iuris, mediiq; repleti
Vortice vitalis cæco spiraminis huius.
Nam forma à quadam, non autem à corpore raptus
Corporis ad terram concreti & ab aere sors non
Est adeo aduersa ut subiecto à compare toto
Cui debet partes. Quapropter ab aere multis
In cluso variisq; modis, ac sollicitato
Alarum pulsu assequitur gyrante fauorem,
Cui minus haud debet compostum, fortè magisq;
Cui etiam rapido ruitanti vortice in imum
Subiectum, pellens contrà, innixusq; rebellat.
Crurum ergo officio, alarum, tensisq; lacertis
Vt vario vectis genere, atq; volumine circi
Est operæ iis quæ vi debent adpellere rebus
Corpore quæ distant ab egeno concupientis.
Prouida quapropter plantis natura negauit
Brachia, et officiũ manuũ ac pedis: omnia nãq; hæc
Frustra essent illis quibus est satis humida Tellus
Vitales cuius haustus radicibus intus
Infixis, vario exporrectisq; ordine deorsum

Exſurgunt, imus quæ ſtips ingurgitet, atq;
Egerat in robur plectentis corticis, inq;
Semina quæ frundes ſeruant, & aer, & acer
Solis maturat radius. Non tanta requirit
Organa cui ſalſa ſcopulum eſt ſatis oſtrea lympha
Conſperſum, & ſcutum refouens à dente voraci.
Pluribus ut ſpecies quæcumq; eſt indiga, vel non
Tot tantiſq; ſua vegetant pro ſorte. nec ergo
Quà raptent quicquam manibus donantur obũcis,
Aut pedibus queis peruadant ſublimia latis,
Aut alis quibus inſiſtant cædentibus auris:
Nam neq; ab externis, niſi frigoris atq; caloris,
Effluxus capiunt, neq; duplex tibia cælum
Circinat, & non eſt regio ulla ad quam referantur
Vt membra, ac parteis, vel ſubſtentamina Mundi,
Sed tantum immenſum reſpectant aera circum
Vndiq; ſeu mauis, ſine fine hos ſuſtinet aer,
Nec differt ſurſum circumquaq; atq; deorſum.
Propterea externo nuſquam exigitante cientur;
Sed tantum propriæ pro conſeruamine vitæ
Interno fiunt pulſu permota patente
Ad parteis quaſcumq; via. Sed tanta poteſtas
Finitur ſancto certæ moderamine legis.
Vt ſoli magis affinis mage concita Tellus
Diſcurrat proprioq; ſiet diſcrimine conſtans;
Nec veniat quo fors peregrinum impingat in aſtrũ
Sed ſatis contenta ſuis ſic temperet æſtus,
Vt tum ſe inuertat, tum toto circuat orbe.
Sic aliјs propria pro conditione remotis
Amplius, haud adeo celeri vertigine opus ſit

Tantundem ut capiant de lucis fonte caloris.
Sic propria eſt cunctis motus finita poteſtas
Ne ſe à principio vitæ deducere poßint
Ne ſe ſe immittant alienis forſitan oris.
Solſequium non ſe pedibus ad munera ſolis
Obuertit, nec ſe magnes per inane volando
Verſum quaſcunq; parteis adiungit amico,
Sed corpus totum, totusq; huc ſe impetus actat
Totum naturæ per campum irrumpere cernes
Omnia ut & mira uirtute obſtantia pellant,
Peruadant, penetrent, & conuenientia poßint
Vitai captare ſuæ, & ſociarier illis,
Fragmina ſint quamuis mãca, & mutilamina rerũ.
Iam quid obeſſe putem quo ſe minus aſtra per amplũ
Aera conuertant & per loca congrua currant,
Cum nihil impediat, ſintq; in prõptu omnia magnis
Rerum principibus? ¶ *Numquid uaſtißima moles*
Ingenium terret volitans ſpectata puſillum?
Forſitan eſſe putas tantum hæc collata per orbem
Aeris immenſum ad complexum, quanta atomorum
Corpora ſunt ſolis radijs monſtrata ſubactum,
Aera quæ non diſcindunt grauitate, ſed omneis
Ad parteis æquè adpellunt: qui a corpora tanta
Aeris ad ſubſtans momentum ſunt nihil? An fors
Partem aliquam immenſi viſu comprenſa putabis
Vndiq; cui ſurſum pariter pariterq; deorſum eſt?
Non ulla grauitate premunt ergo aera mundi,
Namq; graue in propria nihil eſt regione profecto.
Non grauis eſt ceruix collo, neq; cruribus amplum
Quantumuis proprium eſt corpus, ſed certe alienũ.

Nunc cælum locus est totum splendentibu mundis.
Sed quamuis manifesta sient hæc, amplius inde
Ostendam grauis atq; leuis clarando tenebras.

SPhæræ per æthereum regionem ab anima propria mouentur facillimo appulsu tum quia corpus animę obsequentissimum est, tum quia ex parte spacij nullum est resistens, nullum impedimentum. Principium illius motus est sensus, & secundum genus cognitio, & appetitus qui cognitionem secundum genus consequitur: finis est conseruatio sui, Motor est anima in qua mouens & motum idē subiecto est atq; simplex, sicut in primo calido (ut dicimus igne) calefaciens & calidum est idē subiecto & natura unum, ita in ordine eorum quæ mouentur oportet esse primum quod per se motum alia mouet hoc est anima, cui non una motus differentia conuenit ut sursum vel deorsum; vel ad dexteram vel ad sinistram, vel tandem in rectum tantū, vel in circulum, sed quemadmodum omnimode iuxta omnes locales differentias, & lineales, moueri dat corpori ita & in se omnium horum motuum principia habet Motum verò illum sic uniuersalem Sphęricum appello, quia omnes recti & curui differentias omnes itē loci differentias in sphæræ partibus possumus intueri, Sic animalia primum motorem quo serpunt, repunt, volant; mouent nempe spiras, lacertos, pedes, alas, pinnas, non alium agnoscunt præter animam, que agit sursum, deorsum, ante, retro, circum, recta, & millibus alijs nominibus animalia, proximum verò principium, animæ potentiam. Quis stultus ad externum ulterioremq; motorē nos dimittet? Quis dicet hæc membra per se moueri? Quis acquiescet in alio principio vel medio quod est inter animam, & illud quod mouetur? Ipsa cum incorporea substantia sit non minus est tota in

toto

toto & qualibet totius parte,quam vox & verbum totũ est in singulis sensib. eorũ ad quos peruenerit & nõ hac una, illac verò alia syllaba vel vocis pars egreditur. Anima ergo q̃dquid agit,tota agit & in toto pręsens sed pro cuiusq; partis atq; loci captu,& instrumentorum apparatu, mediorum & obiectorum promptitudine atque præsentia: sic omnimode ipsa mobilis non omnimodè ubiq; mota mouet. Sicut idem spiritus non ex omni fistula eundem emittit sonum, neq; ubiq; sonat, neque ubique fluit recta,sed alibi & refluit, alibi verò uno vel alio pacto circuit,alibi circulũ cum recto simul vel cum successione peragit.

Sicut autem in indiuiduo est potentia totius dimensi ut in simplicitate seminis & homogenitate est potentia compositionis & etherogenitatis animalis vel plantæ, sic in simplicitate animæ est potentia actiua omnis actus vitæ, quem nunc pro more motum dicere volumus non secundum unam & singularem sed secundum omnes uniuersaliter differentias,sicut in potentia scriptoris & pictoris non est una linea character vel imago, sed omnis,non secundum temeritatem fortunam & casum,sed secundum conuenientiam naturæ subiectæ definitæ cognitioni atq; appetitui.

¶ Sicut anima per se est principium vitæ animalis,ita est per se primo principiũ motus,sicut ipsa se ipsa viuit ita & se ipsa mouet: At inq̃es est principiũ motus sed nõ mouetur; sicut est principiũ vitæ sed nõ viuit: heic adrẽde ut aliter intelligamus ipsam viuere aliter ipsũ quod p ipsam viuit: aliter ipsam moueri, aliter ipsum quod per ipsam mouetur, viuit ipsa primo secundum omne genus & omnes species,& sentit & cognoscit; quibus sigillatim singula viuere,sentire,& cognoscere facit;omnes motus species in simplicitate & unitate principij actiui habet ipsa, quas in multitudine, distinctione, & compositione quadam habeant organa quæ mouentur

ab ip-

ab ipſa, ſicut unus eſt artifex qui efficientet ſcindit, ſuit, texit, forat, agglutinat, ſecat, dolat: qui diuerſi motus à diuerſis ſecundum rationem multitudinis proueniunt inſtrumentis; in artifice inquam ſunt tanquam indiuiduo principio & unitate, & numero implicato, in alijs tãquam in numero explicato; anima cõtra ſe ipſam mouet efficienter quodammodo, quia quem non imperabat motũ imperat ex noua quadam impreſsione, & apprehenſione, & mouet oculum modo quo oculus debet, palpebram, manum, pedem, linguam, & omnia non abſq; proprio motu nempe abſq; apprehenſione noua, nouoq; affectu cum ſimiltudine quadã & archetypo eius motus quem producit in alio, & quẽ primò excellenti quadam conditione citra inſtrumentalitatem præeſſe oportet in ſe: ſicut artifex diuerſis ſpecie pulſibus, & ictibus, & tractibus qui ſunt in indiuidua quadã ſua virtute quæ media eſt & particeps actionis & paſsionis, plurima plurimis differentijs agit inſtrumenta quorum ſingulis una propria eſt differentia; ita anima prius eſt ſecundum ſe omnibus fœcunda motuum differentijs quam ſingulis organis ſingulas inducat differẽtias, pellũtur enim organa ut palpebræ, lingua, & pes non ſine quodam (quem ſpiritualem volo dicere) tactu; ſpiritũ enim immediate agitat anima, illeq; medius inter animã & corpus, muſculum ſecundum genus contrahẽdo laxandoq; alijsq; occultis ordinibus agitando efficit ut organa motiones proprias concipiant.

Quærat ergo ſuo more Ariſtoteles à Platonicis ſi anima mouetur, aut mouetur ut totum â toto, aut ut totum à parte, aut ut pars â toto, aut ut pars à parte. Reſpõderẽt enim illi animã eſſe ſimplicẽ & totã ibi ubi eſt, & ideò non eſſe totũ & partẽ; propterea q; iſtã quæſtionẽ Ariſtotelicã, eſſe vere extra rẽ, ideſt, Ariſtotelicã.

Quærat deinde Ariſtoteles aut anima mouetur uno motu, aut pluribus, aut omnibus;

Reſpon-

Respondebūt illi uno uniuersali & indescriptibili secundū se quem sphericum appellamus, ratione qua cētrum sphæræ tota sphæra est complicatè & motus totius spheræ explicatus cōplicatè,& simplici quadā forte est in centro ,immo quodammodo immobiliter, sic tamē ut à centro principium sit explicati motus qui est ab ab A in B progressimus, & à B in A regressiuus , qui est à medio directiuus,& est ad medium reflexiuus.Respondebunt inquam , Vno omnes motus complicante, & actiuo magis quam passimo secūdum se, Pluribus secundum plures in quibus est partes,& plura quæ agitat organa;Omnibus ubiq;,id est,in toto distributiuè quatenus mouet in loco,ad locum, cum loco,& locū ipsum corpus. ¶ Rursum urgeat Aristoteles motum omnem esse exitum; animam quapropter motam exire à se .Respondebunt, id esse verum de motu eius cuius partes non sunt unum,quod videlicet ubi habet unam partem non habet aliam,sicut corpus omne & dimensionatum, nō sic centrum indiuiduū ubiq; totum & simplex,quod motu corporis immobile similiter atq; tu profitemur. Habet autem motum quo corpora spiritualiter (id est spiritu medio)attingat,quem non oculis, neq; manibus conijcias & adtrectes , sed rationis lumine si quod est tibi melius comprehendas.Sic ergo astra ab anima tamquam motionis omnis fonte aguntur non minore facilitate quam qua nos nostra membra totumq; corpus agimus:immo summa libertate quia corpus astrorum est liberum per se , & absolutum ab alijs , qualia non sunt corpora animantum & eorum quæ obligantur animæ & uniuersitati mundi huius & illius.Mouentur item per spacium quod nullis alijs est occupatum vel præuētum obicibus, ad omnia recipienda undiq; promptissimū, audissimum, expetentissimum.

CAP.

CAPVT XVI.

Prosequitur idem propositum.



Rgo astro haud opus est quibus ultrò adremiget alis,
Non queis cingatur tensis hinc inde lacertis,
Corpore non exporrecto quo spissa penetret
Obuia, vel proprio contra nitentia motu.
Illi quapropter forma est cognata globosa,
Hanc retinent sibi quæ sunt sufficientia cunq;,
Vel prius externum quam promoueantur ad actum
Quantum posse datur formã hanc seruare videmus
Semina, & hæc quæ matricis condantur in aluo.
Non prius oualem fiunt sortita figuram,
Nec sine cogente in chelas laterumq; resurgunt
Momentum caussa, quia constans partibus omne
Quantum posse datur seruari concupit unum, &
Non pote simpliciter fieri unum, unirier optat
Partibus ex multis quo sit plus plusq; propinquum
Quidq; sibi, utq; magis consistens polleat in se.
Brachia parca sui, haud maiori fœnore mittit
Quã sit opus natura sagax, quãtó ergo necessum est
Abiunctim parteis à partibus orbe recedunt.
Libera quapropter substantia corporis in se
Iura sui amplectens pariter quæ intendit in omne
Vndiq; quã admotam pariter spaciũ excipit omne,
Non est cur careat mage conueniente figura.
Hanc non exerti montes, uallesq; profundæ
Sustollunt; siquidem non est hæc extima terræ

Vera superficies quæ hominũ est generi atq; ferarũ
Concessa; ut uelut Empedocles, Timeus, & ipse
Cecropius, Plato confirmant sic nos sumus altis
(Extima Telluris qui habitant sedesq; quietas
Terrai cum umbra lati sub nocte serena)
Concreta in regione globi crassi aeris, ut sunt
Squamigerum nobis genus, & pars incola ponti:
Portio Telluris solida est spirabilis aer.
Quidq; id est tantũ hoc certo affirmabimus, ut pars
Cœli nubigena, & uentis fremebunda proteruis
Cesserit in partem Telluris ut aere tanto
Circum etiam suffulcta siet quoq; pro interiore
Conditione leuis, multumq; per aera in ipso
Congeneo suspensa loco, nec hiatibus hisce
Duntaxat constare globum credamus oportet,
Vndiq; sed magnis Tellus recauata cauernis
Inq; uoraginibus serpentes concipit auras,
Totaq; per totum est rimis penetrabilis, atq;
Exilibus supensa viis porosaq; cuncta
Quamuis concreto coalescant pondere mittit.
(Nam solidum nil est præterquam corpora prima
Sensibus à nostris distantia, dico atomorum)
¶ Excusant cum se adtollunt uersum æthera mõtes
Hos nihil ad magnam Telluris ducere molem
Plusquam & exigui repolito in corpore sulci
In porri passim asperitas tuberesq; figuram
Non hilo uariant pumicoso è corpore sphæram
Confabricat quisquam, cuius licet ardua vallis
Et tumidi adsurgant sublimi corpore montes
Hi satis ad sensum formicæ ascendere possunt

Quod

Quod tamen integro vix eſſe notabile quicquam
Comperias. At nos montes inducimus orbi
Telluris facieḿq; externam nec maris æquor
Dicimus aut quicquam quo ſe ſuper erigit infra
Nimbigenas auras, animûm callesq; ſupernos.
¶ *Sol prius Eois oritur, ſcandensq; receſſus*
Verſus ad Oceanum uenies conquirit ab altis
Montibus in planum radios deducit, & umbræ
Se contra adtollunt ſurſum á radicibus imis
Frigida nigrantis ſubeundo cubilia noctis:
Quod niſi connexo ſubſtaret machina gibo
Inſimul Heſperios radiis pulſaret & Indos
Exoriens, Indis caderet ſimul Heſperiisq;:
Sed ratio hac planam faciet non eſſe figuram
Non tamen eſſe globum perfecte colligit umquam,
Aut aliam præter quas comprendere uetuſti.

TAlis qualis eſt illa ſimilitudo ſeu proportio quā diximus ita faciliter in ætherea regione conſiſtere mouerique aſtra, quemadmodum in aere qui penes nos eſt atomos conſtare pondereq; nullo quaqua verſum peruagari. Inter atomos quippe & aerem iſtum finitum qui eſt inter membra telluris cōputatus, eſt proportio finita qua magnitudo refertur ad magnitudinem, & grauitas (ſi ita placet) ad grauitatem. Inter Tellurem verò, quodcunq; aſtrum, aſtrorumq; ſynodos ex una parte, & immenſum ex alia parte ſpaciū nulla eſt proportio: quinimo in hoc aere fluctuatio vaporum & impulſus ſpirituum cogit corpora in eo ſuſpenſa nūc plus ad unam, nunc verò plus ad aliam partem: ætherea verò regio nuſquam plus impellit atq; minus, ſed ratio-

nem

nem motus totã & integram facit in appulſu eius quod recipit corporis conſiſtere. hoc eſt in cauſa ut aſtris nõ ſit opus illis organis ſeu membris quibus neceſſariò utũtur ea quibus mediũ obſiſtit vel minus cõſentit, vel quorũ corpus alio motu agitari debet quã ſibi à prædominãte natura indicitur,atq; medio,qualia ſunt ea quę ſunt aſtri partes & quorum ſubſtantia eſt ex aſtro, & quorum anima viget virtute animæ aſtri, & coguntur à prædominante ſpiritu & vita aſtri. Non ſic dij ſunt in cælo; ideo & figuram,quantum poſsibile eſt ſphæricam ſortita ſunt aſtra ſecundum totum,dum interim partes ſicut in cæteris animalibus aliæ tolluntur altius, aliæ ſuppreſsius iacent,inq;adeo mirabilis architecturæ ſpeciem ſunt contextæ. ¶ Manifeſtamus pluries cauſam qua remaneat unioni magis agnata figura qua unũquodq; ſuis ſibi partibus magis eſt proximum ſi in globi ſortem coeant, quam tum ſimplicia tum compoſita omnia pro viribus affectant, perſequuntur, retinent. Nosq; ſi ad uniuerſum Telluris globum reſpiciamus, qui aerem nubigenum inter proprias partes adnumerar, ſciemus nos non ſuperficiem, ſed interiora mundi huius incolere : ſiq; illic eſſemus verius globoſam machinam (minimè tamen ad Geometricam normam) agnoſceremus.

CAPVT XVII.

Neq; ex umbra neq; ex figura quam eminus poſitum corpus obiectat oculis, argumentum eſſe ſufficiens ad rotunditatem Telluris conuincendam.



Ec quod distanti uideo è regione rotundum
Talemq; in corpus lōginquum proiicit umbram
Esse putem facilè efformatum taliter ipsum:
Quandoquidem in centrum se moles cōnligit omnis,
Cornuaq; inprimis obtundit & atterit; ut quæ
Longius haud possunt speciem seruare uidendam;
Vt reliquis paribus corpus tenuabile scalpro
Temporis, ut circum consumitur omne figuram
Sphæralem adsequitur totum, in parteisq; recisum.
Cernere quod facile est: quia læsum cuspide primò
Atteritur; namq; illa minus pulsata resistit
Per facili sentitq; magis contraria casu,
Qua minimum ratione prius dixi esse rotundum.
Ergo ubi tam multum moles tenuata parentis
Telluris, Lunæ, solis, plus plusq; aliorum
Mundorum nostris qui tanto à sensibus ultra
Se rapiunt, quæ & si varia donata figura
Subsistant, par est tamen illa globosa videri,
Effectusq; globi demum seruare retusis
Cornibus, ut cornûm primum momenta necesse est
Defluere in solidum dum semet contrahit omne.
¶ Sed melior facit hanc ratio reputare rotundam.
Nam non in longum se corpus porrigit ullum
Cui sensus vitæ, & communis spiritus insit
Vt sibi quam possit propius sit partibú cunctis;
Quo totum parteis, partem pars contueantur
Fortius, aduersum stipato robore pellant.
Contrahitur fugiens ignem festuca, plicatur


Inq; globum recipit ſemet membrana, trahitq;
Fila ſuum fugiens inimicum: nil ſine cauſſa
Interno ad reliquam tendit molimine formam.
Tellurisq; animus non ſic adſurgere montes
Iußiſſet valleſq; imo remanere repreſſu
(Quamlibet externæ non ſint pars iſta figuræ)
Ni foret ad vitam tantum diſcrimen, ut unda
Defluat & ſolido conſiſtat robore Tellus
Solis ut à gyro ſua per genitalia membra
Ordo ſiet conſtans variorum principiorum.
Præſentem interea formam ſeruare laborant
Omnia: quæq; magis fælici ſorte beantur
Fortius occurrunt obſtanti, diſq; greganti
Heic ubi ſe ſe atomi plus complectuntur in unumq;
Intenſo coeunt habitu, neue ignis acuta
Cuſpide ſe immittat cuneato robore partes
Diſcindens ſolidum quale eſſe adamanta videmus,
Qui tam ſubtili proprias capit ordine parteis
Vt ſpacium modicum iniecto linquatur inani
Ne externo fluxu trudant interna potenter,
Vnde ſiet facili ſpecies conamine abacta,
Et noua ſubiectum forma ingrediatur auarum.
Hac igitur conſeruantur plus omnia cauſſa,
Namq; minus proprio natiuum è corpore cædit
Nec magis influitat peregrinum mole recenti.
Propterea in medium recipit ſeſe angulus omnis
Conceſſoq; petunt parteis glomeramine centrum.
At capiunt alias vitæ pro munere ſedes
Perq; vices alijs alias ſuccedere parteis
Sic video mundi generoſo in corpore, ut unus

Perpetuò in membris seruetur totius ordo.

QVamuis montium celſitudo, & valliū imitas, uniuerſam terræ rotunditatem variare videātur, hæc apud uulgariter hac de re definientes reſpectu totius iudicātur quaſi tuberoſitates vel aſperitates ille inſupficie pomi; ut & certè nō poteſt eſſe glob. adeo artificialiter perpolitus in quo quāuis minimū ad ſenſum alterare videantur, ſit tamen ſupreſsiorū eminentiorumq; partium differentia. Nobis verò & montes altiſsimi ſunt & valles profundiſsimæ in quibus tamen qui degunt non magis ſe eſſe inplanitie exiſtimant quàm alij alibi vere ſint, quandoquidem & ad integri uſq; horizontis aſpectum & ultra, arcus unius regionis curuatur infra arcum alterius regionis. Sic totius Galliæ regionem montem unum eſſe comperio qui ſenſim ab Oceano Septentrionali creſcit uſq; in Aluerniam, ubi eſt eius cacumē, ex occidēte à Pyreneis montibus qua fluit Garumna, ex Oriente â Rhodano: ex Meridie à Mediterraneo mari; vulgariore autem oculo iudicantibus ij ſoli videntur eſſe montes qui repentina eminētia prōptius adſurgūt, ad ſenſumq; noſtrū elati ſuper plano mole ſua ſenſibilis horizōtis aſpectū interturbāt. ſed haud aliter inter ſenſum ſenſum vulgaré atq; ſenſum philoſophicū (q corporis puſillitate non eſt puſillus) intereſt: quàm inter oculum formicę & humanum; formicæ quippe ſaxum unū quod uno paſſu prætérimus, & gleba quam iaculari poſſumus mons eſt; & homines ſumus illi Enceladi, & Briarei qui ſcopulos ad æthercam torquent regionem; ſic nequaquam ſunt reſpectu uniuerſæ Telluris montes ij, qui nobis montes ſunt. Hiſce adde quod accepto in ſua integritate Telluris globo, cuius inter mēbra aer nebuloſus & refluus, vaporis nempe regio computatur, abſq; controuerſia verius ad ſphæricitatem mathematicè regularem acce-

dit. Quod verò idem ostendunt inducentes ex accessu ad polum & recessu, unde ille sic quidem adtolli sic vero deprimi videatur, facit quidem argumentum sed non de uniuersa machina, quemadmodum & viscera interiora animalium omnia sphæricam quoad possunt figuram æmulantur. Sed hæc non ita facilè demonstrari possunt ut quilibet intelligat. Dicet aliquis nihil impedire quia perpetuo atq; continue hæc facies variatur rerum quasi nihil aliud interturbet quam parui quos dicimus montes: Atqui hoc non est verum, quia interdũ post magnam emensionem idem poli redit aspectus, ut notauit Plinius & experientia nostratium nautarum cõfirmat.

¶ Democritus Tellurem dixit corpus undiq; cauum, Empedoclem ferunt planius orbicularem ita existimasse ut sensus in horizontis artificialis specie suadet. Heraclitum aiunt veluti cymbam vel scapham figuratam voluisse. Leucippum ad timpani figuram prope; alij ut Anaximander Cylindroidem esse definierunt: quia sol qui per arcum homisphetij diurni circulariter incedit oriens & occidens in perpendiculum exurgit atque cadit: quod plane neq; verum est neq; apparens: quia fixo in terra gnomone I K, vel A F, vel L M, & exoriẽte corpore Solis quod sit I K M L, primo puncto sui corporis I tangat cacumen gnomonis K I, & puncto A, tãgat cacumen gnomonis F A. & puncto L gnomonis M L. Vbi medium eius corporis erit super horizonte punctus B erit promotus in locum puncti I; & K in locum puncti B; C in locum A; & F in locum puncti C. & ita de reliquis: atqui non est ita, sed potius C erit succedens in locum puncti I, & M in locum puncti C.




Xenophanem ferunt uti columnam quadam infinitè deorſum ſubtenſam intellexiſſe; quo fortè figurat undique habitudinem ad uniuerſi vacuum qua non magis ad unam quam ad aliam localem differentiam rapiatur: qualiter non euenit ijs quæ ſunt in Tellure & aſtris alijs, quibus propriæ ſubtendentiæ radix eſt corpus cuius ſunt partes, & à cuius membris compoſitionem concipiunt.

¶ Vulgatæ ſunt rationes rotunditatis etiam à ſtellis quæ ſucceſsiuè gradatimq; oriẽtalibus citius, occidẽtilibus aũt tardius oriuntur, atq; occidunt. Ex defectibus itẽ lunę veſpertinis, quos oriẽtaliores incolę nõ ſentiunt; & matutinis qui latent ad Occaſum habitantes. Ex umbræ terreſtris in Lunę globum incidente figura. Ex hoc quod nauigantibus cacuminia montium occur-

cur-

currunt citius quàm reliquæ partes. Ex alijs item eiusce generis & ad hasce species reducibilibus signis quib. nõ demonstratiue figura orbicularis concluditur, sed potius quæ ad illam tendat. Immo & inter alias rationes sunt quibus stãtibus nihil obesset etiam quo & pyramidalis figurę terrã possimus cõstituere ut eã inter alias eligamus quæ à sphæricitatis specię maxime recedit.



Si quippe Tellus sit triquetrę figuræ habes angulos A B C non est necesse quod cùm attenuat visibilitatis suæ diametrum, eandem conseruãdo figuræ speciem magnitudinis tantummodo mensuram variet. ut scilicet remotiore facta pyramide & consequenter minorata, appareat in forma trianguli minoris D E F. Vel ex basis subractione à specie trianguli E F D procedatur ad sen-

ſum trianguli G H D. uſq; ad I K D. At verò ne ceſſariũ eſt primò euaneſcere partes illas quæ ſub minori diametro comprehenduntur ;ideoq; ſenſim in polygonia figura anguli obtundũtur, itaq; in figuræ tãdem ſphæricæ ſeu circularis ſpeciem neceſſe eſt ut omnia viſibilia preſententur eminus expoſita; quam citius adſumit tetragonum cuius anguli à circumferentiæ inſcriptibilis minus diſtant termino; hoc citius orbeſcit pentagonum, citiſsimè verò omnium quod maximè omnium polygonum eſt.

Circularẽ porro ſeu ſphæricam ubi ſubierint figurã, eandem perpetuò uſq; ad minimum ſeruant:quid enim aliud punctus eſt quam indiuiduus circulus, & atomũ quam indiuidua ſphæra? Quibus ita ſe habentibus manifeſtum eſſe debet quod cum Lunæ corpus inter ſolẽ noſtroſq; oculos diametro multo viſibilitatis ſuæ attenuatũ ſit, ſenſibilem angulorum differentiam minime queat ſuſtinere. De umbra Telluris in lunæ corpus incurrente ſimile eſt omnino iudicium. Non eſt ergo ex hoc latere certa via ad definiendum exactè ex natura rei de figura Telluris, lunæ, & aliorum aſtrorum.

¶ Sunt & noſtræ rationes. Quia præcipua mundi corpora perfectius conſequuta ſunt bonum illud quod ſecunda atq; minora perſequuntur. Conſeruationem omnium rerum compoſitarum unitas & unio adminiſtrant, partium quippe diſtractione & totius diſſolutione fit interitus. Hoc manifeſtum eſt in guttis pendentibus quæ in globum ſe continent, & non niſi vi impetuque repulſæ diffluunt, feſtucæ & membranæ ignem fugientes implicantur contrahunturq; in centrum. Hoc uniuerſalis & particularis ſpiritus animaq; rebus in omnib. efficit, quatenus etiã edicto quodã ex omniũ voluntate explicat ut in eo quo nunc ſunt eſſe, pro viribus contraria fugiendo conſeruentur. Hãc igitur figurã pro viribus æmulantur omnia, ab hac omnes fructus atq; ſemina

mina explicantur. Proinde vero quæ externis ad quæ moueri oportet magis indiga sunt, quanto minus possunt à sphæricitatis forma recedendo corpus exporrigunt, crura brachiaq; explicant; ut globus humanus inter maxime omnium egena productum, erectum, discissum, distinctumq; est pedibus, manibus, digitis, auribus, oculis intendit adeò atq; contēdit quæ illi ad maiorem fœlicitatem non occurrunt, non se offerunt, non sunt sicut numinibus præsentia. Tenentibus verò nō est corpus liberum, neq; patens & à maiore domino præoccupatū spaciū: ideo non interno simpliceq; sicut astra tendunt appulsu tantum sufficiēte sed pluribus concurrentibus medijs & instrumentis opus est: quare necessario ab orbiculari illa partium unione recedit. Hac quoq; ratione neq; Tellus secundum reliquas partes sphæricitatem seruate potest regularem illam; neq; secundum totum exacté: Necessarium est enim ab omni initio in illa prominere montes, subsidere valles, æquora protensa tum aquarum tum aridæ conterminari: alioqui flumina non defluerent, partes solidiores rarioribus non interponerentur, humidioresq; siccioribus: neque sicut in animalib. ossa distinguūtur à carnib. neruis, & venis, nulla in integro consistentia remaneret & perfecti illa animalis effigies & mirabilis undiq; contextura. Atqui interim dū omnia ab illa monadis figura degenerare cogūtur, quatenus tamen possunt illam adseruant etiā, ut quę non possunt esse sphærica sicut brachia & digiti & radices, sunt tornatilis speciei: quod scilicet in longum nequeunt, in latum seruant: quod item non secundum plures continere possunt dimēsiones ut oculi, secundum unam spectant dimensionem ut aures, frondes, & quantum licet omnia. Perfectissima ergo animalia nempe astra, nempe mundi quo paucioribus subiecta sunt, pluribus præsunt; ab omnibus ferè absoluta at-

que libera, sibi sufficientissima consistunt, minus exter-na spectant, herent sibi magis, in se maxime omniũ uni-ta, & unum sunt.

CAPVT XVIII.

De figura Telluris Regionum aeris & ignis ex principus Peripaticorum contra eorum conclusiones.



Nunc iterum sensus, mentis reuocato sub alas
Atq; uide ut Tellus formam non usq; globosam
Concipiat proprio de robore principiorum
Si debet uulgus concludere, quando sophorum.
Postquam sphærali vultu conceditur ignis
Extremo volucris quo tangitur orbita cæli
Incaua Lunaris facies ubi dicitur oræ,
Nempe elementorum naturam vertit in ignem
Dum magnum rapido cælum terit aera frictu.
Ista si genitus forma est & permanet ignis
Qui proprium potis est elementum dicier ignis,
Quandoquidem est cæli raptu tenuatior aer,
Certis & gradibus speciem haud variantibus exit,
Scilicet illa rapax quæ conterit aera virtus
Certis pro gradibus subiectum inuerteret orbem
Naturam in tenuem magis ac minus haud variare
Pollentem hanc speciem subiecti corporis usq;
Ne hic velut inferior quoq; posit dicier aer:
Nam magis atq; minus speciem variare negatur.

Esto

Esto etiam credam gradibus consistere certis,
Qui status est illis quando non unica lex est
Simpliciter, motu qua se versare diurno
Conficta est tua illa means essentia quinta,
Quæ sine materia tangitq;, & tangitur; aut quam
Tangentem, aut tactam non poßis dicere, quare,
Cum rari ac densi faciant discrimina bino
Vires principio, quæ sunt contraria semper;
Attamen hæc cæli distinguis corpora forma.
Inde negas sursum contraria posse vigere.
¶ Præterea actiuum hoc quod cõtactu alterat illud
Vnius in generis debebunt ordine poni
Sortemq; unius communis materiei
Complecti: Tamen hanc qualem tibi fingito cunq;
Naturam geminam, videas quo nam ordine poßit
Altera ab alterius virtute inuertier, ut dum
Atteritur rapidi motus virtute supernus
Aer, quàm multas regiones esse sequatur
Ignis. Rursum quo partirier ordine poßit,
De puncto in punctum quando ratio altera surgit:
Quandoquidem in medio raptus est maxima virtus.
Telluris medium qui tam cito lineat axem,
Ingentemq; uterum; minima in regione polorum,
Inq; polis tandem non ullam dicere poßis.
Sic igitur gradibus tantis tenuanda reclinat
Actio sublimis, subiectaq; paßio sensim, &
Punctatim in nullam prima à virtute relabens.
Nec numeris cluit illa suis constantior, ut nec
Partibus est ijsdem, atq; actu venientibus uno
Ad nostrum sensum; variante reuoluitur orbe

Quem sibi perpetuo finxit gyramine normam
Fatalem, intrepidam, in voto stantemq; Deorum,
Ac pulsu qui non seclis variabilis ullis;
Ceu vis illorum, ac substantia permanet una.
Non patitur sortes etiam consistere easdem
Abscedens geminas in parteis orbita solis
Et vicibus varijs sublimia, & ima tenentis.
Ceu quoq; sufficiens sol est hæc omnia solus
Promere, ubi tales ac tantos explicat igneis,
Illius accessu quos intendi atq; recessu
Deficere scimus. Capias sed utramlibet harum
Caussarum, aut ambas; una dupliciue sequetur
Aeris atq; ignis sphæras non esse figuræ
Eius qua sese effingunt complectier orbes.
Non ignis regione foret contractior aer,
Supra ignes medios neq; certus terminus esset
Partibus ut nequeat regio constantior esse
Quæm caussa accessu faciens hanc atq; recessu;
Partibus aut motis cælestis corporis æquè
Puncto de medio, punctis medioq; propinquis
Altè calfaciens superinduit amplius axem
Aere quapropter facies ibi concaua Lunæ
Frigentem Arctoum ad cyclum multumq; tepente
Per spacium medios versus dum surgit in axes
Quandoquidem versum impariter terit aera circū.
¶ Non ergo est igni conscripsa rotunda figura
Quando non pariter facies fricat incaua Lunæ
Contiguum corpus, tanto quia tempore torpet
Atq; ignis multum de conditione recedit
Quem minor attingit cyclus: quo tempore maior
Om-

Omnibus, ingentem rapide ſublineat orbem.
¶ Aeris & regio quam dicunt inferiorem
Hinc non continuam ſibi uendicat undiq; formam
Sunt ubi ſublimeis monteis, uallesq; profundæ,
Aequora, ſtagna, lacus. fontes. fluuij atq; paludes
Perpetuæq; niues ſubiectæ ut proximus aer
Hinc magis ad centrum terræ tendatur & inde
Se retrahat ſurſum montis penetratilis alto
Vertice, nec paſsim in medijs ſtationibus æque eſt
Inſitus, iniectus, ſuperinfuſusq; liquenti
Corpore. Sed nobis, qui annumerauimus intra
Telluris membra hunc æquatum montibus altis
Aereum ſpacium, uentorum concutiturq;
Flabris, & uapido nubes in corpore paſcit
Qui rapida cum Telluris uertigine currit
Tranquillo externum ſemper cum robore linquit
Aera, Telluris quia non cum corpore uadit
Nec uarium affectum terræ cum corpore carpit.
Atq; ideo cæli circum uirtute fluentis
Turbineam in formam ſe verſum utrumq; polorum
Exacuit calido quæ non temeretur ab orbe.
¶ Ac ſi reſpicias quo ſe ordine frigida uirtus
Paullatim verſus finem ſubtollat, utrumq;
Compoſitum incuruis definitum atq; recuruis
Deſcribit corpus cuius ſeſe angulus alté
Adtollit quatruplex bina è regione polorum.
At uerò ad fictum cœlũ ſi cauſſa relata
Ignis non fuerit: ſed clari ad Apollinis alte
Fulgentem clypeum, tropicos qui hinc indeq; metas
Et facit & ſeruat, medio ſe planius axi

Inſi-

Inſinuat verſusq; polos obtundit utrinq;
Cornua, quæ exacuat rigido de corpore frigus.

SVnt principia à Peripateticis poſita, ex quibus nimirum alia Telluris, aeris regionũ, & ignis ſphęræ ſequitur figura, quã ut ſibi confingũt ſphęrica, globoſa, orbicularis: ut mirum ſit quales à poſitis & conceſsis concluſiones deducantur.


¶ Si rite conſideremus, inueniemus ignem non eſſe elementum & corpus per ſe ad numerum ſpecierum in ordine naturæ reuocabile: idq; poſitis Peripateticorum principijs. Mirum ut magis denſum & minus, ſpiſſum & attritum, diſtinguant ſpecies in elementis & ex aere faciant ignem; in cælo verò ſit denſum & rarum, ſenſibile & non ſenſibile, lucidum & non lucidum, aſtrum & quod inani comparatur (niſi ipſum ſit inane) quæ ſpecie conſimiliter non differant.

¶ Mirum ut cælum ſit contactu quodam verè violẽto (quod tamen eſto ut Peripatetici nominari voluerint) & elementum aeris ſit tactum, alteratum, transmutatumq; in ſpeciem diuerſam nempe ignem: nihilominus tamen nullam intelligantur habere in materia communicationẽ: cum omnino neceſſarium (etiam ex Peripateticis elementis) ſit actiua & paſsiua in orbe contrariorũ degere, maximè verò quæ contactu quodam alterantur & alterant; & quæ licet ſpecie differant genere tamen (communi nempe materia) minime aliud atq; aliud eſſe poſſunt. Adde quod actio illa cæleſtis in morem aliorum elementarium intenſionem recipit & remiſsionem, gradus inſuper à maximo ad minimum uſq; per medios; neq; perpetuò eadem cęli pars eadem virtute operatur, ea qua Sol infra tropicos huc illucq; peruagatur ratione. Mitte quòd & ipſum cælum non regulariter motum non ſemper ſuper æquinoctiali eadem linea

& eo-

& eodé insistit super quo & circa quē moueatur orbe, ut hodie omnibus est manifestum. Alias manifestabimus melius ut Tellus ad Solem continuæ diuersitates regionum efficit; nec eadem ubiq; perpetuò temperies dominetur, vel intemperies.

¶ Nunc ergo ignis conuexa sphæricitatis perfectæ superficie M. (qualem vulgus belle circinando sibi depingit) secundum omnes eius extremitates undiq; tangit superficiem concauā orbis Lunæ L. Eodē ordine æquidistantium circulorum integram cuiusq; planetæ sphæram sursum accipiunt, & elementorum sphæram deorsum.




Nos vero hęc aliter figurata ostendemus. deinceps, tali qualem mox accipies figura, ex principijs, fontibus, atq; coloribus Peripareticis maximè deducta. ¶ Neq, inquam ipsa aeris regio quam dicunt inferiorem, quo ad eius superficiem est uniformis: quandoquidem caloris effectus atq; frigoris mira difformitate, seu multiformitate capiunt planities, montes, valles, & maria, rursum aliter aliterq; uno, aliter aliter alio in climate.

¶ Connumerantibus ergo inter Telluris membra aerem altissimis montibus comprehensum, media illa aeris regio frigidior, nubigena, atq; ventosa, minimè potest æquata ratione infimæ attigua esse vel continua. Per superficiem quoq; superiorem (qua perpetuæ tranquillitatis

tatis attingit regionem, quæq; cum motu pafsionibufq; Telluris non participat, propriè vereq; extra Telluris membra abfoluta eft) quám ęqualiter terminet modo videamus.

¶ Cælum rapiditate fua circumgeftans oftendetur igneam fphęram recaua quadam concauitate definire in eam figurę fpeciem, cui (credo) non eft impofitum nomen & quæ defcribitur circumfluxu fpacij quod eft inter lineam AVSB, & lineam AKDB, circa axem AEB circumductum quoadufq; ad idem veftigium redeat unde circumfluere cæpit continuando fe cũ fpacio fimili interiecto inter conuexitatem ATZB, & cõcauitatem ACINB.



Inde neceffario fubfequitur turbinea fubfequentis fphærę regio quam definit arcus ASB fuper diametro AEB ęoufq; circumductus quo ad eidem infiftat vefti-
gio

gio, continuando ſe cum ſimili linea A T B. Cælum quippe quanto magis inclinat verſus polos tanto mouetur tardius,ſic & tanto minores deſcribit parallelos circulos; igneçq; vires gradatim ad polos uſq; A & B extenuantur conſequenter. Rapidiſsimi nempe motus efficacia maxima eſt in circulo C D, mediocris in circulo F G,& H I,Nulla in A,nulla in B :ideo relinquitur aeri figura turbinalis proxime deſignata. ¶ Sed & audi nunc reclamantem virtutem frigiditatis quæ contraria conſurgit efficacia.Mirum quàm diuerſa ſibi occurrunt figuratione;tali inquam quali cum altera minimè conſiſtere queat dum interim non minus habeat ſui dominij ſuæq; figurationis ratione quàm altera ſuę: Ex ordine enim quo frigus graſſatur contra calorē verſum conuexitudinē cæli,figura illa turbinalis non eſſe poteſt:Dimenſio enim E S vel E T, quę eſt ſub æquinoctiali,quam dominiū calidi gradatim verſus polos ſe remittentis configurat; facit ſubiectum corpus quod ab igne non alteratur(quod hac ſola ratione dico frigidum)altius pollere ſub linea torrida C D,quàm ſub tēperatis F H,H I,minus ſub frigidis,K L, & M N, minimè ſub maximo frigore. Quod ſi nequeamus oſtendere ut ſit conueniens,cogemur aliter frigidam ordinare regionem.

Alia inquam exurgit figura,ſi è contra virtutem frigoris amplius atq; amplius verſus polos in ſuperiorem regionē gliſcētis accipiamus.Eā ſanè delineat linea cōpoſita, ex incurua A K & recurua K M, & ex incurua M B quæ eouſq; circumducitur ſuper axem A E B,quoad redeat ad idem veſtigium unde cæpit circumduci,conſtituēs ſolidum dimenſionatum quale in plano duę incuruæ K A L,& M B M cum duabus recuruis K M & L N definiunt : ſecundum quam figuram regio aeris verſus polos ſuper ignis regionem adtollitur per angulos K L M N, Itaq; ex duabus figuris quarum utraq; pro-

pria ratione necessaria est ut necessariæ sunt calidi vices atq; frigoris;sequitur neutrius figuræ posibilis consistentia.

¶ Cylindricæ verò figure natura humens,& spissioris substantiæ uniuersam Telluris constituens machinã (secundum quam forte rationem aliqui hanc figuram huic nostro globo tribuerunt) non ad celi motum sed ad solis adproximationẽ & elongationẽ referentes caloris causam & ignee regionis figurã continuo variabilẽ cõtrahibilẽ inquã & extensibilẽ hinc indeq; concipiant oportet ut continue sol ad corpus Telluris aliã atq; aliam habet relationẽ. Accidit ergo ut cùm Sol à medio in latitudinem Zodiaci excurrat curuitatem lineæ KLNM ad rectitudinẽ adigat & angulos consequenter KLMN nunc obtundat magis, nuncq; exacuat, unde consequenter (confuso licet ordine) cilyndrica figura verius consequatur,licet non adeo oblongo ut prolixo umbræ terrestris proiectu, & extenuatione diametri nõ posit videri in rotundam desinere figuram ad apparentiam in cælo; itaq; istius mundi hac stante constitutione quorundam philosophorum sententia non usque adeo contemnenda debeat videri.Et si inquam ex rei veritate non constet, ex suppositis tamen vulgo principijs Syllogizabilis remanet, sed hanc contemplationem ociosis relinquo persequendam. Mihi satis est illis monstrasse locum: quo forte negocium hoc ocio peius intermittere posint.

¶ Nobis verò cognoscentibus Telluris corpus undiq; & ubiq; etherogeneis partibus consistens,& animatum, non tantum ab extrinseco principio quantum ab interno quod est anima figurationem habere cõstat: si quippe anima spiritusq; ille vitalis non esset,minimè tanto ordine(qui in toto est corpore, tantarumq; venarum ordinatissima nõ minus quam cuiuscunq; animantis serie,symmetricaq; contextura consistere posset.

¶ Neq;

¶ Neque ita ordinatum eſt hoc aſtrum ut frigidiſsimum ſit in medio ſeu cētro, frigidius verſus eas partes, calidiuſq; ſupra, atq; ita caliditatis frigiditatiſq; gradibus eatur à ſpiſſori ad rarius, à grauioriq; (ut fingunt) ad leuius: atqui omnino circa centrum oportet calidiſsimas eſſe parteis non minus quàm circa medium animalium eſt cor & fons omnium qui per uniuerſum fundūtur ſpirituum, & aeris ingens veluti regio præcordialis refrigerans.

Partium ergo ſuarū & regionū ſeriē non à Sole accipit aut â cælo, ſed ab anima propria: in ijs verò q̄ agūtur, atq; tum interno tum externo reguntur calore accidit alteratio quædam non ſecundum figuram, ſed ſecundūm ſimplicem quam calor intenſior & remiſsior infert paſsionem, ſicut in partibus animaliū propter hyemem & æſtum, alij atq; alij effectus ſuo ordine partibus tum exterioribus tum interioribus ad intimū uſq; imprimuntur innouanturq; haud quidem ſimplicis caloris frigiditatis (ut aiunt) virtute elementari præter quam inſtrumentaliter concurrente, ſed virtute animæ principaliter; alioqui non eſſent omnes ſub quocūque Telluris parallelo diſpoſitionum differentiæ, qualiter enim horū ſuas habet aquas, aridas, montes, valles, æquora, frigidiores, tēperatiores, calidioresq;, ſteriliores, fertilioresq; habitabiliores, inhabitabilioresq; partes: puro quippe calore agēte, uniformiter oportet eſſe ſub zona torrida exuſtam Telluris circumquaq; ſuperficiē quę ita verſus polorum cardines ſenſim tepeſceret & frigida conſtaret in ſuis uniformiter zonis per totum gyrum ſicut definitis gradibus ſolis protenduntur radij vel cælum verſus polos (ut proximè dictum eſt minori aerem velocitate atterit. At certum eſt ut omnium diſpoſitionum participatio reperitur ubiq; interdūq; in regionib. verſus polos magis inclinantib. maior eſt temperies; verſus tropicos maior eſt æſtus ut pluri-

mum quã circa æquinoctialem telluris cingulum. Configuratio ergò illa ab orbibus ſtellarum corpora circũuectantibus à deliro prorſus ſenſu exorta eſt & propagata; ſtat enim circa Tellurem Solem, Lunam & omnia unum idemq; æthereũ ſpacium, quod circa ſingula eorũm termino & figura configuratum intelligitur. Neq; autem per ſe figuratum dicere poſſumus, quod non eſt corpus, ſed per accidens, tanti quibus & taliter finiti corporis tantum & taliter finiens oportet eſſe ſpacium, inſitum & comprehendens ea qua comprehendere intelligitur ſuperficie.

IORDANI BRVNI NOLANI,

DE IMMENSO ET INNVmerabilibus

LIBER V.

CAPVT I.

De compoſitione omnium ex elementis, utq; quodammodo omnia ſint in omnibus.



Orgimus hæc paucis, vulgus procul eſto prophanum,
Ne liceat laico ſacrum conſcendere montem.
Forma quæcunq; obliqua natura notauit,
Ingenium ut uultu ſtupidi referant animantis,
Luminibus, mento, naſo, Fronte ore, palato,
Diua caput Iouium geminum teſtata parentem

Præ-

Præcipit hinc reuocare pedem, Maiæq; propago.
Si quemquam infœlix immundaq; bestia norit
Congeneum, paribus poterit testarier esse
Moribus affectum, & Genio meliore carentem.
Ergo admittendum, arcendumq; à limine templi
Prouidus aspiciat custos, solersq; sacerdos.
Scribimus haud multis, tamen inculcanda sophistæ
Auribus, ut dubitans careat dubio tamen uno
Ne fors cum ratione loqui se & credere, credat.
Dignus amor pulchri, atq; boni dilectio & ardor
Virtutis, pectus succendens, intemeratæ,
Veriq; illecebræ, & dignæ meditatio laudis,
Nos illam egere ad metam qua despiciamus
Iudicium fato neglectum, & turbida secla,
Quæ claudunt somni populos, umbrasq; uagantes,
Et nebulas per inane obscurum, genitantiaq; inde
Millia portentûm uario phantasmata coitu.
O` Dea lethei gens hæc glomeramine cæco
Fumi oppressa: carens sensuq; insana malorum
(Nempe animæ grandi tacta est substantia morbo)
Docta suum celebrare statum, & non uisa uideri
Credere, quæ primis hausit suetudine ab annis,
Natura ut poterit matris conuertere frustra
Donatos oculos ad uim sparsæ undiq; lucis,
Vt dicat. Quidquid circum est spectabile coram
Est mundus, quidquid stellamq; astrumq; vocamus,
Quorum sensibilis globus unda hic, ille per ignẽ est.
Omnia comprendo ex unda terra, aere & igne;
Nam uix vel minimis unũ à absq; alio est tribuendũ,
Si uiua, & certa in specie composta locentur.

Partibus ex uariis (globus hic eſt qualibus) omne
Compoſtum eſt operæ ut conſtet, licet haſce latente
Conditione ferat non aptas ſenſibũ cunctis.
Vnda etenim à terra concreſcit, terraq; ab unda,
Vndaq; uitali in motu ac uirtute per ignem eſt,
Nec niſi concreto ſe lux de fonte propagat.
Viuida ſubiecto cui uirtus exit ab igne.
Vnius haud generis ſubiectum concipio ignem
Humida ſed (qualem capias hunc cunq;) repaſcit
Natura ac refouet. Porro horum non meat unum
In reliquum, uector niſi conſtet ſpiritus aer
Tamquã animus quidã, ni animus fors hic fiet ipſe.
¶ Ergo perſimili uel eodem cuncta tenore
Ire putem, & ſimili certè conſtare figura.
Nec me perturbent animantia lata minore
Corpore quæ longo proiectu errantia multas
Oſtendunt facies ut cum ædis, caprea, ſerpens,
Tergore ſtellanti, aut ſpirale uolumine currens,
Continuum ſiquidem eſt corpus, molesq; globoſa
Quæ paßim uiuis depingitur ignibus, aut fors
Lymphis obiectu ſolis radiantibus ad nos,
Inde ubi Telluris nigranti libera ab umbra eſt.
Tandem ſi ſpeciem ſubſtantia lucida opacæ
Immixtam obiectat, velut in Tellure uideri
Inde licet, pariter maculoſo & corpore Lunæ.
Ignitasq; trabes Telluri in parte propinqua
Vi motus rapida porrecto corpore credunt,
Atqui ſunt ſphæræ quarum ſubſtantia uerè eſt
Continua lucis parili concreta tenore &
Nouimus hæc ſignis prælata animantia certis.

Qua-

Quare de genere ac specie manifesta figura est
Sphærica Telluris cunctorumq; orbe micanti
Mundorum qui se obiectant illi undiq; circum,
Interneq; valent anima exagitante moueri
Quorsumcunq; libet, sed non violabile lege:
Nam quo principio motant animalia corpus
Remigio alarum atq; pedum; terram, aera, & undas
Findendo, & mutilo magnes se corpore adactat
Aera per spissum hunc. Sic non hisce est opus illis
Quæ non terram, undas, nimbosumq; aera tranant,
Sed sese innata virtute ac principe cælum
Libera per purum exagitant quod sit locus illis
Primum gignundis, reliquis exinde per illa:
Quorum ut miranda partes ratione feruntur
Fragmina quæ vix sunt propria constantia forma:
Nam minus hoc animal totum, parteisq; per omneis
Cum membris alimenta capit pro tempore, & illi
Omnia restituit rursum, si quidem nihil ex se est
Totius exiguo præterquam portio in actu.
Quapropter quidquid mundana in parte tuemur,
Conuenit id toti sublimius &, tribuendum est.
Singula quæ capiunt tribuantur & omnia toti,
Dico diuitias quæ contestantur & actum,
Non quo sunt parteis, & totius indiga quædam:
Nam nec ut in toto, ac per totum hæc mēbra ferūtur
Organicis queisdam ac mediis nixantibus, ipsum
Consimili totum debebit sorte cieri
Qua nihilum obsistit, nihilū rapit, & nihil extra est
Ipsius, inq; ipsum influitans motumq;, animumq;,
Et quas continuè parteis renouando fatiget:

Sed tantum tenebræ, & frigus, lux & calor exit
De mūdo in mundū, reliqua integra omnia in illis.
¶ Fallitur humanus mirè quoq; ſenſus in iiſce
Queis ſe menſuram rerum ſupponit, & actus
Corporis ac vires omnes comprendere credit:
Cum & quidam lapides ſenſu, ac virtute vigeſcant
(Quam inſtinctū vocitat talparū turba ſophantū)
Qui proprium admotant corpus, tractētq; alienum,
Spirituum inuertant vires, ſenſuſq; alienent
Humanos, aſt nunc uim motricem meditabor
Muſtellam bufo qua conripit; ipſe manendo
In ſtatione ſua adaperto ore opperit illam
Paßibú quo infælix inuitis cogitur ire.
Non eſt qui norit qua vi, cui brachia nulla
Vir prenſam certo ex humeris ictu ireſecurim
Fecerit ac firmo, crudeli ſorte peremptus
Multorum pro morte reus. Sed particulare
Omitto. Speciem integram capio iſtricis. Illi
Picturata ſeges iaculorum infixa tenaci
In cute natiua, in totoq; haſtilia dorſo.
Adſeruata ſuæ ſunt pro tutamine vitæ.
Non labor humanus, non eſt induſtria compar
Quæ ex oculo uſq; adeo certum diſcuſſerit ictum,
Vt nihilo fallente feram conamina docti
Viſus muta cutis facilè (ut conſentiat) audit.
Euolat excuſſo natiuum mißile tergo,
Error abeſt omnis. quodq; hic facit è cute tota,
Ordinibus nullis hominum ſolertia poſſet
E'manibus multaq; aptatis arte baliſtis.
Quolibet è pellus puncto conlineat ille

Quolibet è puncto directim decutit: atq;
Cuilibet eſt pãcto iaculũ, pharetra, arcus & ars, &
Artificis pulſus, oculi, votiq; animantis
Præſcripto haud dubio leue telũ obtemperat actu.
Militiæ tanta ars, viſq; exploſiua, ſuiq;
Parca ſeges iaculi, extremos ſe ſeruat in uſus,
Conſiliumq; ducem ſic puncto corpus ab omni
Exaudit; centroq; animus regit omnia ab uno.
Pars omnis neruus, digitus, manus, atq; lacertus:
Aequè haſtam perdocta ſuum iaculatur in hoſtem,
Duxq; idem ſimul è varijs definit, obitq;
Munia, & obuerſo diſpenſat ſpicula dorſo,
Vt bene diſtincto rareſcant ordine tela
Vndiq;, ſeq; æquè armatum cuſtodiat, & non
Informis fiat pro expenſis area ſpiclis.
Quam multa ratione magis donabitur aſtrum
Corpore de cuius conſtant, animo vegetantq;?
Sic ſe ſe obuertit Tellus, regit omnia, ſicq;
Vno ſe circum ingenio moderante, ſua, & ſe
Ad certum ſpectans ſignum non fallitur unquam,
Immenſum & quotcumq; colũt mũdi æthera circũ.

QVatuor Rerum gradus ferunt dixiſſe Anaxagoram. Immortalem eternitatem, Immortale tempus, Morralem æternitatem, Mortale tẽpus. Primus gradus eſt Mens, Secundus cælum, Tertius homo, Quartus anima irrationalis. An non iocunde cõtemplationes? nugæ?

Tria (Proclus ait) ſunt genera corporum, quędam materialia ſimul, atq; compoſita, qualia ſunt ex elementis conflata quatuor. Quędam ſunt materialia & quodam.

modo ſimplicia ſicut elementorum ſphæræ. Alia ſimplicia & immaterialia, ut cæleſtia corpora. Deus (inquiunt Platonici quidam, cęleſtem materiam ſemel cũctis ornauit formis, elemẽtalem ſingulis momentis exornat, ſicut naturam deorum ſemel omnibus ideis impleuit, & animalem quotidie implet. Sicut in ordine mentium eſt ultimum incorruptibile ita in ordine corporum; Corporum enim ordo non aliter ſequitur ordinem intellectuũ, quã pedis veſtigiũ ipſum pedem, & umbra corpus: inde qualis ordo probatur in mentibus talis & in corporibus reperitur. Mens altior paucioribus ſubiecta pluribus pręſideti à paucioribus capit & patitur in plures diſtribuendo agit; infima mens ab omnibus accipit nulli tribuit, in prima ergo omnia ſunt actiuè in infima omnia paſsiuè. Sic & ordo quidam eſt in cælis Supremum cælum cunctas vires formarum omnium efficiendarum continere neceſſe eſt per quas tanquam efficaces & actiuas inferiora corpora ad varias formas ſuſcipiendas diſponit: Quapropter varijs naturæ ſuæ viribus, configurationibusq; atq; motibus varios producit in inferioribus iſtis influxus, formans, ornans, mouens, ut merito dicit poſsit ſublime cælum formas corporum reliquorum vel actu, vel actiua virtute complecti. Corpora verò ſequentia affirmant illi adeo ſubijci ut ipſa quidem in quadam potentia ſuſceptiua atq; paſsiua eaſdem habeãt formas, atq; actu ab illa ſuſcipiant: verum hunc habent ordinẽ ut quo ſublimius ſub illo corpus eſt, eo magis actiuum potentiamq; minus paſsiuam habeat. Hęc Platonicè, quæ à Peripatetico ſenſu non abhorrent & ab ordine politico & œconomico: ut ſint patres tantum, præceptores, omnipotentes, ſint filij tantum, omniexecutores, nullius authoritatis, ſintq; inter iſtos patres reſpectu inferiorum & filij reſpectu ſuperiorum. Nobis verò quibus nulli ſunt illiuſmodi cæli, nulli motores, nullæ diuitiæ

extra

extra Tellurem, animam Telluris & huius animæ facultatem quæ sub Solis fauore in hoc spacio vigescit: ubi illæ intelligentię, illę mentes, illæ phantasiæ, illæ nugę, & illæ plusquam poeticæ fabellę philosophicæ? Heic in nostro globo, astro, mundo, Tellure inquam, virtus terræ non est ab aqua superiore vel inferiore, virtus aq̃ nõ est ab aere, sed elemẽta hęc proprias peculiaresq; habent qualitates atq; vices quibus specie scernuntur ab inuicem, sed non existentiæ actu, non minus terra indiga est aqua ad suã formationem quam aqua, terra Nihil est ex ijs infimum frigidissimum, patiens, segne, sed æquali virtute omnia ad omnium cõpositionẽ concurrunt: non aliter quàm ex elementis vocis atq; scripturę non est una litera quæ magis alia sit necessaria, & sub qua aliæ plus esse possint ordinatę quàm ipsa sub alijs, sed omnes per se sunt & sui iuris, & singulę cum singulis ęquè concurrunt. Quod ad necessitatem ergò & dignitatem non est quippiam quod in hoc ordine alijs pręponas. Sic enim syllabam B A, non potest cõstituere B sine A, sicut neq; A sine B, & sic principaliter & necessariò ad eius constitutionem concurrit B sicut A, & A sicut B. Quid ergo circa eum elementorum ordinẽ Platonicis nugamur mysterijs & Aristotelicis, & verbis sanè sine sensu porrigimus aures? quid ultra ad cælos illos & cęlestes illas umbras atq; somnia istiusmodi per scalam, Platonicis, diuinis, mathematicis, abstractis, euanidisq; sustollimur alis, quasi nihil habeamus ante oculos quod nos alte moueat, incitet, inuitet, perficiat, ornet; quo relinquimus veras rerum species umbris quę nullam omnino habent subsistentiam, non aliter alienati quam canis ille Aesopicus, qui relicta carne quã habebat in ore, per auiditatem maioris umbræ præcipitem se iecit in fluuium?

¶ Sed ut ad propositum deueniamus, ubi manifestum est primò de grauitate & leuitate quòd nulla sit in cor-

poribus uniuersi & maximis mundi membris. Secundò de naturali omnium ad proprium conueniensq; sibi appulsu. Tertiò de indifferentia horum quæ sunt apud nos, atq; ptopinqua, ab ijs quæ sunt remotiora, necessariò infertur vos nihil abnegare de illis posse quod de istis affirmare posimus, & è contra. De compositione igitur simili, éq; similibus partibus in ijs atq; istis ambigendum non est. Siq; heic nusquam ignem subsistere videmus sine terra, nusquam terram sine aqua vel igne, horumq; omniũ compositionem tum contineri tum & penetrarj ab aere & inani: idem necessario & illic esse hinc iudicare debemus, quia neq, sensus neq; ratio ulla nos ad aliud cogit asserendum vel suspicandum. Sensus quippe nusquã aliquid lucere percipit ubi humida non sit substantia subiecta, vel ignis actus, siue per se siue per aliud luceat. Iudicamus ergo tanquam per sensus & rationis suffragium omne quod circum undiq; lucere videmus aquam ignemq; esse: omnia præterea uno in spacio constituta subsistere, unumq; æthereum omnia haud aliter complecti quam Tellurem & lunam & peregrina corpora, sicut in proposito cometarum dictum est & amplius (pro rei tanti momenti corroboratione) dicetur. Aerem quoq; cælum dicimus qui propter suæ substantiæ subtilitatem atq; vim spiritus uniuersi dicitur intus alens omnia per naturam humidam, calidam, lucidam; per quẽ uniuersa vegetant & subsistẽtantur.

¶ Heic triplicem loci intelligimus speciem, prima est spacium corporibus plenũ, quod & corporibus interiectum dicitur, nempe cuius dimensiones excipiunt æquales corporum dimensiones. Secunda est spaciũ extra corpora velut quod inter unum & alterum astrum mediat. Quod à Mose dicitur firmamentum diuidens aquas ab aquis id est astrũ ab astro, mũdũ à mũdo. Super nos declarauimus, ut omnes mũdi maximè ex substãtia

tia corporea & materia prædominante aquæ ſint. Tertia eſt ſpacium quodcunq; ſit illud quod inter ſuperficiem unius corporis contenti & cõtinentis interijcitur, quod inter aerem ambientem complexamq; ſphæram eſt. Immo inter atomum & atomum, quæ non ſunt neq; poſſunt eſſe cõtinua inuicem ſed verè ſingula per ſe. De reliquis enim quibuſcunq; compoſitis nihil eſt quod verè poſsis dicere continuum alioqui non eſſet diuiſibile, õmne autem diuiſibile ideò eſt diuiſibile quia eſt penetrabile, omne ideo eſt penetrabile quia eſt compoſitum hærentibus partibus quæ non ſunt unum ſed unitæ, õmne quod non eſt unum ſed unitum huiuſmodi eſt tangens illud cui unitur: õmne tangens ſuperficie ad ſuperficiem adpoſita tangit: ibi diſtinctio eſt inter tactum & tangens, ſuperficiem unius & alterius. Vbicunq; ſunt duæ ſuperficies eſt lineam mediam vel ſpacium interiectum intelligere realiter diſtinguens illas: hoc eſt vacuum omnino quod alio non poſsis appellare nomine, ſiue in pleno, ſiue in ſolido, ſiue in ſpacio accipias.

Præter aſtra magnoſq; mundos ſunt & animantia lata per æthereũ ſpacium minora; in formam paruæ ſphæræ quæ viuacisſimi toto corpore ignis præ ſe feret ſpeciẽ & trabs ignea iudicatur à vulgo cum prope nos infra nubes etiã fertur qualis à me notata eſt quaſi attingẽs tecta domorũ: ſed ꝓiectus corporis ille videbatur ꝓpter motus velocitatem qua longam rectam vel curuam lineam titione vibrato poſſumus deſignare in aere ut ignis illius appareat figura. Erat autem illa ſphæra ſeu (ut dicunt) trabs, vere animal, quam ego ſemel vidi, recto enim motu cum quaſi abraderet tecta Nolę urbis, debuiſſet in montem Cicade impingere, quem ſublato corpore ſuperauit.

¶ Apparẽt in cælo conſtantes figuræ ſerpentum caprearum, & inordinatorum corporum lucentium, ſed certe quando huiuſmodi ita vicinæ impreſsiones apparent

rent sunt unius integri magni corporis cuius aquæ in superficie opaca distinctæ & interiectæ passim interlucent reliquo corporis latente, sicuti in luna accidit & tellure. Sed ista longe maiori spacio discriminata videntur quia corpus illud integrum aduenit ad partes Luna propinquiores sicut ostendemus infra.

¶ Heic etiam meminisse debemus animam esse in omnibus motus principium, & plures omnino esse sensus atq; motionis & adtactus species quam homo experiatur in se ipso, sicut sunt quidam effectus in alijs animantibus, & lapidibus, & plantis quibus occulta ratione mouentur; & nos mouemur ab ijsdem.

CAPVT II.

Vt possint astra (distantissimi scilicet Planetæ) à sole in eadem synodo ęquè calefieri atq; uiciniora, Astra item ab inuicem ita distare perpetuò ac per totũ, sicut hic uidemus; neq; enim est inuna æquidistantia multitudo illa præter hæc septem uulgata.



Os opus est certis distinctos legibus ire
Legibus adscripto moderãtib. interuallo,
Se rapidè magis atq; minus vertendo facessant
Vt calidum ac frigus conceptent lancibus æquis
Et quæ vicino sunt orbe, & quæ amplius abstant:
Sic pariter valeant propius posita, atq; remota
Calfieri: Immo etiam poßit distantius ardens
Esse magis si forte means ibi tardius astrum est,
Ac magis infixos radiorum sustinet ictus

Vt tan-

Vt tanto interius subiecta in mole profundent
Quanto directim immissos capiendo moratur.
Idem se rapidè magis actans discutit illos
Vel minus impensè recipit, certoue refringens
Pro modulo ad vitam oppositi conamina vertit.
Aethera non igitur confusa lege pererrant,
At verò ut vitæ sint adseruata tenori
Comparili nec se implicitent, alienaq; turbent.
¶ Astra à, Telluris tantum regione remota
Iudicat orbatum volgus quanto minus illa
Velocem intendunt cursum: & discrimen ob istud
De innumeris tantum hæc variè distare refirma
Quæ sibi sunt tantum ac soli spectata propinqua,
Cætera in immensum sic accipit ordine in uno
Vt nullo apparent circum discrimine vecta.
Haud aliter stultus quem circum sylua coronat
Vndiq; plantarum, septem ex ijs ille propinquas
Iudicat imparibus deuinctas interuallis,
Namq; & apparent: non sic reliqua omnia namq;
Non etiam apparent. Neq; plus rerum esse deinceps
Namq; apparerent: quasi finiat omnia sensus
Heic ubi finitur sensus, conuexa coercent
Incauaq; intensi circum undiq; spicula visus.
Nempe oculi sine mente dati. Sed somnia quantum
Plantasiæ poßint tutari dogma oculorum
Si ratio ac sensus ostendere velle reclamant,
(Quandoquidem semet sensus subcorrigit ipse.)
Tunc qui affirmarat sensum hunc negat & rationē
Præcipiti quidquid primum dimisit ab ore
Concupit efferatum naturam huc obligat, atq; hāc

Mon-

Monstrosam inquit, mendacem, & miracla ferentẽ.
Diuino interdum nutu quia deuiat extra
Leges, attoniti extium mundiq; minatur
Naturæ effractis tabulis pessum omnia labi
Malunt quam tutò quisquam cæco sycophantæ
Errorem appingat, sed diuûm consacret aras.
¶ Quamlibet apparent alta in regione cometæ
Et motum similem stellis errantibus actant
Et molem longè abstantes imitantur eorum,
Legibus & proprijs non raptu, aut lege aliorum
Discurrunt; forma redeunt persæpe in eadem,
Atq; loco & norma ad solem referantur eadem,
Millia; non tamen audendum rescindere firma
Mortalem quemquã aut sophiæ temerare elementa
Quæ uult nil uacuum, uult non penetrabile totum
Corpore repletum, deinc ultra concaua Lunæ
Corpus diuinum, immortale, inscißile, nulla
Naturæ virtute aliter tractabile cælum.
Quod spacium septem concentrica corpora replet
Orbibus ex variis composta, astrisq; notatis
Duntaxat septem: ne sit qui demere quicquam
Audeat ingenio, nec natura adiicere ausit
Vel quantum formica ualet, quia machina in illam
Adiectis numeris partem inclinando procumbet
Non absq; exitio. Casus fiet ergo uagansq;
Phantasia, aut diuũ forsan nonius ordo prophætãs,
Vel quiduis potius, quam quicquam oracla receptæ
Conuellens sophiæ, quo stultitiæq; magistros
Doctoresq; putes Phœbæos architiclinos.
At nos qui nulla pro maiestate doceri

Ambi-

Ambimus, rerum dominos gentemq; togatam
Spernimus, & sperni nihilum reputamus ab iisdem.
Omnia sic vno in spacio comprendimus esse,
Vtq; per exemplum hic stabilis sol, hiq; planetæ
Circa ipsum medium, pariterq; esse ulteriores
Soles, inde vagans quos circum lympha recursat.
Quæ sic inde cluit, uelut hinc cluere est opus istam,
Illic si nobis consistere posse daretur.
Ast datur, atq; datum est rationis sistere plumis,
Et meliore oculo non fallente omne tueri
Vndiq;, & est species sine fine ex fine recepta

ETiam quod propinquius est igni, vehementiam caloris ex una parte præualentis, ex positione diuersarum proprij corporis partium, nempe circa proprium centrum motu velociore contemperat: quod si tardiusculé remotiusculum faciat, tardissimè verò remotissimum, eueniet ut extensioni unius alterius intensio caussę succurrat ad æqualis virtutis à lucifero astro influxum impressionemq; concipiant.

¶ Existimant Peripatetici à quibus fortè sic informatum est vulgus, tardius moueri quæ remotiora sunt à Tellure; proindeq; quod consequenter tardissimi deberet esse motus: remanebat olim stelliferum octauum quod subiectum esset illius motus rapidissimi uniuersalis regulariter, atq; continuè, & aliam motus contrarij differentiam non cognouerunt: quæ posterioribus manifesta est, ubi & ipsum stelliferum citra comparationem & analogiæ alicuius legem tardius circa hoc centrum moueatur. In eo tandem conueniunt ut fixa illa astra ad unum orbem referantur, quia uni tanquam continuatorum motui sunt adstricta. Hoc cùm positum sit

quidquid contrarium & absurdum consequatur, quantumlibet sensus experientia, compertaq; naturæ species reclamet: necessarium est Aristotelem non errasse: non est posibile ut tanti doctores Aristotelici à tanto seculo, in tam magna multitudine cæcutierint.

CAPVT III.

Certissima ratio distinguendæ distantiæ maioris & minoris uniuscuiusq; sensibilis solis à nobis, est magnitudo. Ad rationem uerò distantiæ geometricè concipiendam non est medium nisi sophisticum.



Ergo maiori quæcunque ibi mole relucent
Corpora scintillantum sic reputo esse propinqua
Iis quæ plus constant pro mole minore remota
Tauri oculus, spica Astreæ, candens Basiliscus
Consimili atq; pari quæ sunt mole atq; figura,
Quæq; ut sol noster sunt scintillantia, mittuntq;
Ignitos radios. flammantiq; orbe fauillant
Sunt certè soles tantum hoc à sole remoti
Consimiliq; alio quiq; ex iis, quantum opus esse
Ad rerum nouit uitam natura gubernans.
Nam soli circum finita potentia cuiq;,
Qua mundis vitæ immittat lucem atq; calorem;
Nec soli usq; adeo debet sol esse propinquus
Quo igniti virtus duplicata hinc, inde rigoris
Excessu absumat lympharum pabula

Vadant

Vadant undæ igneisq; extrema sparsa ruina
Inq; nouas alibi formas cessura, retenta
Consistant ubi fata fauent pro munere uitæ,
Nam male adorta cito pereunt tandemq; necesse est
Materiæ pro sorte geri sic omnia, quamuis
Non certi actentur decretis efficientis:
Namq; adeo natura diu sequiturq; fugitq;
Conuenientis auens captum & contraria abhorrēs
Quò sit ad usq; loci meliori sorte repressa,
Quamq; diu possunt consistunt hæc ubicumq;.
Ergo diu tandem ac uariè exagitata necesse est
Vt tandem hāc subeant cita corpora disposituram.
In qua uel maneant semper, uel plurima secla
Contineant. Ergo si quæ sors destruat unum
E' mundis plureisue simul, uel si lubet omneis
(Quod sane haud rerum patitur sine fine potestas,
Extensusq; uigor, sors non eademq; locorum,
Qui ad fatum innumeri nequeunt tractarier unū)
Vita recursabit, naturaq; materiei
Hoc ipso instaurata suo dat cuncta recessu.
Sed non propterea rationis carpo elementa
Impia Democriti adstipulatus sensibus, at qui hæc
Mentem alta agnosco moderantem cuncta paternā.

DIximus Planetarum corpora infinita, & Soles infinitos; sed hosce innumerabiles subijci oculis nostris: Planetas verò tantùm qui sunt vicini. Vt verò absurdissimè est illud confictum cælum ultimum, ubi sic eiusdem generis corpora sparsim sunt in æthere sicut Tellus est & Luna, & planetę & cometæ.

Horum corpora non ſunt notata imò nec obſeruata ab omnibus ultra ſtellam Saturni, & ſane neq; multo amplius poſſunt diſtare ut virtuosè à ſuperficie illuminata à Sole poſsint tãquã ãſpeculo reflexã illã lucẽ præſentare ſenſibus, multum enim abeſt ut imago lucis quæ eſt in ſpeculo ſic longè poſsit apparere quemadmodum quæ eſt in accenſo ignitoq; corpore; eſt igitur cõparatiuè breue & certum interuallum, ultra quod non eſt quod cometarum & planetarum ſenſum poſsimus habere, qui à ſuperficie illuminata, non autem per ſe luminoſa ſunt ſenſibiles.

CAPVT IV.

Proſequitur propoſitum aliis rationibus & ſignis inducendo.



Idera præterea ſociali corpore iuncta
Ne reputes hoc eſſe magis quo longius abſtant
A'nobis, quia ſic apparent. Sitq; diurno
Conreptum motu cælum, nempe ultima ſphæra
In qua ſtellarum ſe ſe arctant corpora, lege
Vt coeant illic nulla magna atq; minora
Ad minima uſq; oculorum aciem exæquãtia noſtrã,
Et quæ non eſt qui tollat plus pluſq; minora.
Ac ſtupidè arboream ſpectans circum undiq; ſyluã
Per totum ſimili quiſquam plantamine denſam
Crediderit quæ ſunt prope ſe ſituata, receſſu
Diſsita maiori; Dein tanto congrediantur
Vlteriora magis, quanto adglomeratio tandem
Confusè innumeræ turbæ ſiet una eademq;,

Millia ut est sensus coniectans ordine in uno.
Nec nos has circum viuentia degere tantum
Quando videt nihilum circa illas; namq; videret.
Ast sunt quæ multo apparent distantia cælo,
Sed mirè plus sunt propria statione propinqua
Quàm quæ contigua, atq; unum fermè esse videtur.
Nempe oculo Tauri propior Spica, atq; Leonis
Credendus cor est quàm Pleias atq; Hyadum lux,
Affinis siquidem inueniuntur in ordine gyri
Ad nostrum hūc mundum ac solem, cui luce superba
Ingenti spacio prope sunt, propè plusq; vicissim.
Credendum quippe est immani corpore soles
Consimili sic esse modo, velutiq; planetas
Non alijs alios multo discerno minores.
¶ Pleias ex alia non est minus una remota
Quam veluti dictum est alium sol linquere solem
Natura cogente habeat. Paria esse videntur
Astra tamen nobis modico comprensaq; in orbe,
Nam sunt comparibus radijs hinc illa remota.
Hoc quisquis sensu perpenderit omne profundo,
Dicere nos nihil à sensu ac ratione alienum
Comperiet. ¶ Synodum mundorum deinde putandū
Heic ubicumq; suis rapidi tentoria soles
Fixerunt radijs hortos vitæ, atq; salutis
Luminis inspergunt grato roramine, & undis
Motum dant vegetum & species genitare valere.

NOtauimus quoq; in antecedentibus ut compertum sit contra illam unius stelliferi imaginationem, hoc etiam quod stellæ fixæ ab inuicē elon-

gatiores & inuicem fiant propinquiores : & hoc ad instar huius nostri solis cum quo conueniunt secundum speciem; habetur quippe ipse in numero stellarum fixarum quia non adeo sensibilem motum eminus aspicientibus offert, sicut neque illæ ; Nec est quod quod natura obsequatur stultorum opinioni qui omnē astrorum motum volūt esse circa tellurem vel intra nobis conspectos polos. Stantibus enim terminis quibus ostensum est uniuersum infinitum , & sol medius inter suos planetas seu cometas;inter quos minore circulo deferatur:constabit reliquos soles(nempe fixas omnes per se lucentes stellas, & ignes cælestes,huiusmodi circulos efficere secundum eandem speciem sicut eiusdem speciei sunt corpora : & circa ipsos secundum proprij motus speciem discurrere planetas quos dictis de causis non est quod videre debeamus;nec non necessitate naturæ affirmare: similibus enim stantibus ijsdemq; principijs atq; causis; similes quoq; necessum est esse effectus & eosdem,perpetué & ubiq;.

CAPVT V.

Cur soles non eclypsentur, & quod intermediāte maiore opaconō sequat̃ eclypsatio.



On te perturbet tantis Telluribus, atq;
Tam multis circum vastum per inane repertis
Quæ cuiusq; fient medij iuxta atria solis
Quod non deficiant soles,non corpora opacent
Illorum ut nostri Tellus & Luna,magisq;
Cum tantum bina hæc habeantur sole sub isto

Subq;


Subq; illis opus innumera eſt reperirier;id cum
Suppoſitum fuerit ſe circum poſcere plureis
Vndantes terras ſolem unumquemq; vagari.
Icciroo multas oculum noſtrum inter & unam
Quamq; ex ijs, quæ abſtant à noſtris longius oris
Credere cogemur frequentius ire,ſimulq;,
Non inquam turbere, licet verum exſtet ut altè
Tellures numero ſoles maiore relinquant,
Namq; id non ſatis eſt,quinimmo nec facit hilum
Quod ſe interponant numeroſoq; ordine currant
Corpora telluris ſolari quoq; ſub uno,
Cum ſpecie conſtent furua tantoq; minore.
Corpus enim tenuat citius diſtantia opacum,
Quod quãdo uſq; adeo eſt oculũ intra & viſile lumẽ
Extremo medians poſitum diſtanter utroq;,
Vt conſumpta ſiet ſpectabilis orbita utrinq;:
Tunc veluti nihilo interiecto lumina tenſo
Directim radio excurrunt feriuntq; viciſsim,
Nec plus præpedient abſumpto corpore multa
Quam ſi unũ exſtiterit: quia nil nihilo adijciet nil.
¶ Immo & ſi fuerint maiori mole repertæ
Tellures,nihilo poterunt magis indupedire.
Da mihi diſtantem lucem ad ſex millia paſſûm
Flammæ quæ maior palma non exeat,& da
Ventroſum quamuis hominem ad tria millia qui ſit
Per filum medians oculum intra,& viſile lumen:
Nimirum tanta, paullòue minore feretur
Lux ſpecie,non ulla viri momenta manebunt.
Porro ac ſi nihilum mediet lux integra viſum
Pulſabit:quamuis tanti quoq; mille pererrent

Circa illud ſpacium, & tantum diſtamẽ id unũ eſt
Quando ſigillatim ſunt tanti & non coaleſcunt
In tumuli ingentis ſpeciem montiſue repandi,
Nam quamuis multi circa innumeriq; pererrent
Diſcretim neq; continuum conflantur in unum
Ii nihil ad lucis faciunt medij impedimentum.
¶ Si eueniat plures ſilo concurrere in uno
Noſtram intra aciem ac lumen pro tempore eodem,
Non plus proficiẽt; quia non plus pũctum erit unum
Abſcondens quàm tota latens puncto acta ſub uno
Linea; ſed tamen eſſe poteſt aliquando ut eundem
Concurrant plenè in cumulum tam multa ſub uno,
Momentum ut reddant abſcondere ſufficientis:
At quid poßibile eſt rarum inſolitumq;, remotumq;
Ex oculis ſecli quantum quod ſidera ſeptem,
Pluraq; (ſi liceat quoſdam adiectare cometas)
Huc tandem adcurrant, ut punctum prorſus ad unũ
Signiferi ſpectanda ſient aut area in una
Vnius magnæ tam multa in imagine lucis,
Cornibus impletis conformem ſingere lunam
Cornantur, uel quo Græcum faciant Omicronum,
Vel Thau Hebreum, uel ſignum Chriſticolarum,
Quæ fieri ſemel ad ſeclorum millia poſſent.

LEges quibus ſenſibile eſt corpus lucidum ad opaci corporis differentiiam nõ agnoſcit vulgus. Nos ad claritatem viæ qua poſsit ad multarum rerum cognitionem deuenire, & excutere ſomnium & nebulas plurium phantaſmatum quibus circumuenitur ingenium. Heic quædam conſideranda proponimus quorum.

quorum. ¶ Primum est quod corpus opacum non eadem lege tenuatur si fuerit unius coloris atq; alterius ut eius sensus eminus expositi dispereat: color enim unus plus mouet sensum quàm alius. ¶ Secundum Corpus lucidum non eodem ordine extenuat per maiorem distantiæ diametrum sui corporis atq; opacum. facula enim ad multa milliaria visibilis est in eadẽ mole unde ingẽtis opaci species nulla est. ¶ Tertiũ. Corpꝰ p̃ se lucidum longe incomparabiliterq; magis atq; eminentius seruatur in sua magnitudine & virtute sensibile quàm corpus illuminatum quemadmodum super imagine lampadis in speculo diximus & ea quæ est in igniti seu flammæ ipsius. ¶ Quartum. Quemadmodum nõ omnis lux æquè est intensa sed iuxta quosdam gradus quorum neq; nomen, neq; rationem, neq; numerũ habemus, alia fortior est ad mouendum sensum, alia imbecillior (iuxta illud quod etiam sensu vulgi receptum est. STELLA DIFFERT À STELLA IN CLARITATE: ita & eorum quæ per se lucent, ut eorum quæ per aliud, quæclariora splendidioraq; sunt, longius & melius talia atq; tanta videntur, qualia & quanta (& si maiore constent corpore) minus clara splendidaq; luce non apparent. Vnde non est via ad definiendum de corpore & globo maiore atq; minore ex magnitudine quæ oculis pręsentatur absq; eo quod constet etiã quibus hoc corpus lucidum vel omnino propter colorem visibile, sit gradibus, atq; illud.

¶ Quintum. Si ponatur A corpus minus & luminosũ & ipsum B maius & opacum : quandoquidem hoc non plus distat quàm interuallo A B, omninò ad oppositam partem occultabitur corpus luminosum A, iuxta rationem duarum linearum A K comprehendentium corpus B, sub angulo K A K. Quod si corpus opacum maius elogetur à fixo minore, interuallo A C: tunc ratione qua corporis opaci vel minus lucidi diameter ob



O
O
F
N
N
E
M
M
D
L
L
C
K
K
B
A

distantiam est attenuatus, comprehensio illius erit sub angulo L A L; sic gradatim magis elongato corpore p interuallum A D, comprehẽsio erit sub angulo M A M; quo ad usq; per interuallum A E sit in specie eiusdem quantitatis: inde in G sit minus, in H sit minimum, in I sit nullum. Vbi valde manifestum est quemadmodum quanto magis anguli comprehensio minoratur, tanto lux ipsius corporis A ad oppositæ partis illuminationẽ plus amplificatur; & defectus seu eclypsatio quæ est à corpore opaco plus extenuatur, ut tandem ultra certũ interuallum quantum est AH, desectus lucis sit nullus. Itaq; à puncto I si quis respiciat, corporis opaci B nullũ omninò habebit sensum.

¶ Illic in tanta distantia quæ est A I corpus opacum maius nullum est, lucidum verò A erit aliquantò extenuatum ut à forma circumferentiæ.11. ad formã circumferentie 22. Attamen opacum corpus ab oculo I versus lucidum A interiectum si propinquius ponatur versus I ut in H, G, F, E, tunc iuxta maiorem minoremq; propinquitatem magis & minus eclypsaret ipsum: quatenus corpus propinquum maiorem facit angulum in oculo ex maiore sui diametri basi. Ex altera verò parte si lucido veniat usq; adeo vicinum corpus opacum maius, siue æquale, siue sufficiente sorte minus ut cadat in angulos ipsius maioris comprehensionis, tunc iuxta horũ angulorum magnitudinẽ (ad cõstitutionem umbrarum quarum basis est in corpore opaco & culmen in infinitũ magis sese amplificando adsurgit versus I) corpus lucidum à viciniore opaco defectus patietur minus atque magis. Et aduerte quod dico (in angulos maioris comprehensionis; quia non omnis seu quantæcunq; comprehensionis omnino ad lineam infinitam A B C D causant eclypsin: Corpus siquidẽ opacum quòd est in C ut in elyptica Lunæ causat defectum in orbe & oculo existente in D ut in Tellure sed multo minorem in E, usq;

ad

ad minimum in H, nullumq; in I. Itaq; versus ætheream regionē à centro solis producta linea per centrum lunę & telluris, in cuius lineæ altero extremo quod capiatur in regione ultra synodum huius solis apparebit astrum A minoratum quidem, sed nullum ab huiusmodi interiecto patiens defectum omnino.

¶ Posito ergo casu quod tellus & Luna sint duo astra æqualia ut D, accidet tamen nihilominus ut horum alterum sit minus ex iudicio umbræ seu per radiorum solarium comprehensionem. Luna enim cum opponitur soli A reperitur in distantia F vel G, ubi propter illud interuallum diameter eius visibilitatis est tanto extenuatior ut tāquam corpus minus cadat in umbram Telluris quæ est habens basim in Tellure D. E contra verò si accidat propiorem esse soli quam Tellus; iuxta rationem etiam qua minus plusq; alongatur à sole maiorē minoremq; umbræ suæ impressionem faciet in corpore Telluris & deliquij in corpore solis. Neq; propterea erit minor vel usq; adeo minor quàm Tellus quia non ad eos usq; fines descendit ipsa sub solem intermedians ut tantam de se eiaculetur umbram: neq; etiam usq; adeo ad solis ascendit propinquitatem ut eundem effectum oppositam propter caussam sortiatur. Illic inquam maior esset eclypsatio solis, tum quia ultra certos terminos esset soli proximior, tum quia ultra certos alios esset proximior Telluri. Est ergo intermedium quoddam spaciū, in quo quanto soli sit proximior tāto propter recessum à nobis amplius minoratur.

Oculo enim nostro constituto in QR maior erit Luna in distantia MN q̈ in distantia OP, minima erit in KL, nulla verò in I ad multam (haud quidem iuxta æqualem rationem ut in typo designatur) latitudinem quoadusque iuxta rationem quam artificialiter definire non possumus (quandoquidem non paribus numeris augetur ad affectum solis atq; nostrum, propius accedendo ad

solem



B
A
D
C
F
E
H
G
I
L
K
N
M
P
O
R
Q

ſolem & propius ad noſtrum oculum proximando) Spacium illud ſuperegrediens à ſole adeo minore diſpeſcatur interuallo, ut per diuerſam cauſam defectus in ſole experiri poſsimus. A diſtãtia enim quanto (vel circiter) eſt G H ab R Q incipiet ſenſibiliter ſolem afficere, iuxta magnitudinem diametri G H; propior iuxta magnitudinẽ E F; proxima iuxta magnitudinẽ C D. iuncta, iuxta magnitudinem exempli gratia A B, ſi minus eſt corpus, ſi vero æquale vel maius, omnino occultabit. Itaq; aſcendendo, & deſcendendo poſſet ad æqualitatem uſq; & ultra ſolare corpus eclypſare. Vbi nõ eſt etiam prætereundum conſiderare quemadmodum luna ad oculum noſtrum propinquius accedens, etiam minima reſpectu Solis & Telluris eclypſaret Magis aliũ q̃ppe effectũ facit magnitudo interiecta vicinior oculo unde unius ciceris corpus totum reddit inuiſibile hemiſphærium & iuxta totam ſuam magnitudinem inumbrat corpus cui inhęret qui nullam aliquantò remotior factus imprimit umbram. Hæc uſq; adeò ſunt in prõptu & coram oculos noſtros expoſita ut nihil euidentius eſſe poſsit; ſic item parum conſiderata ut planè à nobis propoſita omninò nouiſsima & paradoxa exiſtimẽtur; ea tamen ſunt quibus facillimè & certiſsimè ad vanitatem vulgaris philoſophiæ detegendam ſingulariſſimè faciant; & ab inani ſtudio atq; laborioſo (quo laterna per Solem miſeri perditum queritant cerebellum) eximere & continere poſsint eos qui veritatis fuerint fælicius ſtudioſi. Sed ad propoſitum. ¶ Quamuis ergo eſſet corpus ſolari corpore maius vel illi æquale, ad latitudinem tamen intermediantis diſtantiæ poteſt uſq; adeò eſſe propter ſuæ opacitatis conditionem minorata eius diametrus ut corporis minoris referat conditiones tum ſolari tum terreſtri mole. Corpus quippe opacum multo minus quàm ſit lumen (eminus ab utroq;) interiectum inter oculum & flammam ardentem ad rectam

lineam

lineam ut in puncto I. æquè atq; si nihil interijciatur nõ apparebit, ut si ad duo millia passûm recta linea transeat per caput unius bouis in facis flammã ne minimo quidem in puncto bouis caput multo maius interiectũ defectionem faciet à medio. Vltra verò certam distãtiam versus lucem adpropians plusq; usq; ad totius obscurationis effectum promouebit. Ex quo non sequitur corpus opacum fieri magis visibile vel maioris diametri ad uisum: sed quod lux magis à corpore opaco afficiatí. Itaq; non videt oculus umbram sub specie & natura corporis opaci quę diu ante adnullata est: sed sub ratione illius effectus à corpore opaco qui est maior vel tandẽ maximus in Sole ne ad oppositas partes sui transmittat speciem.

Ex ijs inferri potest ut etiam vicinius corpus velocius moueri (cæteris paribus) videatur, remotius verò tardius, remotissimum verò tardissimè immo etiam stare, apparebit. Hinc ex rationibus moræ via est ad iudicandum de maioritate & minoritate distantiæ & magnitudinis sensibilis aliquo pacto: & Mathematici benè quidem acccedunt ad exactum iudicium lucis & tenebrarum & moræ in eclypsibus. De vera autem realiq; corporum quantitate loquentes numquam non delirant; neq; enim absq; à nobis explicatis principijs quicquam est quod sapienter possit definiri. Hæc tamen definitio ab eisdem in mathematicis terminis consistentibus non ita requiritur quemadmodum ubi ad physicè aliquid inferendũ procedũt. Porro de reali corporũ istorũ magnitudine absoluta à naturali petẽda est doctrina. de ea vero quæ ad eclypsiũ propositũ apparet à mathematico.

CAPVT VI.

De analogia & vicissitudinibus quibus Luna & Tellus certa quadam lege se habent inter se

ter ſe & ad ſolem. Quodq; definita eſt diſtantia maxima & minima inter ſolē & ſuas Tellures. Non eſſe rationem iudicandi de magnitudine aſtrorum.



Nde autem obtenebrat Tellurem Luna viciſsim
Ac Lunam Tellus, quia ſunt ſtatione propinqua
Vſq; adeo ne ſit ſpecies tenuata rotunda
Vmbrai tereti qua ſe producere cono
Cogitur à lucis maiori corpore, uel ſors
Aequali, uel ſors aliqua ratione minore
Quæ tandem adſciſcat maioris conditiones
Atq; ſuperlatim magni; quia grandius ipſum
Fit minus, ac minimū, ac nihilū, plus plusq; recedens.
At ſpecies lucis nihil, aut modicum tenuata eſt.
Ergo ad reſpectum lucis diſtantia tenuat
Corporis obſcuri molem, uelut adq; oculorum.
Quare etiam ut fiat quod dicitur eſt opus ut ſint
Certis diſcretim numeris diſpoſta, nec ullam
Sol Terram uſq; adeò patitur ſibi ſtare propinquam,
Vt rapido in cineres cremando calore reſoluat.
Et corpus quanto minus eſt quàm terra; minus quit
Ferre æſtum, veloxq; magis, fit & abſq; quiete.
Vt quoties Luna eſt quandoq; propinquior illi
Quàm Tellus, toties quàm Tellus fit magis abſtans.
Hinc ſequitur nuſquam ſoli cuicumq; propinquum
Vſq; adeo obſcurum pote corpus adeſſe, ut & eius
Sic lucem excipiat, ne ſe ultra anguſtius arctans

Vmbra

Vmbra caput figens Telluri & ad extima caudam
Proiiciat teretem sensim tenuando figuram,
Sed tenui adfixa Terræ radice resurgat
Excrescens, populetq; modo sensim æthera nullo.
¶ *Lucis præterea leges ad corpus opacum*
Nusquam perspectas capiunt commenta sophistæ
Nam exiguum corpus lucens virtute recessus
Huc ueniet tandem ut absumpto corpore opaco
Oppositam radios in partem mittat, ut & nil
Esse intermedium quisquam putet inter utrumq;
Cum tamen intra oculum & lucẽ filo exstet in uno
Si recte medians ingenti corpus opacum
Mole sit in nihilum prospectu ab utroq; redactum.
Lunaq; si quantum est corpus fulgeret ut alti
Orbita solis: ut hinc nocturna luce tenebras
Absq; ullo dubio medio dispellit ab orbe,
Ipsaq; tantundem quantum ualet orbita solis
Seruaret tanto molem intemeratã recessu
Et plus quam medium terræ comprenderet orbem
Ac demum totum ueluti monstrauimus ante.
Orbita fingatur tibi solis corpus opacum,
Nimirum multo minor illinc corpore lunæ
Spectandus foret ut multo distantior illa est
Et terræ multa Phœbea luce nitentis
Proptereaq; magis seruatum ut mole sua stet
Opposita è regione quibus se interiicit illud
Phœbeum corpus cum sit tenuatius, haud plus
Vmbrabit tanta corpus terræ è regione
Quàm solem Tellus interdum Lunaq; inumbrat.
¶ *Ex iis consequitur quod quæ de solis habemus*

Mensura astrorumq; aliorum haud firmiter esse
Producta. Hinc licet assertum uerè atq; repertum
Confirmem nulla massam Tellure minorem.
Prætereaq; licet species uicina Planetæ
Consimili apparent mensura atq; astra superna,
Non tamen hinc sapiens rationem colligit horum
Corporis ad quæ sunt tam scintillantia longè:
Namq; etiam si sint ualde istis illa minora
Aequam seruabunt speciem tamen ac superantem.
Flamma etenim uerax directim ad lumina claros
Emittens radios proprium seruare tenorem
Continuat, proprij quoq; conseruans diametri
Momentum: Speculare autem radijsq; reflexis
Adsimulans corpus flammam mirè ocius orbis
Vanescens tenuat speciem, lucisq; colorem
Hebetat. Hinc non sunt naturæ differitate
Oppositi Martis duo Saturniq; colores,
Atq; aliis uariè intensi, uarieq; remißi,
Felici magis atq; minus quia sorte propinqui
Oceano obuersi lucis trita æthera sulcant.
Signum. namq; alibi Mauors feruentior exit,
Mitior est alibi interdum quoq; Iuppiter, atq;
Dia Venus candent; at uero suauius ut fert
In specie natura loci. ¶ Quid densior est pars
Cœli stella tibi, ut transmittat Lumina? Numquid
Spissantur magis atq; minus? Cur hæc aliena
Splendent luce, suo gaudent ea lumina semper?
Si ratio lucis propria à densamine lata est?

DIstantiam inter solem & lunam & quamcunque Tellurem oportet esse tantam, quanta vehementiorem caloris vim possit illam sustinere : est quippe ingens solis sphæra quæ ignis potentissima efficacia hæc omnia corpora dissolueret nisi se motu & gyratione tuerentur, ut motibus pluribus velociusq; agantur proximiora. Inter hæc verò & solem si quæ deueniant quæ nequeant tanta se rapiditate conuertere, vel ita parua mole consistant ut nimis cito debeant eandem corporis partem eisdem exponere radijs, statim cremata à violento in suas atomos peritura dissoluerētur igne. Longius ergo distare hæc astra à sole necesse est, quam ut eclypsim ad uniuersum æthereum subiectum campū pati possit ille. Si tamē tanta respectu illius corpora sunt ut plus valeant decolorare in sole quàm aues circum eā volitantes in distantioris turris facie, vel cymbæ possint circa eminus expositam nauim numerari.

CAPVT VII.

Alium esse mūdi ordinem omnino quàm vulgi ponat imaginatio; ex triplici mundi significatione, Vna pro astro, Alia pro astrorum synodo, Tertia pro uniuerso.

NEc mentem sanam phantasticus ille reposcit
Sphærarum ordo astri reuehentum corpora multis
Ceu alibi monstrasse satis reor, èq; relatis
Ingeniosa potest mentis deducere virtus.
Ad solem medium non est mage proxima Luna

Quam Tellus, cyclum capias geminũue, vel astrum.
Mercurius tantum opposita de parte recedit,
Atq; Venus, similiq; modo circa atria solis,
Temporeq; efficiunt annum parili atq; vicissim
Vt Luna, & terra hinc illinc collata videntur.
Hinc est quod numquam splendorem solis opacant,
Non oculos inter nostros ipsumq; videntur,
Nec veniũt umquam, siquidem foret inde necessum
Vt cum Tellure ac Luna collisa ruinam
Inferrent, caperentq; vel excusatio docta
Si arcus illorum gyri cupit esse recuruos,
Vtq; refrenatos, inter solem hosq; recessus,
Nimirum corpus mundi tantiq; Planetæ,
Tam prope nos (ubicunq; siet sub tegmine solis)
Non debet specie multum quam luna minore
Apparere, umbræ ac lucis discrimina dorso
Designare suo, ceu Tellus Lunaq; monstrant.
Porro tam multum distant duo sydera, ut omnis
Partis adumbratæ species decesserit, atq;
Lux perseuerans sensim amplo ex orbe repressa
Splendentis gyri modicum conceperit orbem
Fulgentem ex toto. Quapropter collige certo
Vt solem saltem medium distantia linquat
Illorum à nobis; quæ cum sibi tam prope semper
Constent, ut luna ac Tellus velutiq; cathena
Consimili contenta sient capiantq; recessus
Ad læuam, ac dextram pariter, sursum atq; deorsum:
Quis dubitat simili vita, vicibusq; meare
Cardine de opposto eiusdem veluti diametri
Sic medium circa solem ne occurrere possint

Tellu-

Telluri ac lunæ & sortes vitæ indupedire.

PLuries aperuimus ut mundus nō ordinetur neq; ordinari posſit ſecundum naturam vel ſecundum rationem (neq; ex merito & conditione principiorum; neq; ex merito & conditione eorum quæ ſunt ex principijs) eo pacto quo vulgus philoſophorum cū Ariſtotele ponit.

CAPVT VIII.

Motus annuus omnium Planetarum circa ſolem vel æqualis eſt vel prope æqualem.



Ec fortaſſe magis multo abſtant à mediante
Iuppiter, ac Mauors qui dicta pro ratione
Ne occurrāt cuiquam ex aſtris quæ diximus, orbem
Obliquum huic noſtro peragūt & tempora ſeruant
Continuè parili circum properantia paſſu
Ne coeant unquam in nodis ubi proxima fiant
Vltra præſcriptam metam, tardeq; reportant
Telluri reditus ſpeciem ad primordia gyri,
Signiferi ſiquidem obliquato calle feruntur
Et ſic imparibus numeris ne tam cito rurſum
Conſimilem capiant ad ſidera diſpoſituram.
Non tamen iccirco ſolis momenta reuiſunt
Tam ſero illa eadem, quibus anni diſtribuuntur
Sed propè vel tanto, quanto nos tempore, & orbis
Lunæ, Mercurij & Veneris: ſed particulares

Excursus velut ad Terram lunaris abunde,
Confundunt normæ faciem circa atria solis
Illorum quæ obliqua meant ad lumina nostra.
Dißimili Saturnus agit gyramina lege
Si uera sunt isthæc oculis bene peruia nostris,
Pleraq; sunt circa hæc oculis quandoq; reposta.
Plurima perpetuo credenda latentia cursu
Quæ non ad speculi veniunt rata munia nostri.
Innumeri sursum soles qui fixa putantur
Astra, quibus circum errantum ceu diximus esse
Multa sigillatim ratio ac natura fateri
Cogunt. Iudicium moles citimi atq; remoti
Vnica constituit sensu multoq; refirmat.
Sic spacium immensum sole & tellure refulget.

CONueniens est omnium planetarum motum circa solem annuũ esse vel æqualem, ut Lunę, Telluris, Mercurij, Veneris, qui sunt in eodẽ circulo. vel quasi æqualẽ si sunt circuli ut esse possunt obliq; ab hoc circulo sicut certe triũ supiorũ quos dicũt Martis, Iouis & Saturni qui propius vel longius accedunt ad horum conditionem qua nobis etiam sunt visibiles, oportet ut non usq; adeò distent à Sole, & consimilia cùm sint corpora non usq; adeò dissimili egent contẽperamento, ut annus illorum tam mire maior sit anno istorum circa Solem. Iam geometræ si (habita ratione qua planetæ non sint mutuum impedientes & implicãtes in motu circa Solem (ad uniuscuiusq; vitam) peragendum) ordinent circulos se intersecantes iuxta rationem qua obliquantur declinationes illorum trium, quinetiam illorum (quos comatos videmus) qui secundum partem temporis & loci possunt lucem à sole con-

ceptam

çeptam ſpeculariter ad noſtrum reflectere mundum, intelligantq; Tellurem ſic pergere cum circumſtantibus circa Solem:tunc cũ conditionibus huius motus iungãt conditiones illius motus,videbunt non itaſe habere circa Solem tardos in annuum motum ſicut tam ſero ad eundem circa Tellurem aſpectum recurrunt, quo annuus eorundem motus computetur.

CAPVT IX.

De ordine elementorum in compoſitis, & de ordine compoſitorum in uniuerſo. Vt omnia in omnibus.

*Ol vero & tellus ſunt prima animantia, primæ*
Sunt rerum ſpecies,primis conflatæ elementis,
In ſeq; archetypum cunctorum compoſitorum
Comprendunt,coeunt ubi ſic humentia ſiccis
Partibus, inq; ſuis interiecto aere primas
Concipiunt,magnas quo ſunt mage vaſta cauernas.
Quod latet in paruo licet in magno ergo videre,
In totoq; patet quod pars occultat ubiq;.
Perſentire etenim licet omnia in omnibus eſſe
Vt captu quæcunq; ſuo quidcunq; putentur.
Nam præſto eſt natura,velut facit omnia ubiq;
Omnibus & certè de internis materiei
Explicat omne:ſed hoc phyſices ſpeculatio nobis
Expediet.Tantum nunc id meminiſſe iuuato
Vt mundi & ſpecies quæ in mundis comperiuntur
Plantarum,lapidum,completorumq; animantum,

Atq; horum partes ijſdem conſtant elementis.
Imo etiam membris quæ certa proportio clarat,
Quapropter plantæ& lapides & machina tota
Telluris,venis,neruis,carne,oßibus,atq;
Iniecto gaudent medio ſpiramine,ut & nos.
Nec non Tellurem,& lapides radicibus,atq;
Stipite,diſpanſis ramis,& frondibus ornat
Vt genus arboreum partes. Dein flumina, montes,
Valles,& lapides,& ſyluæ, & flamina venti,&
Fulgura,concretæ & nubes,pluuiæq;,niueſq;,
Et quocunq; patent maiori in corpore mundi.
Hæc itidem in ſe ipſis capiunt animantia quæq;
Expreßè,& plantæ & lapides:licet omne latenter
Heic ubi ſe ſpecies confuſa in imagine miſcent
Nec tam ſe facilè explicitant ex omnibus ipſam
Expreſſam in ſpeciem,ut puluis fit rana repentè
Excoctus ſole,ut primum gutta inſidet illi:
In vermes tota aut muſcas ſubſtantia abibit
Stercoris, in veſpas corpus vertetur equinum,
Prouida apis totoq; bouis de corpore ſurgit.
De occultis formica venit,mus,tinea,ſerpens.
Non minus omne vehit totum per ſingula: namq;
Non eadem rerum facies,latet amplius uno in
Subiecto quantum in reliquo magis explicitatur.
Nec fœcunda minus lapidis,puluis,cineriſq;
Natura,ut ſubiectum plus informe videntur.
Nam mage propterea ſpecies vertuntur in omnes
Quo definitæ ſpeciei conditione
Sunt affecta minus,tritici nam informe ſubactum
De puluis forma triticum vehit uſq; opulenter;

Semine

Seminè deq; uno quia surgunt semina multa
Cum cumulis, calamis, spicis, cæcis & aristis,
Cumq; istis multa quæ fit sine nomine parte.
Haud homo fit de hominis cõcreto corpore sed de hoc
Quod de se emittit, quando se corpore toto
Concupit in corpus peregrinum fundere; tunc fit
Semen ut hoc sit homo ex homine pro posse reuulsũ
Quod propriam explicitet formam si fata fauebũt.
Ardor consimilis cunctis quo se ipsa propagent
Congeneam in formam; licet istud posse videre
Largitum est paucis defectu luminis, ut sunt
Per magis atq; minus certa in ratione locata.
Singula propterea numeris collata decenter
Sunt genera, atq; horũ monas est substãtia ut unum
Omnia sint verè, at per singula multa videntur
Dixit Anaxagoras triquetræ senior regionis
Abstractoq; magis sensu, & ratione profunda
Dixit Anaximenes, diuinus Parmenidesq;:
Porro hic discipulus physice tractando deinceps
Transtulit in diadem dicens contraria lucem
Ac tenebras; frigus concretum hinc, inde calorem:
Hinc terrã inde ignem: Quia Tellus solq; ministrant
Omnia, & in similem formam quæcunq; genuntur.
Quare iudicium mundi de corpore ab hisce
Quæ constant oculis nostris comprensa capesse,
Et similem referant expreßè composituram.

ALiàs de hoc ordine rerum repetimus ut Mercurius & Venus non sic ordinentur, ut posſint fieri nobis sole propinquiores ullo pacto, neq;

est astrum ullum conspicuum (de occultis nil definio) quia aliquid obseruatum referam ubi de cometis rursũ q̃dã subijciẽtur) prẹter lunã quod vicinius nobis sole fit. quod si esset in tantam vel propè tantam conueniret ap parere magnitudinem quę Solis ita corpus ecclypsaret sicut Luna, cum mundorum molem natura illis conscripserit; & rationibus dictis non porest astrum multo esse soli propinquius quàm Luna. Multa, immo innúmerabilia inconueniẽtia & totius lucis naturalis impedimentum iuducit ignorantia motus Telluris & naturæ eius. quæ cum multis se prodat signis naturam subinde suis uerbis & phantasiis obligant & mille circumferentiarium & orbium generibus implicant, magis adtendentes ut suam verbis & fictionibus excusent ignorantiã semel imbibitam quam ut ad naturæ legem se corrigant & sapiant. De ordine elementorum & partium in astris nolumus amplius repetere.

CAPVT X.

Iterum inculcatur differentia iuter uulgi sensum & nostrum circa seriem naturalium.



Vnc spectare licet quam crasso insania sensu
Demanet vulgi dum ampullas proijcit istas.
Orbes astriferi, nitidi sublimia cæli
Immunis senij, & vultu immutabilis, uno
Perpetuum seruat solida & sincera tenore:
At quidquid gremio lunæ complectitur orbis
Permutat uariatq; uices trepidoq; tumultu
Aestuat, & numquam sentit pars ulla quietem.

Quat-

Quattuor includit quia pars hæc infima mundi
Quæ in sese ruitant ciuili uulnere semper,
Vt cadat & perimat, pars quæq; iterumq; renascēs
Rursus ut intereat crescat. Iacet infima Tellus
Hanc undæ cingunt, quiq; undis altior aer
Incubat, & volucer campos super aeris ignis.
Ingenium duplex studia in contraria tendit,
Natura atq; deus stupidi per dogmata uulgi:
Nam iubet in medium terram glomerarier orbem,
Natura & circum amplexu se mobilis humor
Fundat puluereamq; coerceat undiq; molem
Et supra humorem sese explicet altior aer
Qui sursum impellatq; leues onerosior ignes.
Contiguis inter se hærere hæc finibus, illa
Præcipit ut totis complexibus interiorem
Ambiat & toto circum se corpore fundat
Exterior. Sed qui rerum moderatur habenas
Prospiciens hominum generi patefecit apertam
In cælum terræ faciem, quoq; fontibus undas
Compreßit certis, voluit se adtollere montes
Vallesq; immergi, massam ingentemq; cauernis
Hiscere, & ingentes humori aperire lacunas.
Atq; ita præscriptos elementa coercita fines
Concipunt. Cæleste genus, terræq; colonum
Suspectat cælum vitæ dum vescitur aura.
Tantæ molis erat numen mortale creare.

SI multarum nugarum iuuat relationibus & discursibus oblectari, vade ad ea quæ in somnio Scipionis, & Platonica illa mysteria atq; Peripatetica, q̃ valde conuenienter illi Somnio applicuit Macrobius.

CAP.

CAPVT XI.

Sententia propria circa proximé ꝓpositū.



Tqui ego qui didici naturā extollere numen
Hancq; Deum in rebus credendam & nominitandam
Hos quoq; iudicio possum comprendere certo
Quàm nimium multa brutescant cum ratione.
Nam cur natura possunt hoc esse putare
Quod non æternum est, quod non est tempore multo,
Non præsens, non præteritū est, nō est pote deinceps,
Quando quidem haud tales patitur natura recessus.
Et si sint purum in corpus resoluta elementa
(Quod tantū præstat logicorū, & techna mathesis)
Quandoquidem vacuo venientia in æthere posta
Vnde habeant sese ad medium conferre recessum;
Ex ijs terra leuis magnum per inane volabit
Vanidus est etenim puluis, sparsusq; priusquam
Officio lymphæ partes cum partibus una
Concurrant, auræ rapiuntur flamine, per se
Quo deportentur dubiæ, sed ob aeris actum
Huc illucue meant atomi. nam corpus arenæ
Concretum quiddam est unda cogente lapillus.
Namq; in eo digitis quod tritum acieq; receptum est
Luminis, & partes certe cum partibus hærent
Lymphæ interiecto nempe adglutinamine constāt.
Multo etiam est puluis concretus corpore lymphæ
Cui non sit species oculis imperuia nostris,
Siccus quantumuis forma exteriore putetur:

Sub-

Subiectas tamen ille sibi superadnatat undas
Nec prius obductis fundo submergitur illis
Quàm fiet imbibito humorê suffusus, ut ipsum
Quod grauius demum uideas descendere non sit
Puluis, sed latum lympha dominante grauescens
Compositum: qualis quæ ponderat omnis arena est
Quidquid & effigies condensæ effingit arenæ.
Ponderat ergo nihil quod non concrerit in unum
Partibus innumeris merito coeuntibus undæ,
Quippe atomos uincire suum est, uinctasq; tenere,
Ne incerto appulsu volitent per inania regna.
Quinetiam quidquid multa est grauitate celebre,
Quo in genere apprimè concessum est esse metalla,
Communi sensu substantia dicitur undæ:
Quiq; iis affini lapides grauitate propinquant
Plus referunt solidè concreto corpore lymphas,
Non quæ plus referunt terræ grauiora putantur
Nec sunt: nempe ipso non est magis aere talis
Corporis iniecto uacuas complente cauernas
Quo se sustineant etiam composta supernè,
Quando erit inclusus, non hac trudente repulsus.
Vndæ est propterea medium retinere, basimq;
Credi Telluris, partesq; ipsius in unum
Adglomerare globum in tali seruareq; forma.
Exerti firmo non starent robore montes,
Non imum ingenti appeterent sulcamine ualles,
Non uaria interius foret acta spelunca, & hiatus.
Non quæ tartarea eripiunt se flumina ab aluo,
Tartareamq; eadem rursum conduntur in aluum.
Se claro efferrent in apertum gurgite cælum,

Suspen-

Suspensasq; uias reperirent ni sibi longo
Starent proiectu tecti obliquante canales,
Atqui puluereum in cumulum foret omnis adacta:
Informi, ac simili prorsus foret undiq; uultu,
Serpere ne possent ramosoq; ordine venæ
Integre ad minima usq; ingens perfundere corpus
Vt uelut arteriis fiet, ossibus, atq; medullis,
Fibrisq; & neruis compactum, & viscera cuncta
Spiritus aereus partim, partim igneus aptis
Digerat ordinibus, foueatq; & temperet alto
Naturæ ingenio numeris dictante, Proinde ut
Effectus vitæ clueret, magniq; animantis
Iret in aspectum mundi genus atq; figura,
Vitaliq; daret gremio genitalia rerum
Ordia. Quapropter species enixa stupendas
Vndiq; perpetuò ac refouens in quamq; recurrit
Vita omnis seruanda alijs speciebus, & ortus
Integrè ad alios actu reditura parentis.

NOs iterum naturale illud tantũ cognoscimus, & cum illa serie arbitramur quod semper fuit, & est, & non potest aliter esse. Quod experimur & oculis manibusq; contrectamus. Sic aquę est concreta corpora reddere, ignem pascere, & fouere; ignis subinde est lucere & calefacere uno modo; aquę est lucere & calefacere alio modo; qualem si ita in cælis aspicimus ut & à cælo, heic despiceremus, quare ergo ad essentias illas quintas & mirabilia illa portenta?

CAPVT

CAPVT XII.

Non omnia quæ uiuunt eandem habere membrorum speciem, sed idem omnino genus, Tellurem uiuere, parteis itẽ eius, & omnia in ipsa. Manifestum à minore ad maius sumpto argumento ex lapidibus.



St animal sanctum, sacrum, & venerabile, mundus:
Quoq; animante animans est quidquid viuit in ipso:
Effinctum membris melioribus atq; beatum,
Nobiliore animo, fortuna, ac fine profectò.
Ne temere ad numerum sapientia prisca deorum
Tellurem referat retinentemq; atria cæli
Lucinam Cererem, & Rheam, nihilominus astrum,
Astra inter fratris radians quod lumine Phæbi est.
Ergo non aliter partes elementaq; constant
Naturæ in gremioq; valent propriè esse locata
Quàm veluti dictum est capiatur in omnibus omne.
¶ Siq; habeat medium, medijq; capessere vires
Vnum de quatuor, primum fiet unda necesse est
Quæ firmet teneatq; simul coniuncta atomorum
Corpora, quæ solido nexu, muroq́; cauernas
Concludat, teneatq; intra seramina clausum
Aera, compedibusq; ijsdem retinere fugacem
Ignis naturam poßit, refouereq; auarum:
Si tamen est ignis pote quicquam ubi nullus aquai
Perstat adeps, puluim in tenuem dispersa volarent
Corpora prima igitur nisi virtus sisteret undæ.

Hæc

Hæc igitur basis est, radix, fundamen, & archi-
Tecti omnis paries, solidum circum undiq;, & intus
Concretum robur, substantia totaq; rerum
Credita: Non ne arentis subit illa profundum
Cum superessusa in puluim cadit, an potis ipsum
Extremum retinere, mari superadijciendo
Vt terræ substet solidè impenetrabile tergum.
Concretam ebibita est opus hāc dare semp̄ ab unda,
Dumq; illi exsuccum atq; ideo rarū, exq; gregatū
Subijcies corpus, si contingatur ab unda
Illud idem est opus ut penetrantem sorbeat, usq;
Ad fundum. Fundum ergo tenet vis maior aquarū
Heic ubi constituas corpus penetrabile massæ.
Effuge adhuc medium: finge impenetrabile corpus
In medio, hoc minime posses quoq; fingere simplex
Ni vel concretam extremo pro frigore lympham
Aut lympha corpus solidatum glutine solo,
Cuius duntaxat minima est elementa soluta
Nectere compactum corpus tripotenter in unum.
Spiritus ergo magis sapiens terram super aquam
Collocat, ut sensus Thaletis, dogmata sacra,
Omnis item ratio, mens, experientia firmant.
Haud opus est fidem stulto phantasmate inire
Commento plusquam in puerili uoce reficto
Vt quodcumq; loces medium, siet inde necessum
Quo circumfuso teneatur corpore corpus
Orbisq; exterior purè ambiat interiorem
Natura cogente, genus rerumq; negante,
Semperq; hanc retinente viam, metamq; uolente
Quam nixu æterno frustrata, haud adsequutetur,
Solli-

Sollicitusq; Deus contrà per singula partes
Torqueat, illa cupit medios sicca ossa tenere
Artus quem tangat nerui pellisq; pariq;
Quidquid compactum molimine cernitur inde
Succedant fibræ carnis speciesq; sequantur,
Humores crassi, & viscoso glutine tenti.
Hinc sanguis toto complexu apprendat, & istum
Spiritus inuoluat tenui reuolumine totum.
Sed Deus in medium vitalis flaminis auras
Contraxit totumq; alia contexuit arte,
Legibus atq; alijs, quam sunt primum illa creata
Concurrant, seruetq; suis violentia totum
Legibus, & pugnent non solum corpora semper,
Sed Deus & natura parens gemini efficientes.
Nomine naturam sic ficto apprendere, vimq;
Illius vocitare Deum & comprendere bellum
Vno in principio rerum efficiente profanum.
Nomine naturæ insignitumq; ordinis illud
Carpere quod vix constanter sibi somnia fingunt.
¶ Namq; etiam si dissidium contraria quando
Concipiant qui fit quo se amplectantur in orbem,
Et non diffugiant, centroq; & corpore toto
In proprium centrum conlectis viribus, unde
Sint proprij melius iuris, constentq; potenter,
Et melius semet seruent, obstantia pellant.
Sic & ab oppositis contraria quæq; uidemus
Diffugere & sic se constringere conq; globare
Proximiora sibi ut fiant, inimicaq; linquant
Longius & minus exponant sese amplificentq;
Hostili ferienda manu, prodisq; supatus

Amplius inuicto auertendo robore, ſiccos
Lubricat & nitidis depingit gramina gemmis,
Guttaq; ſic pendens modico ſe argentea circo
Suſtinet, atq; orbes inuito marte repandens
Decidit, atq; itidem per ſingula fragmina ſeruans
Indicium curæ eiuſdem. ſic ignis & unda
Subiectos formant mundos, quia nempe globoſa
In propriumq; ſinum paßim paßimq; recurua,
Quo aduerſa effugiat, capiatq; fauentia ſpicla.
Lunaq; ſe ad ſolem uultu conuertit eodem.

TEllurem & quodcunq; aſtrorum compoſitum ſit, etherogeneis partibus eſſe animal oſtendit ipſe motus, vita & vegetatio omnis quàm à ſpiritu vita motùq; illius trahimus. Oſtendũt item partes ita in ipſo corpore cõpoſitę queadmodũ cernimus in cuiuslibet animalis corpore venas, arterias, neruos, fibras, oſſa: ſtultum quippe eſt hæc ſola putare animalia quæ carnem eiuſdem habent ſpeciei atq; nos habemus, & ſanguiné, eſt qppe ſuus ſanguis in plãtis ipſe humor, oſſa, ipſa ſuſtantia durior, nerui fila illa quæ tenduntur; venæ occulti illi meatus per quos ſuccus puta ſanguis per compoſitum totum profunditur; alia itẽ ſpecies eſt in muſcis, araneis, vermibus, in quibus omnibus hæc omnia quæ noſtrum corpus conſtituunt, proportionali conſpirant conditione. Itaq; in Tellure non eſt neceſſum ut ſanguis ſiet concolor noſtro, vel deterioris coloris, oſſa ſint eiuſdem ſpeciei vel deterioris, venæ eiuſdem vel deterioris qualitatis, & quorum omnium ordinem ità explicatum habere debeamus ſicut & horũ puſillorum animalium. Tanti ergo numinis præſentia melioribus & auguſtioribus oculis obiectatur. Tãtum numen per ſe mouetur, longe melius & liberius quàm

quàm nos moueamur, ut in superioribus ostendimus. Non est Deus vel intelligentia exterior circumrotãs & circumducens; dignius enim illi debet esse internum principiũ motus, quod est natura propria, species propria, anima propria, quàm habeant tot quot in illius gremio & corpore viuunt hoc generali spiritu, corpore, anima, natura animantia, plantæ, lapides, quę uniuersa ut diximus proportionaliter cum astro eisdem composita membris, eodem compacta ordine, & eadem contẽperata complexionum symmetria, secundum genus, quantumlibet secũdum specierum numeros singula distinguuntur.

Quis non diceret lapides Telluris partes? lapillos Telluris particulas? in ijs tamen vitam, & sensum & mẽtis quædam semina experimur; Non fuit tam rudis pastor ille ouiũ Iudęorũ patriarcha Iacob, qui cùm schalã illã vidisset in somnijs, erexit lapidẽ, unxit lapidem & locum illũ appellauit sanctum; Non est (crede) lapis sine anima & sine (in suo genere) sensu, qui num fælicior nũ infælicior nostro, inexpertis utrumq; vitæ genus vel memoria tenentibus (qui neq; cursum istius in qua degimus vita maiori ex parte retinemus) non potest esse definitum: non est enim ab hisce externis vitæ conditio melioris vel deterioris perpendendã quod mobilibus constemus membris, quod procedamus, moueamur, externis hisce donati simus sensibus, quod plurimas sensibilibus exerceamus operationes; hæc quippe omnia & maiorjs indigentiæ sunt indicia & usualia. Lapidibus manus, pedes, oculi, & huiusmodi vel illiusmodi corporis exporrectio & formatio frustra esset. Putamus fælicitatẽ & pfectionẽ & bonũ cõsistere in ijs quibus nos fælicitari, perfici, melius habere & cõseruari experimur: homo sapiens hanc iudicat speciei non generis fælicitatem; ideo usuuenit apud vulgus tantum ut Deus pingatur in form &ã figuram hominis atq; cola-

tur,quem tamen ſapientes ſciunt non agere manibus, pedibus, oculis,motu, corporea mole & omnibus ijs quibus nos tum cõſtamus,tũ proſperè habemus. Hinc fit ut vulgus Tellurem matrem & progenitricem,atque noſtri conſeruatricem,& plaſmatricem (de cuius viſce ribus habemus viſcera; cuius e humore alimur, cuius vegetamus ſpiritu) non poſsit percipere ut ſit animal ſenſu & intelligentia pollens, quia eſt corpus abſq; ſignis earum actionum & paſsionum qualibus notiora animalia afficiuntur. Sed totum animal prætermittamus,& ut vulgus intelligat quod eum non decet intelligere non curemus interim. Atqui nos ipſos lapides qui maximè omnium quæ in terra vidētur ſine ſenſu & vita vulgo perhibentur,ut ſtupidum & inſenſatũ ad extremum lapidi comparet. Habent Theophraſtus & Mutianus & Plinius eſſe aliquos lapides qui pariant. Theophraſtus author eſt & ebur foſsile candido & nigro colore inueniri & oſſa è terra naſci,inueniriq; lapides oſſeos. Varro author eſt molas verſatiles Volſinę inuentas,aliquas etiam ſponte motas inter prodigia habitum eſt. Sunt & Plinio lapides qui vetuſtate rubiginem trahant.Morbos & ſenectutem pati notat Cardanus.Senio confectus Herculeus lapis ferrum non trahit,pedore etiam & ſqualore debilitari ut & animalia confirmat: obſeruauit creſcere lapides exciſos ijsq; maiores eſſe vires quàm animalibus & plantis,quamuis hæc clariore ad noſtrum ſenſum vita viuant. Mitto mirabiles virtutes eorum & ſigna quæ ego ipſe expertus ſum per ſomnia, per affectuum cõmotiones,repreſsiones,quæ nolo proferre quia apud ſtupidum vulgus ſunt incredibilia,licet heic non vulgus alloquar ſed ſapientes ſeu ad rerum cognitionem natos,quos de ijs quę ad experiētiā attinēt malo alios quorũ hoc pacto maior eſt authoritas ſibi adbibeāt teſtes.Audiāt Theophraſtũ,Damaſcenum, Serapionem, Annium,Vitruuium,Plinium.

Rela-

Relata item ex Antistene, Democrito, Catone Censorio, ex nouissimis Alberto, Arnaldo, Lullio, Aquinate, Rabi Abenezra, & aliis obscurioris nominis. Mitto de alijs reb. preter lapides in quib. etiã omnib. simpliciore corpore constantibus, & plus ad elementi speciem accedentibus quæ fugiendo contraria (neq; enim te ad Cizigi lapidem fugitiuum ablegem) & aliaquæ in conspectu totius Vrbis suo sempore refert Plinius, ille Plinius qui à grãmaticorum concilio pro mendace rerum naturalium hystorico damnatus est: persequendo conuenientia, & conseruando præsentia contrahuntur, extenduntur, conglobantur, vires exercent admirabiles, quas stupidonum vox naturæ instinctum appellando, nihil plus sub hoc comprẽdi nomine volunt, quã quod ipsorum amentia crassissima definiat.

CAPVT XIII.

Comparatio maris ad corpus Telluris ad etherogenei integri animalis compositionem dinoscendam.



Ec quacumq; uides maris alta volumina credas
Extremi partes conuexi corporis huius.
Nam superadtollunt se multa mole liquentes
Aurarum latices occulti nubigenarum.
Telluris pars est complectens parte superna
Montes, terrarum tractus, atq; æquora, adæquans
Alta cacumina qua despectat flumina & imbres.
Ergo nec multo terram pars illa recingit
Corpore, sed sphæra iacet intra viscera pressa.

¶ *Proinde ubicūq; tamē ſiet hic ſupereffluus humor*
Si mauis ſumma terræ ſtatuatur in arce,
Qui fit ut expendas plus hunc comprendere circum
Quam cōprendi intus? propriuſq; extrema capeſſens
Atria, quam medios appulſu ambire receſſus?
Nam quantum tibi cumq; putas debere putari
Oceanum, & noſtrum ad ſenſum maria alta relata
Vaſtam ad telluris maſſam, & ſtagantia in aluo
Interiore magis? Siquidem ſpiſſamine non tam
Eximio adſurgit moles maris iſta ſupernè
Subiectas linquens reſupino tergore arenas,
Quam ſit ab obiecta Tellure notabile pluſquam
Subtilis cortex, tenuis membranaq; circum
Ingentis pomi maſſam, vel ſalſa ſudoris
Corpore demergens ſpecies quæ animantia parua
Vſque adeo veluti ſublimi gurgite mergant,
Quæ ſuper apparet multo ſe adtollere cælo.
Indeq; comprendant ſpeciem hanc maris altifluētis
Alto ſubiectum humectare volumine corpus
Et mire ſuper intectum procerius ire.
Nec poſſunt ſenſu corpus ſuperare puſillum,
Inq; opus auguſtæ argumento ſcandere mentis
Et ratione duce (ut proprio cum corpore pontum
Contulerant magnum ſic) cum denſamine maſſæ
Hunc pontum referendo ſuum intimioris ut hilum
Inueniant tandem & diſcant maioribus ulnis
Metiri mundum, atq; oculis quodcunq; relectum
Concludat modicum primò, tandemq; nec hilum,
Cum ſpectanda ſubit ſine fine potentia & actus.
Sed rurſum corpus telluris contueamur

Et

Et videamus ubi tanta ipsum in mole pusillum,
Nec primò reputemus eam telluris haberi
Partem contectam maribus non ordine eodem
Distinctam in planum, valles montesq; superbos:
Nam quæ nunc pontus super occupat, hæc aliquãdo
Sydera tranquillo spectabant aere prona;
Et contra maris aspicimus vestigia celsis
Montibus impressa celsa usq; cacumina sursum:
Iccircoq; maris non plus valet esse profundum
Quam siet excelsi à sublimi vertice montis
Vsq; ad subiectas radices illius. Ergo
Accipiam quamuis celsum perpendiculari
Vix plus consurgit recta, quam poßit haberi
Magnorum excedens mensuram ad millia paßûm,
Millia conferta paßûm post hæc diametro
Telluris, veniatq; proportio lecta fideli
Mensura & videam num sudorq; extra animalis
Pellem, aut membranæ exiguæ spissamen habendum
In proprio genere esse minus quam sit mare in isto.
Postq; hæc in tanto meditabere corpore numquid
In mage demersis imisq; receßibus (unde
Flumina dißiliunt vastißima quæ maris alti
Instaurent facile speciem si fiat inanis
Alueus ille (una qui sic statione repressus
Arguit omne iterum ad magis imas ire cauernas)
¶ Non multa in ratione putem maiora reperta,
Stagna, lacus, fontes, fluuios, maria, oceanosq;?
Neue pusillus ego adsimiler maria alta putanti, &
Elatos monteis pomi illas asperitates
Roranti humore inspersas. Quas vix capit ipse

Tactus, & aspectus noster, reputemq; remotos
Ex oculis latices subtus nihilum, modicumq;?
Immo etiam quamuis tota hac in imagine Tellus
Interior siet ut tantum concreta tepore
Saxorum quocunq; modo corpusq; putetur,
Est etiam in tanto quantum est mare corpore terra
Nil minus ebibiti humoris fortasse magisq;
Quam sit disiectum fluitanti corpore ventis.
¶ Numquid præterrea ad mediũ nõ se usq; refundit
Consolidans mundi corpus vis insita aquai?
Quod si ita, nil minus accipies quacunq; subacta
In sphæra regione pari quæ ampledine mersa est
Comprendi humoris, terra absorbente latentis.
Nam veluti paullo perpensum est ante remota
Ex omni lymphæ specie terræ addita lymphæ
Vis multa apprimè est ut talem disposituram
Conceptasse queat qua partes partibus hærent,
Et plusquam unda iacet concreto pondere fixa.
In quocumq; loco Telluris quare ubi densam
Glutinat in massam partes terræ humida virtus
Quanto se expargit refluo mare corpore, non est
Quod minus humoris credas comprendier. ¶ Ergo
Si species maris ad totum collata feratur
Telluris sphæram, vix esse notabile quicquam
Comperietur & ijs undis collata profunda
Quæ stagnant aluo, refluuntq;, fluuntq; per orbem
Flexibus & miris protensisq; undiq; ramis
Totam perfundunt massam, repetuntq; suorum
Ordia deflexûm. Tamen hoc in corpore & omni
Composito, si confertur terræ unda soluta

Non multum in cumulum Tellus humore volante
Pulueris incurret volucris.
In tellure igitur non plus terram unda perambit
Vndanti ſpecie quam multa ad millia eandem
In ſpeciem interne teneat multo orbe repreſſam.
Sic in tellure atq; in Apolline periaculante
Ignitos radios nihilominus eſſe neceſſe eſt
Vt quæcunq; ſuper vis prædominetur aquarum.
Nam nuſquã & nihil eſt ignis citra humida, nec ſit
Principium rerum Moſi & Babylonibus, atqui
Lucem, undam, atq; umbram dixerũt ordia: nempe
Si quicquã ignis habet præter lucẽ, unda putãdũ eſt.
Flamma etenim nihil eſt niſi lux humorq; caleſcens,
Atq; ubi nullus adeſt humor neq; cernitur ignis.
Hinc lympha eſt illis rerum ſubſtantia tota
In quam atomi terræq; leues quoq; diſſoluantur,
Nempe atomi ad terræ ſpeciem tãtum eſſe putẽtur.
Omni igitur comprendo via ceucunq; rependam
Naturæ ſpeciem, atq; vices vultumq; perrennem
Ordo ut membrorum, ac primorum principiorum
Et numeri & vires alia ſub imagine ponunt
Atq; via ſophiæ ſpectandam nobilitatem.

MInima pars aquę (ſi ad totam comparetur qua Telluris corpus compingitur) eſt hæc quæ maris uniuerſi ſpeciem refert. Tanti quippe corporis ſpiſsitudo nihil eſt, præcipuè præter humorem, & ut dictũ eſt in præcedẽtibus & demonſtratum, tanta in toto corpore eſt aqua cum alio elemento quod terram dicimus, quãta etiam ſine terra eſſet, & hoc certum; ſub non magno autem dubio eſt quod fortaſſe minus aquę

ſine terra eſſet in pleriſq; partibus, neq; aer uniuerſus ſine aqua eſt, quinimo aqua eſt verè rarefacta, & humor quidam ſubtilis ille ſpiritus quo viuimus. ¶ Mare non eſt extra Tellurem, ſed interiora Telluris tenet ſi uniuerſum aſtri corpus inſpiciamus, ut ſæpe dictum eſt.

¶ Conſiderata item Telluris magnitudine quantũ putas hoc mare eſſet, à quo circum undiq; exurgunt montes, inſulæ, & montium capita ſcopuli? Dicearchus regum cura permenſus montes (ut refert Plinius) ex q-bus altiſsimum prodidit Pelion mille ducentorum & quinquaginta paſsũm ad perpendiculum; quæ dimenſio ad uniuerſæ rotũditatis ſeu diametri huius globi relata non nulla eſſe põrtio compræhendetur. Et eſt certiſsimum non plus intra mare immergi montes quàm extra mare: Neq; non ſtolidum eſt illud argumentum, quo mare ait vulgus miraculo quodam vel prouidentia eſſe ſuper terram compreſſum in morem quo guttæ pulueri illatæ, frondiumq; lanugini impoſitæ abſoluta rotunditate cernuntur; & ob eandem cauſſam è nauibus terra nõ cernatur quę eſt è nauiũ malis cõſpicua, & à terra procul recedente nauigio ſi quid fulgeat in mali cacumine paullatim deſcendere videatur, Stolidum inquio argumẽtum quia hoc idem in aperto terræ æquore nihilominus erit ſi à mari procul recedendo in partes continentis ſimiles machinæ motæ iis qui in mari ſunt deſcendere videbuntur, & maris ſuperficies proſpicua eſt ab alta turri, quæ latet ab inferioribus partibus ædificij, atq; ſic inde ad mare deſcendere videbuntur appinquãtia. Ex marina quippe & hac ſuperficie in globi figuram unũ compoſitum conſtitui manifeſtum eſt: & per eandem ſuperficiem non mutata profunditatis mẽſura diſcurrit facies maris, ut montes aqua obruti aperto exponãtur cęlo, & altiſsimi quique ſeclorum diuturnitate tegantur aquis.

IORDANI BRVNI NOLANI,

DE VNIVERSO ET INNVmerabilibus

LIBER VI.

CAPVT I.

Conuertitur specialiter ad probandum infinitos numero mundos, sicut hactenus infinitum magnitudine uniuersum est compertum. pro quo primum quid nomine mundi notetur aperit.



VT maris in medio latis basibú, atq; profundis,
Inq; imum tendens magna ad fundamina terræ,
Rupes uasta suo consistit robore firma,
Et centro innixta est immanis pondere molis:
Exertum interea licet inspectare cacumen
Sublimi liquidum superans ubi uertice campum,
Grande onus insanos solido stat corpore contra
Fluctus, intrepidè contemnens comminitantes:
Namq; ubi compulsu adsurgũt Aquilonis & Austri,
Spumeus aduerso de cardine nam ruit ille
Spiritus actutum facilè qui à sedibus imis

Con-

Confidat rapido disperdere uortice mundum:
Heic quanto magis alta freti tormenta tumescunt,
Impete quamq; ruit uehementius unda procella,
Tanto sorte magis miseranda discutientur
Pondere lisa suo, dispersaq;, disq; sipata.
Sic ubi naturæ certo fulcimine ueri
Consistit species, parteis sancita per omneis;
Luce orbata mouet temerando bella labore
Turba, operitq; leui spaciosum milite campum,
Quem miserè propriis mox spectẽ occũbere in armis.
Et quæ uasta nimis surgebat machina contrà,
Fragmina mobilium leuiumq; imitata atomorum,
Turbine puluereo informis per inane feretur.
Ergo ubi clarescent immensi climata mundi,
Huic nostram ad uocẽ qui haud læua mente laborat,
Vt nihil obstabunt molimina cuncta sophistæ.
Porro quantumuis ex dictis sufficienter,
Et quibus oppugnes contraria, queisq; repugnes
Poßideas, nihilo ista minus iuuat addere plura.
Namq; in re tanti momenti lentius iisce
(Sicubi multorum captus non ebibit omne)
Non est consultum. At cunctos intendere neruos
Atq; omneis laxare auidæ rationis habenas
Est operæ precium, luciq; adiungere lucem,
Quatenus errorum nebulæ omnes discutiantur.
Vt quos unius generis non vincula nectunt,
Stringant alterius, varia est complexio namq;
Et varij varij capiuntur ab artibu sensus.
¶ *Tollere propositum est specialiter has rationes*
Queis male mundorũ insectatur sensum innumerorũ

Postquam continuum immensum contendit in unũ
Perperam Aristoteles. Quantumuis principiorum
Verorum uberius potis de fontibus undas
Dum simplex petitur, duplex adstructus habetur
Sensus, & immensi qui nẽpe, atq; innumerorũ est.
Ergo sub adiunctis dubijs accommoda deinceps
Promere fert animus: primoq; illud sit apertum
Nomine quod mundi non unum est uniq; uersi
Ostensum, nam qui infinita ait innumerosq;
In spacio mundos uno, hæc distinguat oportet.
Hinc est in grandi quod demirere sophista,
Sensa ubi clara patrum capiens perpensa sinistrè
Contra eadem (si eadem) puerorum more iocatur.
Mundos quicunq; innumeros dixere, necessum est
Et spacio voluisse uno comprendier omneis
Omnino quod idem firmans est omnia cælum.
Vnus interea mundus non est glomeramen
Hoc vobis quod tot sphæris conflatur & astris,
Tellurem circumcursans motuq; diurno:
At qui unum spacium, cælum unum est, ætheris una
Hæc regio immenso quæ extenditur interuallo,
Vnus ubi innumeris de mundis est mihi Tellus,
Consimilis Luna est, longè & non absimilis Sol,
Et reliqua in magno quæ scintillantia campo
Ordine mirando exornant laquearia Olympi.

CAPVT II.

Ostenditur ea mundi significatio ab antiquis usurpata. Et Mundum ex sphæris non com-

componi: & principium illius ſtultitiæ.


Emocriti innumeris de mundis ſenſus, ut olim
Explicitus fuerat, veluti quoq; creditus illi,
Magnus Alexander mundum conuerſus ad iſtum
Non totum ad cælum, miſerũ ò miſerũ me ait, ipſe
Vnius iſtius una vix parte potitus
Magno dignari videor quoq; poſſe triumpho.
¶ Numquid mundorum dubitabis nomine ſtellas
Inſignire, ſuo quæ tantum corpore poſſunt
Complecti quantum Telluris cognita moles?
Immo magis quanto ex ijs plura minora probantur
Non eſſe & ſpeciem præſentant materiei
Eiuſdem, veluti multis oſtendimus ante.
Ex illa ſiquidem eſt regione argentea Tellus
Illuſtris radiis qua per mare ſpicula ſolis
Excipit, illud idem in reliquis ſpectabile ſtellis,
Nempe oculos pariter ſi de regione propinqua
Tantos ad mundos nobis aperire liceret,
Vt quoniam noſtro de mundo longius abſunt
In ſpeciem parte exigui rutilantis ab omni
Aſtri concreta ſunt luce ſplendidioris.
Vna igitur ſtellæ ſi conditione feruntur,
Aethereo in campoq; modo conſiſtere eodem
Eſt manifeſtatum; tolle hunc qui deferat orbem,
Tolle epicyclifera hæc, remoue hæc eccẽtrica, & illa
Quæ tibi formandis occurrunt ſomnia in ipſis.

Negatur unus orbis ille ſtellifer.

¶ Non

¶ *Non definitum est uno cælum rapiente,*
Cælatum non est æquè distantibus astris,
Suspicio unde tibi instanti de fine sequatur
Vltima vel quod ibi est, propius vel posta sequatur,
Vel siet indicium finis tum demum adeundi.
Sintq; ideo numero stellárum corpora certo
Quem nouit natura parens, quæ præsidet illi.
Somnia, quæ peperit quod Tellus credita centrum
Quam circum fixis super axibus omnia gyro
Corpora deferri debent concentrica tòto
Complexu, quamuis ciclus qui subuehit astrum
Affatim à medij regione exorbitet ista.
Quæ (dubio procul omne) nihil confingere suasit,
Præter delira ab anima fundamina iacta.

Suppositiones Astronomorum factæ sunt positiones philosophorum ad extremam usque insaniæ speciẽ. Sicut Aegyptiorũ fabulis (ex Mercurij uaticinio in Pimandro) accidit.

¶ *Adde quod hæc primum studio confícto Mathesis*
Non sic ut caperet mundum in hac dispositura
Comprensum verè: sed certè ad commoditatem
Doctrinæ. facilis tandem qua computus esset.
Porro ubi stultitiæ cœpit generosa propago
Crescere, & ingenio implantatæ sunt magis altè
Radices illæ, cœperunt vera putari
Mobilia, atq; anima motrice, aut numine pulsa.
Inde sibi ratio finxit phantastica secla:
Vt quondam Aegypto fuerant quæ fabula, ut aptè
Obijcier menti quædam mysteria possent,

Perq;

Perq; quod in promptu est à sensibus omne remotũ
Aptius in signo vel imagine conciperetur:
Vsq; adeo craßi tandem est insania vulgi
(Abdidit ut dium lux vultum) semper adaucta,
Vt vitiata etiam simulacra ea fex populorum
Verterit in proprij generis figmenta prophana
Peßimum in exemplum vitai: atq; inde sepulta est
Lux ac per genteis inuecta est fabula turpis
Barbaries genita est, seclum euectum scelerosum
Cui scire insanum est, crudelia, & impia facta
Sunt pietas, & Relligio est in Schismate mundum
Seruare, atq; super iura omnia tollere vires.
Sic veri ac iusti normæ corrupta remansit
Fabula quæ vitæ rationem euertit & usum.

CAPVT III.

Ratio prima Aristotelis adducit̃ examinãda.

*Rgo principiò ratione exorsus ab ista*
Quid magnum Stagyrita tonat. dum nubibus atris
Oppletus turbat sensus rationis horizon.
Mobile vel fixum natura corpus habetur,
Et cui largitum est quauis pro sorte moueri
Principium est aut natura, aut violentia motus.
Decedit spacio corpus violenter ab illo
In quo natura manet, adlatumq; quiescit;
Atq; libenter ibi nullo obsistente moratur
Inuitum unde aberit, quo uersumq; impetus urget.

Quapropter quæcunq; geri sunt nata deorsum
Non nisi visursum quadam rapiente ferentur
Pluribus esse locum mundis hinc colligo nullum.
Namq; extra mundum Tellus quæ ponitur istum
Ad medium mundi istius violenter agetur
Illius ad medium natura hæc nostra feretur.
Quam si vi dicas mundo se abducere ab isto
Sponte sua medio ex illo remeabit ad istud:
Tellures etenim tam multas si lubet esse
Consimilis certe est tribuenda potentia cunctis.
Corpora quæ veré ad speciem referuntur eandem
Est operæ precium ut motu exagitentur eodem.
Hæc igitur si concedas patieris & illud
Dicier ut Tellus externo ut & ignis ab orbe
Tellurem ad nostram prorsus moueantur, & ignem.
Ergo ut natura Tellus est lata deorsum
Natura sursum lata est, hinc terraq; terra,
Ignis & ignis occurrent, sic terraq; & ignis
Concurrent; nullus remanebit motibus ordo,
Nullus corporibus, naturæ vultus obibit
Quæ vario species motu distinxit, & orbes.

CAPVT IV.

Ad Aristotelis rationem. Vt uerus sit motus corporum naturalium & partium eorũdem.




OS verò videas vitreo ut munimine contra
Robore discutimus, tua fulmina iacta trisulco,

Immo phantasiæ nebulas, quæ non bene sanam
Ludificant mentem, sensu faciemus apertum
Prouida qua ad Solem serie conuersa regatur
Tellus dum per se spacio consistit in isto
Quali stellarum reliquarum conditione
Corpora per totum propria in statione locantur.
Motibus utq; suis totum parteisq; feruntur
Atq; vices subeant varias fluxu atq; refluxu
Qualem adsignatum scis partibus esse animantum
Spiralē ad normā versum intima et extima versum;
Sic quæ sunt eadem natura corpora constant.
Ac veluti pars ad certi spectans animantis
Suppositum quales sanguis, caro, neruus & humor
Alterius nunquam cupient in corpus abire,
Sic quoq; si pars est medium quæ adspirat ad istud
Huius quæ degit natura in corporis orbe
Certe habet adpulsum peregrina in corpora nullū,
Hæ manus, hiq; oculi, diuersa ea brachia frontemq;
Adpetere ut nequeunt, aliena & degere vita
Sic non ad terram terra illa mouebitur istam,
Quam queat ad terrā terra ista adnitier illam.
Non magis hanc, etenim spacium sine fine perambit
Quā reliquas quib. haud numerus p̄scribitur ullus
Et simili immensum arridet circum undiq; vultu.
Siq; velut credis compressum est finibus omne
Sedibus agnatis ita sunt disposta manere,
Quæq; decet propriis firmata potentia in oris.
Ergo ut Tellurem spacium complectitur istud
Integre, membrisq; venit formabile ab istis
Vt nequeat simul ad spacium spectare alienum,

Hinc,

Hinc, quamuis simili in specie sint extera nil est
Conligere iccirco nisi quod velut istud in isto
Est spacio corpus proprio, sic illud in illo
Quod bene mõstratum est spaciorum indifferitate,
Iureq; quo propria in regione & corpore quodq; est
Vt non adspirent externa in corpora membra
Vllius, hæc quamuis numero discrimina tantum
Admittant specie dum complectuntur ab una.
Hæc ubi sint solide nobis fundamina iacta
Vni iudicicio si cuncta subesse cupimus,
Nempe genus quæcunq; probè referuntur ad unum;
Haudquaquam inde tibi stulta hæc conclusio surget
Scilicet ad sedem quæcunq; ea currere eandem,
Consimilisq; omnis mundus concurrat in istum.
At potius velut iste sua in regione moratur
Atq; alia exhorret ferri sub lege viarum,
Sic quorum ratio est eadem petere hæc loca, quæ nõ
Sunt præscripta sibi quonam dictamine debent?
Sic suus est bonus ille locus, pars, suppositumq;
Et proprium circum sibi stans, veluti propriumq; est
Cuilibet in paribus pariter, posse, esse, geriq;.
Forsitan & speciem quoniam referuntur ad unam
Quotquot habet mundus humano sanguine cretos
Cogemur patriam atq; domum compellere in unã,
Innumerosq; unos animos concurrere in artus,
Materiamq; caput cerebri omnem currere in unum.

Sicut in mũdo A omnes semidiametri pertinent ad A, ita in mundo B omnes semidiametri referuntur ad B: & sicut omnes spiritus



Socratis appulſum habẽt à corde Socratis & ad cor Socratis:ita omnes Platonis à corde et ad cor Platonis.

Quapropter melius reor ut ſua quemq; receptent
Mundorum ora; ſuas partes quoq; totius ordo.
Iſtius ergo ignis pars iſtum tendat ad ignem,
Ignotas tentare uias neq; terrea poſsit
Portio ſed proprios colere atq; ſubire penates,
Nec quibus eſt eadem ſpecies locus aptior idem eſt

Vt non est unum planum centrumq; duobus.
Telluris medium dico in Tellure deorsum
Et medium Lunæ Lunaribus aio deorsum,
Vt sphæra ad magnum quacunq; feratur Olympum
Scandentem reputes, superasq; adpellere ad oras
Sic quoq; ubi fias Lunai, aut accola solis
Non alio circumspectabitur ordine olympus
Ad gemini versus stellantia concaua cæli
Telluris regio est illinc cælum, ipsaq; stella,
Extra Tellurem veluti non esse deorsum
Concipimus quorsum tamquam ruitura penetret,
Sic aliis te pro mundis formidine vexes
Nulla, ne ad terras quando compagine rupta
Ad nos exitio infælici præcipitentur.

CAPVT V.

Quod si astra seu mundi essent contigui sicut uxor & vir, qualia etiam sunt soles cum suis Telluribus singuli, non tamen iccirco partes unius effluunt, aut alterius.



Rgo tenebrarum in crypta concluse pro funda
Tandem respira, & hinc te exime, & auxiliarem
Carpe manum ac mentem sensus adcõmoda ad istos.
Aio si terræ quantumuis terra propinquet
Mundiq; ii possint nexu vincirier uno,
Non tamen hos artus illos incurrere in artus,
Istius haud membra alterius sese insinuarent

Membris ut nequeunt cupientia quando virile
Fœmina complexa eſt corpus, comprenſa viciſsim,
Hederaq; amplexatur quercum, pampinus ulmum.
Atq; ut ſe implicitant colubrorum luxuriantum
Spiræ ut in alterius totum ſe immiſceat alter
Corpus, at id fruſtra: modicũ quia funditur utraq;
Ex parte, & remanet ſincerũ corpus utriq;.
Liber & alma Ceres ita Sol telluſq; propinqui
Senſibũ clam noſtris miris complexibus hærent
Dum dea ſubq; dei radioſa ſyn done verſans
Se met & illius circa orbem ſancta pererrans
Nititur ut toto pro viribũ tota fruatur.
Spiritus æthereus vehit, & contemperat aptè
Spicula fulgente ex auro contorcta per omneis
Quæ recidunt parteis, terrai uterumq; penetrant.
Hæc fœcunda Dei ſunt ſemina, & optima prolis
Principia uſq; adeò tantarum ſunt ſpecierum.
Namq; ubi pertigerint fœcundæ fœmora matris,
Rore hæc illa ſuo conſpergit in alta retorquens
Ora, iterum patrios quaſi iam repetentia fines:
Porrò extra gremium nondum digreſſa reſorbet
Atq; uterum mater genoroſo ſemine complet.

Differentia inter coniugium & coitum deorum & noſtrum. coit enim cum Sole Tellus, & concipit continuè & ſucceſsiuè ex omniparte corporis, atq; parit: animalia verò minora ex una tantum & intermiſſé.

Coniugium hoc diuûm meliori conditione eſt
Quàm noſtrum; Nobis modico quia tempore durat

Blan-

Blanda voluptatis vis atq; explebilis ardor
Tantum una nostri de parte erumpit: at illa
Omni ex parte frui potis est, tempusq; per omne,
Continuè ut motu variat loca mille diurno
Et versus tropicos cæli de vertice cyclos
Nunc agit Arctoo, nunc Austrico ab axe recedens:
Apparet nusquam frustra pharetratus Apollo
Coitus perpetuò sedes ac tempora mutat.
Concipit hæc toto de corpore, & ingerit ille
Corpus ab integro: neutri tamen inde recedit,
Sic quoq; Tellures geminæ hæc & Luna sorores.

Conceptionis item actus non est ex effluxu propriæ substãtiæ ex ra suũ corpus vel alienę influxu, sed tantũ ex circulo, Actio verò & passio consistit in alteratione per calidum & frigidum.

Hoc mage se in proprijs adseruant partibus atq;
Defluit ex uno in reliquum nil corpore corpus
Quo sortem melioris habent vitæ atq; perennis.
Ergo sicut terrai parteis undiq; vulsæ
Ad propriam redeunt sphæram, quam nõ licet extra
Credere diuulsas, Telluris si ambitus ille est
Quem non transcurrunt venti elatiq; vapores
Aethera per magnũ (quem lucis tãtum & umbræ
Peruadunt momenta ad astrum abeuntia ab astro)
Sic etiam Lunam sua pars non deseret ulla
Nec solem pars ulla sui, neq; cætera quicquam
Quod toti exitium portendat triste futurum.

¶ Et ſi mundus finitus ſit, non ſequitur minus abſurda doctrina de graui & leui, quia nil aſt graue in ſuo loco naturaliter cõſtitutũ.

Mundus quinetiam finitus ſi ſtatuatur
Non quadrat vulgi ſententia de grauitate
Et leuitate aliud rapiente in corpus ab uno,
Tellures mutuûm geminæ ſi tangere poſſent;
Pondere compoſitæ non altera comprimeretur
Aetherea in regione grauis quia machina nulla eſt
Natiuusq; loco parteis proprio impetus urget
Vt ſcandant, vel deſcendant, gyroue ferantur.
Heic quamuis lateat fluxus motusq; repertus
Continuus cunctis in toto partibus ille
Non minus eſt doctæ rationi peruius ex hoc
Quod magnæ noſtris oblatæ ſenſibù parteis
Quoq; in momento variantur millibù formis.
Vſq; ergo ad parteis atomas variatio tendit
Cæca localis & eſt motus qui conuenit illis
Præterea nullus, non intermittitur iſta
Latio compoſtum quamuis adamanta reportes.

CAPVT VI.

¶ Omniũ partium eſſe viciſſitudinem ut omnes tandem omnium obtineant locum: quod nõ à ratione circuli geometrici habẽt, ſed (ut ſæpe dictum eſt) phyſici. Ipſius ſurſum & deorſum tot eſſe differentias, quot & punctorum ſeu locorum indiuidualiter.

Pro-

*Ropositum repeto. Per totam circuit omne*
Sphæram, & quodq; suos fines se continet intra.
Sic quoq; Luna suas sortitur in æthere parteis
Nobis nec sursum neq; suspicienda deorsum.
Nam tantum vario respectu ac positione
Discrimen sursum fieri inquimus atq; deorsum
Si circum propriæ molis centrum meat illa
Instar Telluris motu conuersa diurno
Excipiens totum per dorsum spicula solis
Compare fiet ei Tellus sub conditione.
Conuersam porro faciem quia semper eandem
Defert ad nostri consors vicinia mundi
Non prius ad Solem toto se corpore vertit
Lumine quo geminus sibi sit perfusus horizon
Quam vicibus nobis septenis quatuor idem
Triuerit & cæli medium noctisq; profundum,
Attuleritq; diem, in præceps dederitq; fugacem.

Repetitur ut ordo simplicium elementorum nusquam est ille secundum naturam actu, quod in superioribus ostendimus etiam omnino alium secundum potentiam naturę & rationem.

¶ *Plus stultè graditur quā famose ordo elemētis*
Ille datus, per se dum nusquam sunt elementa
Sicut ubi nulli sunt orbes orbibus, ordo.
Non sunt nec fuerunt, neq; possunt esse profecto
Præterquam ratione isthæc elementa seorsim

Qualia si dederis purè constantia in orbe
Naturæ, facias itiner tunc ijsdem apertum
Terrai ad centrum vacuum quo se expleat illud.
Si grauius dices citius quod se inferet illuc
De quatuor positis sibi primas vendicat aer,
Si tribus è reliquis quidnam prius aera findens
Atq; magis spectes, concreto corpore lympha
Arentem se post naturā linquet ubi illæ
(Vt graue conficiant) partes non partibus hærent
Huius ubi officium generis non præstitit unda.
Nescio subiecto ut distinguitur ignis & humor.

CAPVT VII.

Terræ nō debetur mediū ex simplicitate, hæc enim simplex atomus est leuissima rerum; Non ex ratione prædominij in mixto quia aqua ubiq; dominatur. Non ex grauitate in uniuerso & mundo quæ nulla est: ut ut autem grauitas capiatur tota est ab aqua uniente, inspissante, & multum materiæ in paruas dimensionem cogente.



Rgo elementorum simplex si adtenditur ordo,
Simplicium minimè naturæ congruet ille
Quem celebrat sine mente pecus, non visa videre
Dum putat insanum vulgus vocemq; relaxat,
De rebus tanquam expreßis sanciuerit aptè.
Indeq; principijs Sophiam sibi legit ab istis

Constanti tanquam & claro fundamine iacto.
Vt lymphæ terram, mox lymphas terminat aër
Aëreum inuexum, candentis Mulciberi, quem
Concaua Lunai prona ui Sphæra coërcet.
Iam si ad naturam spectes qua corpora per se
Subsistunt cupiasq; velut dominantur habere
Ordinis hæc causam, medij & grauitatis honorem
Cogeris lymphis deferre ubi pondera cernis
Iniectæ fieri lymphæ virtute tenaci:
Tanto etenim est grauius quanto concretius ipsum,
Nam minus est rarum donatur pondere quidquid,
Gleba, lapis, stannum, ferrũ plumbũ, aurũ & arena.
Tandem Telluris massa hæc ut sistat, & acri
Spiritus aëreus non illam flamine pellat,
Inq; atomos resoluta foras despersa recedat,
Seruatrix facit & genitrix concretio ab unda.
Hinc & subsident valles, & ad æthera montes
Tolluntur, proprios permanant flumina cliuos:
Et suspensa iacent imæ penetralia terræ
Visceribus distincta suis stat machina tota,
Tantaq; membrorum discrimina clara perennant,
Quanta perfecti est species compacta animantis.
Composito è tanto totus si tollitur humor
In puluim exiguum residens erit omne, nec ullam
Concipiens formam, neq; per se stare potentis:
Corpora spargentur discussa ex aggere paruo
Et diffusa leuis trudet per inania uentus,
Visera nostra suo quî possent robore figi,
Stare, vigere, moueri absq; ossibus, ordineq; absq;
Tanto musclorum, & neruorum nexibus, absq;

Ar-

Arteriis fuſos tendentibus undiq; ramos?
Spiritus humenti hinc verſum ſe quaq; refundat
Virtute. Atque frui qui poſſent munere uitæ
Ni ſedes animæ ſanguis ſubſtantiaq; humens
Inſita ſit cunctis atomorumq; ordia nectat?
Sic non conſtarent aſtrorum corpora quæ ſunt
Numina, ſunt mundi, ſunt uere animantia prima,
Quorum ſunt uita reliqua omnia uiua ſubinde.
Viſcera Telluris referunt ita uiſcera noſtra, &
Reptãtum, & nãtum, ſerpentumq;, & uolitantum,
Plantarumq;, & eorum quæ ſunt prompta minæris,
Atq; horum tenuis quorum ſubſtantia fallit
Senſum, aut eſt oculis prorſus non peruia noſtris.
Sic & compoſita eſt nitidi ſubſtantia ſolis,
Subiectum ut lucis conſtans ſiet atq; caloris.
Quin & concretum proprijs de partibus eſſe
Hoc magis id corpus conſtanti humore petitis
Debet, quo tantam firmet lucem, atq; calorem.

CAPVT VIII.

Vt in noſtro corpore ſanguis & humores omnes virtute ſpiritus per totum circũcurſant & recurſant, ſic in toto mundo, aſtro, Tellure; quid enim in noſtro corpore dices deorſum? pedes? tibias? cur non illic omnia diſtant grauia?


Vare non aliter quam nostro in corpore sanguis
Hinc meat, hinc remeat, neq; ad inferiora fluit ui
Maiore ad supera à pedibus quam deinde recedat.
Nam proprium corpus per totum funditur æque;
Iudicium simile est cuiusq; humoris, in orbe
Nempe suo nihilum graue dixeris aut leue quod se
Recta hinc excipiat, se illuc fugiendo receptet
Vis elementaris per terram circuit omnis
Omniaq; in cunctis insunt elementa elementis
Plus tamen ijs reliquis constat dominarier unda.
Labitur hæc igitur per terrai undiq; dorsum
Et virtute pari, obliquoq; intrusa meatu
Indiga vitali contemperat omnia gutta.

¶ Aridæ cumulus à centro acciret & audissi mè sorberet lymphã quod in omni pulueris genere ad liquorem videmus: cur ergo ad cētrum plus pertinet arida, quàm aqua?

Ergo non tantum mare, flumina, stagna, lacusq;
Telluris facies quæ prompserit extima nobis
Lymphæ momentum totius ferre putentur
Sensibilis cum sit terrai in partibu cunctis
Pulueris & cumulum cum se se intendat in omnem
Vndiq; & à centro peranitam hic ebibat illam,
Et quantum capit ipse loci per semet eidem
Contribuit, cineres facient hæc omnia plana,
Nam plenam in peluim super infundetur aquai
Tantundem, quantum peluis conceptat inanis.

Sic

Sic & perfusa est natura hæc arida toto in
Corpore Telluris, firmentur ut omnia lympha,
Omnia lympha sient tandem, si à prædominante in
Corpore composito integrum denominitatur.
Hinc & aquam dixit quodcunq; est sensile Moses
Naturam infernam distinguens atq; supernam,
Hinc inde abiunctam medij firmamine cæli.
Aether nempe undam medius distinguit ab unda.

¶ Quam conuenienter omnia naturæ corpora composita aquæ appellentur.

Et merito Tellus, Luna & Sol dicitur unda,
Quandoquidem si de toto tota unda recedat
Haud secus exiguam puluim remanere neceßest
Quam è sylua ingentis cineris vestigia parua
Comperias totam quando populauerit ignis.
Mitte quod & cinerem tãdemq; liquescere sentit
Ille sophus rerum cui est substantia lympha,
Hæc est quæ scandit, hæc quæ descendit & omnes
Circuit in partes, esse igni datq; moueri
Qui nihil, aut lucis vis est infixa vapori.
Nil magis hæc igitur facies habet altior, eius
Quo constant, vegetant, adolescunt, atq; alimentũ
Omnia concipiunt Telluris matris in orbe,
Quam quæcumq; tenet maioris claustra profundi
Illuc conduntur, rursum ut reuocentur in ortus
Flumina magna suos,
Ad quæ conlata Oceani momenta ferentur
Interno humori sudor si conq; feratur.

CAPVT IX.

¶ Vnde grauitas, quid grauitas, quid sursum, &c. quod gyrare est omnibus naturaliter & in proprio loco constitutis innatus, ijsdemq; violẽter impeditis recta diffugere ad propria, etiam si cæli pars auelleretur à cælo Peripatetico.



Rgo quod re putant medium à Tellure teneri,
Nam grauium vis una mouens rapit omne deorsum
Et iubet ut cæli fugiant conuexa, fluantq;
In medium mundi centrum puerilibũ quam sit
Commentis ortum, multis clarauimus ante.
In Physicis etiam monstratum est ut rapiantur
Parteis, cum fugiunt contraria cumq; sequuntur
Conueniens, quoties peregrina sorte tenentur.
¶ Nec graue quapropter uere est nisi quod uiolẽter
A` motu atq; loco absistens proprio indupeditur;
Pellitur hinc obstans, hinc excruciatur amicum.
Propterea haud magis hac Tellus grauis in regione
Quàm sit consimilis naturæ ac compositura (est,
Luna, Venus, Mauors, Solq; in regionibus illis,
Nec Tellus plus immenso grauis æthere habenda est,
Quàm quæ sic vacuo corpuscula in aëre pendent;
Ne plusquam sursum, cupiat se inferre deorsum
Quodlibet ex iisdem, quia non sunt compositorum
Pars ulla; at per se constantum principiorum

Natu-

Naturam referunt, quia conditione propinqua
Sunt illis. Non sic lapides, ligna, atq; alienæ
Quæ formæ sub iure ligat uis insita, inanem
Aera diffugiunt, solidum ac similare requirunt.
Sic sese eripiunt peregrina è fluminis alueo
Sensimq; ad ripas fugiunt, & littora ponti
Aut fundum inquirunt, quia sunt composta minusq;
Illis cum lymphæ natura conuenit. Inde
Cum propriora tenent: naturæq; ordine aguntur,
Et totum & parteis tantum girare uidentur.
Sic gyrant lymphæ terræ excurrendo per aluum,
Non etenim magis ascendunt uaga flumina nostras
Ad parteis quam descendant repetendo profundum,
Vt rursum emergant instauratiq; reportent
Illud idem fontes quod iam retulere. Quid esset
Quodam ni gyro naturæ cuncta redirent
Ortus ad proprios rursum, si sorbeat omneis
Pontus aquas, totum non restituatq; perenni
Ordine, qui posset rerum consistere uita?
Tamquam si totus concurrat sanguis in unam
In qua consistat partem, nec prima reuisat
Ordia, & antiquos cursus non inde resumat.
Hic igitur motus natura est partibus, hic est
Composito in quocumq; suis spectabile membris.
Corporis hanc nostri perpendito composituram,
Inq; ipsa uidesis numquid leue tendere sursum,
Sic didicit parte in supera ut sit spiritus omnis?
Cur non inq; pedes sanguis dilapsus & humor
Constitit? ergo nihil graue sit propria in regione;
Non recta ascendit sursum premiturue deorsum:
Sed

Sed bene discurrit circum propria ora recursans
Ordine quodq; suo. Quæ cum compago peribit
Ad generale meant sibi consimilare elementa
In quotamquam eius parteis uertantur & ipsa:
Namq; loco in proprio pergyrant omnia semper.
Imbreis non alio veniunt tractu æthere ab alto,
Non perpendiculo descendunt, immo per arcum
Partibù nempe suis velut & mare circuit aer,
Qui vehit has parteis, rursum transuectet ut illas
Spiritus is idem qui natura humida certè est.
Ast perpendiculo tantum indupedita moueri
Stillæ ut de arboribus recidunt & culmine tecti;
Flumina suspensa elabuntur rupe per unum
Accedens tantum, exiguum minimumq; relatum
Illius ad totum cursum nihilumq; putandum st.
Quandoquidem si conuexa est donata figura
Telluris facies, adeò quam longa recingit
Danubij, Nili, Euphratis serpigo recuruam
Complectens terræ faciem ne dicere poßis
Amplius ascensum, quam descensum ire, ita curuæ
Consimilem ad centrum collatæ conditionem
Persequitur: qua sorte meant quascumq; videmus
Telluris parteis, quia cuncta reposta profunde
Quod tenuere olim rursum sublime tenebunt.
Aetherea Tellus sic in regione regyrat
Libera: non alia stellæ ratione feruntur;
Nec tanta premitur vacuum pro mole, caditq;
Plus ipsa externã in partẽ, quã extrinseca ad ipsam.
Et veluti quæcumq; sua de parte ferantur
Particulæ sursum scandentes dixeris illas,

Perq; suum totum discurrunt. Nempe vapores
Et nubes quæcumq; volant, non diffluere ultrà
Telluris possunt corpus: quia nec datur illic
Sistere. Non aliter patrio de corpore Lunæ
Partes diuolsæ circum quocumq; ferantur
Ascendunt sursum latæ Telluris ad oras,
Irent atq; alio versum quocumq; coactæ.
Vnde & si geminæ Telluris corpus adhærens
Alterutri fiat non plus pars unius ibit
Corpus in alterius, quàm pars animantis abire
In partem alterius possit. Quapropter & ille
Appulsus quo quæq; locum pars destinat unum
In quem declinet vi tota, adpellat, eatq;
Est in composito, cui pars est consimilaris
Huic, & seruari specie contendit in illa
Quam tenet; hinc obstans protrudit, & effugit ora
In quibus ulla quies sibi non est parta, grauatq;
Impediens ipsam velut unda extra mare & alueum
Fluminis obiectum premit impedimentum & altè
Suspendens refugit, pellit, vehit, atq; penetrat:
Nempe aperire viam cupiens sibi ut exeat illuc.
At maris & fluuij minimè premit unda profundum
Vlla suum; requieta manet sic bestia ponti,
Enatat, èq; suo maris extima visit ab antro.
Si foret unda grauis nunquam penetrare liceret,
Nec super inductum contra succumbere pondus.
Illic subcrescunt plantæ, & tranquillius altas
Adtollunt frondes, mittunt versum aera ramos,
Non minus ac vacuus quascunq; aduerberat aer,
Et tenuis circum situs est, herbæq; tenello

Germine seruantur; sabulum radicibus imis
Non etenim attingunt leuioris glutine limi
Suspensæ. Non dum squamoso corpore circum
Ludunt pisciculi, atq; ibi per vestigia matrum
Auia subreptant pinnis: quod non foret unquam
Si prona pontus premeret grauitate profundum.
Non grauia ergo suo fiunt in corpore membra,
Non onerant infinitum innumeri aera mundi.
Nam spacium simile est capiundis rebus ubiq;.
Mundus conformi in spacio conformis erit, si
Coniugium faciant fœlix contraria prima.
Quid graue quidq; leue poterunt hisce ergo videri
Vt leuitas grauitasq; omnisq; adpulsus ad unum
Finem virtute interna, externaue profectus
Cùm pars sortita est peregrinum pulsa recessum.
At non hoc spacium plus Tellurem obligat, atq;
Finitum quodcunq; capis sub nomine mundi,
Quam quod & exterius cogeris ponere semper
Cui simili similis per se est tribuenda potestas.
Quocirca haud ratio est medium qua figere corpus
Telluris debes, plusquam quodcumq; aliorum.

CAPVT IX.

Examinatur vulgaris & poetica illa ineptia de maris unda contra suam naturam repressa á Deo quæ alioqui naturæ suæ relicta terram obrueret.

T vero & mirum quod de natura elementi
Dicitur à diuûm domino, atq; parente repressum
Atq; immutatum: sunt qui confusa aliquando
Omnia confingant, sed nunc distincta. Reperti
Sunt alij qui elementa prius distasse, suisq;
Finibus inclusa innatæ moderamine litis
Quæ Deus hac tandem concordi pace ligauit:
Somnia Parnasi aut simili de fonte relata.
Nec nisi de solido spectamus corpore lucem,
Atq; ideo corpus concretum ponitur eius (mor
Quod facit unda; vapor flamma est accẽsus, & hu-
Sulphureus similisq; ardet, candetq; micatq;
Heic ubicumq; ignis spectatur inestq; sepultus.
Frigore concreta est lympha, sparsa estq; calore
Effectis umbræ ac lucis, quæ cùm nihil essent,
Nec condensa quidem potuit neq; rara manere.
Compositiq; nihil fœdus corrumpit initque
Partibus ex varijs nisi frigens sit calidumq;
Compositum, quia non constant frigusq; calorq;
Corpore præterquam de composito eiaculante.
Propterea vultum hunc rerum decet esse perennem
Rerum ad naturam spectantibus & genituram.
Vel nihil est natura, vel est diuina potestas
Materiam exagitans, impressusq; omnibus ordo
Perpetuus. Quinam fuit ergo perditus ille
Sensus qui contrà naturam ait efficientem?
Tellurem quare totam non obruit unda.

¶ Stul-

¶ Stultè & arroganter dicitur natura esse, quod neq; in actu neque in potentia rerum possis ostendere, & ordinem rerum dicere diuinum, quasi natura & Deus sint duo contraria principia, quorum alterum est repressum. Quod si ita, alterum certè non est principium.

Finxit Natura quod non est, nec fuit umquam
Nec sanæ quisquam mentis putat esse futurum,
Vel fieri saltem posse, aut unquam potuisse.
Quod si finiri naturam ex ijsce decebit
Non est quod possis nisi falsum dicere quiddam,
Oppositum vero atq; enti & quod non bene fictum.
Postquam naturam æternam tibi dixero caussam
Vnum adspirantem in finem, stantem ordine in uno,
Et matrem & legem rerum, fatumq;, bonumq;.
Cur dicam, arma mouet diuina potentia contra?
Hæc physicum vatum in morem figmenta reponam.
Plusq; super terram fingam consurgere lymphas
Compressas proprio à fluxu: quam sit super illas
Arcus telluris: cum vulgi more elementum
Appelles mixtum hoc, elementum, mixtum & illud.
Sitq; ita, dum referas quicquam quod consonet auri
Atq; tuis saltem dictis. Si pondera centrum
Natura appeterent; naturam & vincere oportet,
Quare opere æterno, vel tantis (ut lubet) annis
Vires non ullas natura ostendit ut unda
Humorq; internum Telluris deseruisse
Comperiatur? at est semper quantus fuit olim

In fluuio inq; mari: quod ſi una ex parte redundat
Tantundem ex alia nihilominù parte receßit;
Iſta peregrina violenter dixero lege
Impediente geri? Cum nuſquam conſtet alius
Appulſus generis, nuſquam natura reclamet,
Quin potius ceu nata geri ſic cuncta gerantur:
Nam nihil externum quod viſcera corporis huius,
Ipſum immo medium non complectatur; ibi aer,
Ignis ibi, ingentes ibi ſunt lymphæq; receſſus,
Fingere nec poſſes purum conſtare elementum.
Non aliter ſiquidem Telluri membra tributa
Atq; artus cerno, quàm corporibuſq; animantum,
Corpora quinimmo ideam conflantur ad illam̄
Omnia viuentum quæ mundi eſt progenitoris:
Nec non quæ vulgus ſenſu atq; expertia vitæ
Eſſe putat, quæq; eſſe nihil verè autumat idem.

CAPVT XI.

¶ Altitudo perpendiculariter capta vix umquam milliare unum exæquabit: quæ non plus in eadem ſpiſsitudine perſeuerat inter duorum ſcopulorum (qui ſunt montes ſub aquis) capita, quàm aer inter duos extra mare montes. Iam ſi cũ ſpiſsitudine reliquæ telluris conferatur ſpiſsitudo oceani & reliquorum marium, vix aliquam telluris partem facere videbuntur.


T quantum credit stultus mare corporis huius
Telluris molem quando ad totam refe-retur?
Quod mage non ulla est nimirum parte profundum
(Oceani ut fertur facta experientia in undis
Vtq;, omnis dictat ratio sensusq; resancit)
Imas quam mons ad valleis altissimus esse
Constiterit, terra est ubi cælo exposta recluso.
Namq; fuisse maris fluxus vestigia monstrant
Heic ubi par terræ est consistens undiq; vultus.
Ruuidus est passim vultus, quia surgere montes
Cura Dei iussit, spaciosa esse æquora valles
Subiectas, queis vel succederet unda vel aer
Hic humens vento exagitatus, nubibus ater,
Qui faciem finit celsis cum montibus eius,
Vnde & non plus Tellurem circa est mare quam sit
Arterîas circum sanguis, pellemq; animantis.
Quod si Telluris nolis hunc aera partem,
Vt terræ tantum facies tribuatur & undæ;
Aspice quid cælo propius consurgit eorum.
Non est usq; adeò auersa, de parte tumescens
Suspensumq;, velut fingunt insomnia vatum:
Quod si frenantis robur laxabit habenas,
Se circum terram toto mare corpore fundent,
Vsq; adeò leuis unda grauem sub gurgite terram
Concludet, magno ut montes celsi interuallo
Cogantur liquido submittere culmina plano,
Omnia pontus erunt, deerunt quoq; littora ponto.
Subiectas ergo Tellus superenatat undas.

¶ Hæc ut sint vero à sensu & ratione aliena,
Vt vulgata satis nullam experientia linquat
Figmento sedem; caput exerit insula paßim,
Aequorei vertex montis super æquora tollit
Ecce minas, cuius scopulorum saxa cacumen
Testantur, cuius sensim versum ima repando
Concrescit moles dorso, quo credere poßis
Esse ita continue fluctus undantis aquai
Vt sunt extensi superis fortasse profundè.
Antipodes ubi sunt aduersa in parte reperti
Non minor est mundus, ut noscas quam mare nō sit
Natiua quadam votiua, vel violenta
Vi sistens usquam & terræ super æquora pendens,
Conuexum facies quando utraq; comperietur
Vndiq; (si propius spectes) concurrere in unum.
Et veluti terra è cymba spectantibus unda
In medio adsurgit, turri pariterq; remota
Abstantis si quis prospectet littoris undas
Gibo consurgens tumido quoq; terra videtur:
Nam è specula obiectum est ima quod sede latebat.
Non magis ergo super terras attollitur unda
Quam super undarum fluctus habet æquora terra,
Vt tali nequeas ratione inferre quid horum
Ambiat & quidnam potius subcontineatur.
Adde quod & spissum tibi si capiatur aquarum
Quod fluit ac refluit super ampla illa æquora arenæ
Cum spisso vasti qui sunt montes scopulorum;
Sunt quorum tantum cuneata cacumina cælo
Exposta, & quantum est spissum de montibus hisce
Qui procul undosis de fluctibus aëra findunt,

Et mons & ſcopulus molem ſuperabit aquai,
Pro quanto à medio Telluris diſtat utrumq;.
Siq; magis ſpacij Tellus comprendit eodem
Ex interuallo curnam ſuperarier illam
Aſſerere audebis, quando & circum æquora montes
Vndiq; conſcendunt, medijsq; leuantur ab undis?

CAPVT XII.

Oſtenditur cum omnibus omnia eſſe elementa, quæ nullo naturæ actu, vel potentia omnino ab inuicem ſeparantur, (de elemētis loquor iuxta vulgarem ſenſum. (Primò ergo manifeſtatur aqua cum terra. Et quomodo terrarum fundamentum eſt aqua.



Iximus undarum ut totum ſpectando elementum
Continuo medium Telluris ad uſq; meanti
Et peruadenti ſcopulos, monteisq; per altum
Aera ſcandenti nihilominù ſemper aquai
Occurrent ſpecies. Quid enim ſunt ſaxa, metalla,
Et glebæ & grumi, ſpecies multæq; mineræ?
Fingere non potis eſt terram quam nō rigat humor
Inſpiſſans quiſquam, ſimili quia ſorte coire
Illius aſpicimus parteis, qua corporis omnis
Conſtantis forma, atq; animantis diſpoſitura;
Vt vere eſt animal; naturæ ut & eſt melioris
Quam qui eius vita viuentes eſſe queamus.

Non minus ergo undæ est quàm arentis materiei,
Quin potius magis esse putes, nam corpora ab unda
Hæc quæ inspissantur cineresq; atomiq; volantes
Non minus apprendunt undæ quam præter eorum
Corpora subiectum lymphæ conceptet inane.
¶ Addequod & proprias non accipit arida parteis
Per se concretas reperiri, ast multa metalli,
Multa vitri species concretus tantum erit humor,
Si tibi multorum consensus fortè sophorum
Non sordet. quod si quæcumq; grauißima ad imùm
Telluris spectare decet, tunc consequitanter
Arentis species terræ in fundamine lymphæ est.

Alia fundationis ratio

¶ Quamquã etiã fundatur aq;s quia munere eorũ
Compressa est stabilisq; manet, ne fusa profundũ
Corpora mobilium palent per inane atomorum.

CAPVT XIII.

Secundò ostenditur aer cum terra.



Ec tantum quo spiramus superincubat aer
Telluris dorso. At verò per viscera plenè
Inseritur, nec non totius portio digna est;
Scilicet in recauis antris, magnisq; cauernis,
Pumiceis saxisq;, sonantibus inq; metallis.
Adde etiam quamuis non cunctis nota meatûm

Hæc

Hæc ſpàcia è quibus eſt unum quoq; fiβile quodq;
Scaturit, ebullit, ſorbet, vomit, atq; tumeſcit,
Rumpitur, atteritur, premitur, laxatur, hiatq;.
Fontibus inde via eſt, & flumina maxima ſerpunt,
Et latè parteis humens perſpargitur omnes,
Qui fieri hæc poſſunt, niſi ceſſerit aër ubiq;.
Vnde probant cunctis inuectum rebus inane,
Omnino intra atomū medians atomūq; per omnes
Monſtratum parteis. Telluris maxima pars eſt
Vltrà hunc qui montes inter ſituatuatur apertum,
Quem dixere animum ſpirantis corporis huius
Atrum, ventoſum, refluum, vapidum, nebuloſum.

CAPVT XIV.

¶ Vt cum Terra ſit ignis, ubi ignis ea capitur ſignificatione, qua quidam rerum omnium ſubſtantiam, eundem intellexerunt; qui non differt à ſubſtantia ſpiritus vitalis omnium rerum, quatenus & lucere & ardere illi accidit propter aliorum adſiſtentiam & cum aliis compoſitionem.

*Ere cum vapido dicam, aëreoq; uapore*
Ignis vim dictam uitæ ſi ibi ſemina ſentis;
Nam puri ac tenuis nec permixti aeris aura
Cælica temperies dicta eſt, ſed ſpiritus ardens
Luridus, atq; rapax ſi quicquam concitet, illa eſt

Hinc

Hinc uegetat Tellus, miro hinc est prædita sensu,
Qui quoniam circum semet per cuncta propagat
Semper grata uenit cunctis uita undiq;, ubiq;.
Ceu igitur nobis sunt ignis semina vitæ,
Vndiq; concipitur, micat undiq;, discutiturq;.
Hinc Thermæ, hinc calidi fontes, hinc sũt freta salsa
Sulphurei hinc montes, hinc est bitumen amarum,
Multiplici hinc Stygius regioni aperitur Auernus,
Hinc celebris Siculis præruptus hiatibus Aethna,
Cinerei hinc montes, vidui partusq; Vesæui,
Vulcani, Lypares, Procbitæ, Ibernæq; fucinæ;
Vnde velut toto est animantum in corpore fusus
Aethereus feruor, pura aura, ignisq; animalis,
Simplex, vitalis, natiuus, spiritualis.
Non aliter magni miranda in numinis huius
Compage abstrusus, commixtus, & insitus exstat
Vitæ pro gradibus aurai simplicis ignis.
Quo nisi membrorum respublica tanta vigeret
Rebus temperies foret ulla ab origine nunquam.
Hinc vita occultis intra eius viscera diuis
In longum mirè quibus ætas ducitur æuum.
Squamiferoq; gregi liquidis sors cessit in antris;
Humano generi, pecudum generiq; tributum est
Ad vitam minimè constanti vescier aura:
Corpore ut ex uno hoc sortiti corporis omnes
Membra sumus, certo quæ tempore restituamus:
Spiritus & vita è materno fonte recepta
De quo viuentem iussit producier omnem
Ille opifex animam; quia princeps est anima illi,
Et princeps illa est animal, venerabile numen,

For-

Fortunatum astrum, splendescens, incola cæli,
Authori laudes decantans, atq; ministrans
Qualem non credunt sine sensu pectus adepti.

CAPVT XV.

¶ Sicut omnia animalia duplici constamus calore, proprio scilicet natiuoq; & externo quod est vel à corpore spirituq; Telluris, atq; à sole vel igne in genere: ita & Tellus animal magnum atq; primi ordinis habet sibi cum animali spiritu innatum calorem, quo prçcipuè ipsa viuit & alia in suo corpore viuentia contèmperat, atque uiuificat. Quod si non esset animal hoc diuino calore humoreq; (quem spiritum dicimus partim, partimq; lucē) particeps, solis virtus nequaquam eo se usq; in centrum ingereret Telluris, quam imbricibus tectorum nostrorum retundimus.



Rgo ne dubita viuentem dicere mundum
Ignisque ex toto duplicis viresque fateri,
Vnus enim calor est animalis, & alter ab astro,
Nempe elementalis, quem proijcit orbita solis.
Nec tibi difficile hoc uideatur adusq; profundum
Molis quod penetrent integræ spicula solis
Qualia discutiunt nostrarum tecta domorum.
Ignis enim intensa est ubi tantum magnaq; virtus,

Vt centrum magnæ adtingat Telluris oportet
In volucres ſupera hæc primum vertiſſe fauillas.

¶ Ratio cur formicæ corpus non uritur à ſole quo uſqueadeò ingentia caleſcunt animalia.

Porro non ita ſunt radij eius calfacientes
Corpora finitimo veluti noſtra igne caleſcunt.
Solis enim radios mage non formicula ſentit
Quam vaſti poßit corpus ſentire elephantis,
Exigua exiguum vi perculit hic radiorum
Et magna magnum; nam plurima corpore multo
Excipit, inque ſinu tanta virtute recondit.
Plurima ſunt magno quantùm ſunt paucula paruo.
Ergo quia uſq; adeo vaſta mole ignipotentis
Aſtri myriades Tellus multas radiorum
Excipit; ergo minus nullo eſt animante caleſcens,
Dumq; ſibi atq; alijs violentos temperat ictus
In ſemet rapidè motu conuerſa diurno.
Nec magis externos quã internos hinc fouet artus,
Nam neq; difficile eſt quia ſpiritus ille animalis
Hunc vehit arcanos pollens penetrare receſſus,
Viuentis proprium ſiquidem aio corporis iſtud
Sentiat ut totum quod parte recepit ab una.
Nam vehit heic ſpecies vitalis ſpiritus omneis,
Vitai quales expertia corpora ſiſtunt,
Quales diſcutiunt noſtrarum tecta domorum.

¶ Exẽplũ à cadauere, & a defunctæ arboris trũco, ſtipite, vel trabe, quibus incluſi nõ caleſcimus

lescimus sicut in arboris vegetantis aluo.

¶ *Aspicis ut feriat rapidi violentia solis*
Expositum radijs illius segne cadauer
Quod calido externa resolutum parte liquescit,
Constanti interea remanent confecta rigore
Interiora poros quia distans spiritus arctat:
In caua propterea si te excipit arbor habebis
Fomentum ex planta vitalis temperiei
Non ita vallatus defuncti tegmine trunci.
Est igitur cunctis Telluris partibú duplex
Ignis conditio duplex viget insita virtus,
Illius est ignis verum propriumq; elementum]
Vnde alitur quidquid viuit, componitur, atq;
In quod abit species omnis resoluta nouandis
Pro rebus, secie ut currant sua tempora certa.
¶ *Ergo apage hinc ignis qui lambis concaua Lunæ,*
Illic quem celeris confrictus gignit olympi,
Quem finit medians regio aeris ista supernè.
Qui potis est etenim nomen portare elementi
Fingere quem nequeas qua sub ratione penetret.
Nam nisi ui nullo appulsu venit ille deorsum,
Proq; ministerio subeundo partis ab alto
Decidet infernæ per tot contraria sedi.
Mitte quod & talis nusquam natura reperta est
Si nusquam confrictus erit sphæræ ille rotantis
Si duo non constent quoq; talia corpora denso
Præduroq; magis pulsú obsistentia, quæ non
Mutuum admittunt penetrari, & cedere sede,
Qualis subtilis non est ac liquidus aer
Quo innumeris numeris subtilior æther habetur.

¶ *Mit-*

¶ *Mitte quod æterni frictus violentia talis*
Eſſe nequit, tandem quia uictum cedere oportet
Victori. quod ſi renouatur uiribus aer
Partibu nam pulſis alias ſuccedere par ſit.
Ignea nec virtus tam longè funditur amplam
Quæ illam conſtituat regionem, tamq; profundam.
Aeris & pars hæc æterno accenſa calore
Non per ſe calida, at cœli uirtute rotantis,
Vix iiſdem conſtare poteſt de partibus, Atqui
Continuo accenſis fugientibus, atq; deorſum
Detruſis aliæ ſuccedunt frigidiores,
Partibus & parteis ſimiles non inuenientur
In calidi gradibus, quod per magis & minus ullam
Non variat ſpeciem. Non ergo eſt hoc elementum
Aëris à ſpecie diuerſum conſtituendum.
¶ *Ergo tibi aut dura, aut liquida eſt ſubſtantia cæli,*
Si dura haud certè ſimplex natura putanda eſt,
Si uerò mollis, ſubtilis, ſpiritualis,
Multo etiam plusquam poßit leuis aër haberi
Fißilis, ac cædens, plus perq; meabilis exſtat.
Principiis certè hæc ſunt aduerſantia ueſtris.

SI ponatur ignis in concauo orbis Lunę ille ad nullum eſt officium: nil quippe generat, nil alterat, ſed tantum implet; Non generat inquam, quia cū circulariter moueatur in rerùm compoſitionem nō venit, quia non deſcēdit actu neq; potentia: & per ea quę dicta ſunt in ſuperioribus circa actionem ex qualitatibus ſenſibilibus quam oportet eſſe extenſiuam; calor ille neq; per virtutem ullam poſſet extendi vel ad minimum caliditatis veſtigium in noſtris regionibus imprimen-

mendum. Adde quod vel si proximum esset cælum & incentiuum illud elementum aliquo pacto calefaceret sub zona torrida, nil omnino produceret extra illá, quia gradatim effectus illius rapidi motus & confrictus tenuatur & remittitur versus polos. ¶ Cófrictus etiá ille (quod supra innuimus) esse non potest ignis genitatiuus, si tamen confrictus est ubi corpora subtilissima ponuntur secundum gradus quos decet esse post subtiliora, & rariora, rarissimum eleméctorum ponitur aer, hoc rarior est ignis tibi; super quo substantia cæli longe spiritualior esse tibi fingitur, ut neq; in ordine elementorum per subtilitatis gradus collocetur: & substantiá illam in metaphysicis appelles aut sine materia, aut secundum aliud materię genus: Nunc (rogó) quomodo tangit? quomodo frangit? quomodo atterit? quomodo vim infert aeri? quomodo aer patitur ab illo? Compertum est nobis omni sensu quemadmodum corpus crassius vel spissius, densiusq; à subtili penetratur quidem ut spongiam penetrat aqua, oleum penetrat lignum, ut mollificet, alteret, putrefaciat: Non sic autem corpus subtilius localiter rapit & impulsiua quadam virtute scindit & frangit ipsum quod est densius, magis enim lapide & ligno mouemus aquam & aerem, quàm aere lapidem: imo aer quietus nil mouet. Stat quod spiritus inclusus euertit montes: & aqua irrumpens vel erumpens mirabiles exercet vires, sed hoc est ex violentia, & deordinatione quadam. Atqui tibi ordo æternus est ut cælum rapiat, rumpat, frangat.

Præterea (repétimus & heic illud) quęrimus de sphęra ignis quę est in concauo lunæ, num æterna sit vel téporalis? Si æterna est, semper fuit & est absq; generatione. Si temporalis vel genita est aliquando, sic ut attritione præterita & diu urgente ignitum ibi factum fuerit: sequitur sane quod tunc ignis ille non sit ex attritione præsente sed præterita: Itaq; secundum totum

aliquando genita est sphera ignis quæ nunc motu cæli conseruatur, cùm mundus sit æternus : & reliqua elementa æterna secundum totum, quę tamen secundum partes generantur, & corrumpuntur. Et tunc quæro, quando producta est sphæra ignis, & cur non prius vel postea? Si dixeris (ut certò te dicturũ scio) hanc generationem semper fieri & cælum semper atterere si aliquando attriuit, quia secundùm principia Peripatetica generatio est æterna, quia non est principium seu primum instans quo omne cœpit moueri, neq; est ultimũ: tunc sane consequetur in concauo orbis lunę non tam esse ignem qui genitus sit ex confrictu cęli; quàm aerẽ ex quo per confrictum cęli ignis fiat generatio : itaq; formã & materiã aeris ibi oportet esse æternam & per se, siue moto, siue quiescente cælo, siue inquam confricante siue non confricante & atterente. Formam verò ignis altera tantum ex duabus ijsce causis, & hac utiq: inæquali incõstãte & gradib. certis deficiẽte versus polos, & cõsequẽter per singula puncta magnitudinis atq; temporis intensionem recipiens & remissionem ; unde constat necessaria conclusio, quod scilicet ignis sit illic secundùm certas partes, & gradus, & loca, atq; omnino per accidens.

CAPVT XVI.

Ignis elemẽtum est sol uel in sole uno modo, atq; in Telluris & in astrorum omnium spiritu alio modo.



Inite confictum pictumq; adcurrere ad ignem,
Ignis enim est nullus vel qualem continet amplus

Tellu-

Telluris globus. Hic quicumq; emiſſus ab alto
Concurrit ualido radiorum robore uectus
Deſcendit cælum nihilo obſiſtente penetrans
Clara in ſubiectum ſpargit miracla profundum.
Hunc Stygios ſentire lacus Orciq; cauernas
Imaq; quantumuis vaſti fundamina montis
Hoc ſuccenſa mouent, iſtoq; urgente caleſcunt,
Hunc Pater Oceanus refluis complectitur undis,
Hunc faciem per Telluris quæ pluria uiuunt
Ipſa teſtantur uita, & præſente vigore,
Flammeus hinc curru uolucris uehitur per apertum
Aërei campi turbo horridus atq; timores
Incutit ingentes, claro fulgore tenebras
Diſcutiens triſtes, at triſtior ipſe tenebris.
Flammiferas magnum pellit per inane ſagittas,
Fulminaq; ingeminant uibratæ ſpicula flammæ;
Horrifico quaſſum tonitru cælum omne remugit.
¶ *Mitto etiam cælo quæ ſunt cognata ſereno*
Vt libet hæc fiant, ſiue antiperiſtaſis exſtent
Effectus, numquam quod res eſt ipſa negabunt
Flãma, draco volitans, trabs, lancea fax, cruor, ebur.
Ignis in aerea modo cum ſubſtantia currit
Aera ſubtritum quando audio, quare elementum
Ambo ſunt unum, proinde accedentia cauſa
Subſtantis minimè fiunt. porro alteritates
Inducunt, ſeruant, geminant, augent, minuuntq;.

CAPVT XVII.

Ex opinione authoris libri de mundo &

Aristotelis sequitur multiplex ignis sphæra.



Issum ad Alexandrum de Mūdo insigne volumen
Edocet ut nilum poßit comprendier intra
Contiguas sphæras, vehemens refricatio namq; est.
Ordine sed vario, varioquoq; tempore motus
Ignis constituet varium discrimen ubiq;.
Porrò heic absurdo si quisquam cesserit uni
Hunc velit nolit mox millia multa sequentur:
Vt sit opus, tandem tam multos dicier ignes
Quã variè patiẽs ita sit pro corpore corpus.
Conuenit interea ut noua sit generatio semper
Cum noua perpetuo veniat causa. At super æthra
Nam qua materies gignendo sternitur igni?
Quid mediat gemini gemina interq; ultima cæli?
Si per se est ignis, verè ignis non genitatur.
Cæli confrictu de illo qui præsut ignis.
Si de alio, numquid cæli de materia sit?
Et tunc materies cæli corrupitur illa.
Materies vero si constans est elementi
Tunc est corporibus locus ignis & aeris ijsce.
Si nihil adtendis, tunc illud inane sequetur
Quod tanta refugis formidine, nempe meantum
Quod geminas inter facies cognoscere oportet
Continuum & quoties non unum commeditaris.

¶ Vt nos à tot difficultatibus & inconuenientibus cum naturæ facilitate promptitudineq;

dineq; philosophantes liberi simus ad omnia & expediti.

Flecte igitur mentem teq; ex ijs exime curis
O' doctor procul hinc orbes frictusq; repelle
Atq; unum fateare locum firmamen & unum
Aera, vel spacium æthereum quod sidera magno
Inuoluit refouetq; sinu quorum igneus est sol
Quem circum totum per gyrum accenditur aer,
Lumine completur Tellus vitæq; fauore.

¶ Pluries dictum est circulos non esse ullos in motu naturalium.

¶ *Desine distinguens numero quo lata videntur*
Corpora, de medio ad medium circa mediumq;,
Tales cum nusquam natura ostendat. Atultro
Non umquam mensi mensem, lucemq; diei,
Horæ horam, puncto punctum, natura reportat
Ex cyclo similes: aliena sorte sequuntur.
Non punctum exoriens repetit sol prorsus eundem
Quæuis continuo fluxu exagitata nouantur,
Nec sedes repetunt antiquas inde profectæ,
Nec pars Telluris consistit quæ regiones
Non repetet cunctas, parilisq; potentia quamq;
Vndiq; vel rapiat, vel mox rursum undiq; pellat:
Siq; venit rursum quod centrum forte reuisat
Non simili forma, non pergens ordine eodem.

Motum rectū partibus corporum natura primorum, id est, stellarū, accidentarium esse ostenditur.

¶ Porro & iudicium crassa exercendo Minerua
Spiras atq; helicas & cuncta imitantia cycli
Formam, appellemus cyclos. Deinc motio recta
Nam cui conueniet toti? Quis non videt ipsam
Partibus in certis tantum, atq; aliquando vigere,
Extorres propriam repetunt quando ad regionem.
Atq; id perpetuò non est de finibus ÿsdem
Perpetuò ad fines neq; tendunt semper eosdem
Impleat ut caueam subit aer inane repente
In fundum tendens: dextrum petit atq; sinistrum
Sicubi quæ circumsistunt sibi corpora cædunt.
Absimili pro sorte ignis non fertur & unda
Non minus ex imis repetens super aera surgit,
Ordine quam certo fundum penetrauerit ante.
Quod verò recta tecti deculmine fertur,
Quod putei è labÿs recidit, quoq; concita in imum,
Tunc profuga est quia non mediū natura ministrat,
Sed vis externi concurrens efficientis.
Ergo duos motus species si linea curua
Rectaq; definit diuulsis partibus, alter
Natura est partis quæ naturaliter exstat,
Alter natura malehabentis & exulis unde
Ocior illa breui rapitur pro uiribú tractu,
Intereaq; cadit medium per inane rotando,
Formata adueniat quauis penetrando figura
Et facit id penetrans facit & penetrabile corpus
Vt motus neuter vel sit communis utriq;
Mixtus, vel varius, simplex compostus, id ipsum
Iudicio alterius committimus ocia cui sunt.

DIctis adde quod si cælum est tibi tangens, aliqua tactus specie, qua tuis sine alio sensu vel euidentia confingas verbis, verbi gratia distinguẽdo tactum physicum, mathematicum, & metaphysicũ, & ethicum, & logicum, & sophisticum & elenchum: physicum deinde subdiuidendo in inferiorem & superiorem, simplicem & compositum, elementalem & cælestem: omnino tandem opus est ut aliquid proferas quod & tu intelligas & nos intelligamus: nihil dicas tangere aerem rapiendum, fricandum, atterendum, subtiliandum, nisi tactu materiali quo scisśile fit hoc, illud verò propter naturæ constantiam scisśiuum tantum huius: quod cum dixeris est etiã quod posśis vel præcisè vel Rhetoricè vel propheticè persuadere. Proinde sicut hæc continguitas moti cæli super aere facit ex eo attrito ignem, vel super ignis sphæra faciens eam ignis sphæram; ita & opus est, ut ex contiguitate duarũ sphærarum cælestium consequatur nihilominus confrictus aliquis, nisi latius velis imaginari interuallum quàm par sit. Si interuallum est, ne pasśio sit in cælo, omnino enim inter fricantes duos oportet alterum esse potentiorem ad retardandum vel remittendum motum alterius, vel ita alterum irrumpere per alterum ut aliquarum partiũ attritio fiat & consequenter melius generetur ignis. Ais utramq; sphærãm inalterabile esse, & hoc satis est tibi dixisse ut credamus cælum attiguum alterare aerem, nõ autem alterum cælum. Sed si non credemus? quiesces? Cõtra negantes principia inquies non est disputandũ. Discentem inquies oportet credere. Ast ego vicisśim meliora. Docentem inquam oportet ostendere, philosophum oportet probare, sine certis demonstrationibus & ex euidentioribus principijs aliorum nõ oportet cõuellere philosophiam; tyrannidem super ingenia hominum sibi arrogare. Omnia sunt tibi sine sensu & demonstratione securè & triumphaliter iam diu admissa,

concessa, probata; Vnum tantum peto si confrictus vel contractus cæli cum cælo (quorum non est concordantia in velocitate motus, neq; in axibus & polis) non facit æquali vel maiori vel minori ratione ignem, quid nam rogo) intelliges inter duas superficies medium? vacuumne? cęlum ne? elementum ne? nihilum ne? Vacuum tibi est explosum diu. Cælo illi non est impositum nomen, & de celo illo neq; memoria neq; cogitatio tibi fuit unquã; quod si nunc recens tibi admissum veniat; ut sit scilicet cælũ B medians inter cælum A lunę & cælum C Mercurij, quæremus subinde de eo ꝙ mediat inter cælum B & cælum A. Item inter cælum B & cęlum C, an vacuum, an cælum, an elementum, an nihil? & tũc semp sub eadẽ manebis q̃stione hærẽs. Restat ergo cùm non intermediet vacuum neq; cælum, ut intermediet elementum; sed hoc non est terra, quia locus eius est centrum & grauissima est à circumferentia omni remotissima; quod si etiam sit terra, vel aqua, vel aer, opus est omnino ut nõ minus illic atteratur quodcũq; sit elementum ut ex eo fiat repentè ignis. terra enim tibi rarescit in aquam, aqua in aerem, aer in ignem. quocirca si ibi ponere pro primo fundamento terram ex qua fiat attrita aqua & vapor remanebit hac mutata specie violentissimè, quandoquidem terra migrans in aquam lõge maiorem locum exigit, aqua in aerem multo maiorẽ, maximum vero aer in ignem. Sic ergo inter duos orbes mutatus aer vel aqua ex confrictu cælestis motus, non habet quo se recipiat ad ampliorem pro captu speciei locum accipiendum. Hęc si vis effugere nil aliud ibi ex elementis ponas opus est, q̃ ignẽ, & hunc quidẽ ingenitum & qui non ex actu confrictus genitus fuerit ex aere, qui si pręextitit; erat etiam prius vacuum quod crescente magnitudine impleri trãsmutatione facta debuerit; atqui æterno stante motu illo vicissitudini isti & principio non datur locus. Mitto quod non omnis

ignis

ignis tendet vel potentiam habebit ad eundem locum quod tibi est incouenientissimum. Restat ergo ut dicas inter sphæram & sphæram nihil mediare,& tunc sequitur sphærã cũ sphæra esse continuũ unũ; & superficiẽ unius nõ distingui à superficie alterius,& motũ unius nõ esse aliũ à motu alterius,& cõsequenter nõ esse sphæram & sphæram. neq; tactũ earum:semper quippe inter supficies subiecto mobili variè distinctas oportet esse spaciũ quo non sint unũ continuum, vel ita attiguum ne liberum habeat hoc & illud motum.

CAPVT XVIII.

Concluditur,motus similis totius & partis non mathematicus sed physicus,quia non circa phãtasmata est sed circa naturam. Sicut dum animal totum suo motu regitur voluntario,vel naturali vel qui unus est pariter naturalis & voluntarius: ita & partes propriis quædam interim,motibus aguntur in toto, circumeundo.



Rgo quod ad motum spectat retinere decebit
Vt toti ac parti est communis circulus unus:
Non qualem circumfluxus describit ab omni
Parte æque à centro distant:atq; ordo mathesis
Abstrahit;at physicam referens super omnia legem.
Sic mare cum specie hac tota Amphitritis aquarum
Nec non qui nebulas & uentos continet aër,
Inter & excelsi sublata cacumina montu

Sub spacio æthereo tanquilla sub regione,
Vt quoq; Telluris constant hæc omnia parteis
Vna sic motus specie delata putentur.
Interea propriis in toto motibus undæ
Spiritus, atq; ignes agitantur & hasce sequuntur
Pro ratione uices propria ut totum tueantur,
Singula, & ipsa suo ut possunt seruentur in esse.

Motus aquæ circularis, & ignis, & pluuiæ & grandines ita cadũt, ita vapores ascendũt, ita uenti circumeunt faciem conuexã nostræ regionis, sic & flumina tum arcus constituũt in superficiei aperto, tum in profundũ & de profundo, immersa & emergentia.

Non rectà è medio Telluris se unda recepit
Nec medium rectà naturæ lege feretur.
Quosq; uidere licet. se obliquis tractibus ignes
Attollunt altè spaciosas per regiones
Discursantq; uagæ sinuosa volumina flammæ.
Non rectà adpellunt sursum crebriq; vapores,
Obliquæq; cadunt guttæ quas pluuius aer
Mittit, quas nymbus validæ resonante procella
Excutiat denso nubis de corpore passim.
Non aliter crepitans lapidosæ grandinis imber
Inde ruit campumq; petit fisso æthere deorsum
Spiritus aereus varias qui inclinat ad oras,
Vnde audire licet ventorum nomina quorum
Extra Telluris nullus conuexa pererrat,
Alto descendit cæli de culmine nullus,
Atqui ab horizontis deducunt cardine fluxum

Atta-

Attamen est si quis ceu cunq; per aera motus
Ventus erit certè, gaudebit nomine venti
Omneis succedunt cedentibus ad regiones.
Quidquid & hanc circum venturũ adremigat alis
Telluris faciem (cum sit conuexa) necesse est
Circuitu quodam, cursu haud breuiore vagetur.
Naturæ motus nimirum talis ubiq; est
Proiectum recta sursum migrareq; deorsum
Non video quod natura impellente recessit.
Vix venit in rectum quæ desluit unda canali
Imbricibusq; domus proprio fraudata meatu.
Flumina siq; uides ut terræ in uiscera condunt
Fluctus, è terræ gremio passimq; resurgunt
Perpetuo obliquis quoq; cernis passibus ire
Dicere ne possis quod promptius ima capessant
Quam superas cupiant rursum contẽdere ad auras,
Nec tantum æquoreas concurrunt flumina ad undas
Vt minus æquoreis decurrant flumina ab undis.
Vtq; repente cadunt uastissima flumina deorsum
Sic tollunt aliunde caput facile illa repente.
Non magis ad fluctus dicas descendere salsos
Quàm sursum æternus conscendat fluxus aquai;
Tergora nam super alta freti se uertice longo
Immittunt, nihiloq; minus spiralia eundo
In mare cæca facit uestigia tramite flexo,
Quam in facie fiant curua serpentia sicci
Obuia ibi findunt scopulorum corpora passim
Quorum non semper contendit ad aëra uertex;
Vsq; adeo occulta est disperso in flumine causa
Et pronus recauata magis descensus ad ora

Dum

Dum naturali motu diſcurrit in arcus
Sic imum penetrant, emergunt deq; profundo.

Exemplum ex omnibus magnis fluminibus quæ ſuper Telluris conuexitudine ſerpentia in arcum, non in rectum procurrere inueniuntur.

¶ *Aſpice Leucoreis veluti digreſſus ab oris*
Germanum Oceanum per ripas Albidos undæ
Si petis alta, poli magis ac mage ſidera fient;
Altior ipſa tibi ſe adtollit Parrhaſis urſa.
Si vero ad fontes verſus iuga denſa Boëmi
Illa quibus tepido plus fias proximus Auſtro
Aduentes, Cynoſura magis ſe deprimet, atq;
Auſtricus adſurget, Boreus ſe condet olympus.
Ergo ſublimis geminos eſt Leucoris intra
Fines unde onerat ſe flumen & exonerat ſe.
Circuitus porro hanc habet omnis conditionem,
Partibus è cunctis æquè ut ſit & altus & imus.

¶ Et in promptu eſt ut aqua æqualiter aſcendat atq; deſcendat, quod certè non habet niſi ex proprietate obliqui motus & ex innato curſu, in circulo enim mõſtratum eſt ubiq; aſcenſum pariter accipi atq; deſcenſum.

¶ *Nec magis in planum campi decurrere ab alto*
Spectamus riuos quam demigrare profundo;
Scaturit è plano riuus de ualleq; ſurgit,

Sur-

Surgit & excelsi riuus quoq; culmine montis.
Sic quoq; viuenti per venas sanguis ad omneis
Membrorum parteis currit sursum atq; deorsum
Idq; aliò varie dispostos totius artus:
Nec magis est facilis progressus & unus & alter
Ad centrum adpulsus Telluris partibus est sic
Ad cordis sedem ceu partibus est animantis.
Nec quæsita quies, neq; naturalis habenda est
Si nusquam pars ulla manet si cuncta mouentur
Continuè, atq; alia & alia pro sorte geruntur.
Nec tantum alteritas in toto & partibú cunctis
Continua est, verum neq; constans sede in eadem
Est & idem totum: quia numquam partibus unus
Ordo est aut numerus, velut est in flumine apertum,
Extremum & medium cui sunt variata repente
Ne ex aliis ullæ constent in nomine parteis.
Influit externum deq; effluit omnibus id quod
Immanet, & nihilum est sistens in partibus iisdem
Quandiu vel dicas quod sistat partibus iisdem.
Si verò est totum quod in iisdem partibus usq;
Consistens videatur & id scio nil minus esse
Et si est illa latens. In eadem conditione
Pleraq; sunt etiam quorum mutatio multo
Tempore cōspicua est argenti, auri, atq; adamantis.
Nam si esset quicquam quod posset in unius horæ
Esse manens spacio, cedo nunc, quid deinde vetabit
Naturæ effectum qui non dissoluitur umquam?
Nam si fixa foret rota temporis, omnia in ipsum
Vertisset. Talis certè est substantia rerum
Vtpote quæ sola est constans natura atomorum.

Ergo animi tandem melioris concipe uires,
Tum demum præsta naturæ vocibus aureis,
Scripturamq; eius claram in vultu specierum
Sensibus obiectarum humanis, & rationi
Perlege, præcipuas animæ adaperito fenestras.
Aspice num possis oculis comprendere apertis
Quod tibi sub cæco verum phantasmate visum est.
Namq; intellectum phantasmata vis speculari,
Interea sanæ modicum tribuens rationi
Quæ neq; phantasma est, phantasmata nec specula(tur.
Abijce commentum cui nulla extrinseca mater
Est species, sensus potius male sanus adhæret.
Dic ubi naturæ est praxis pro motibus illis
Rectis, vel qui sit naturæ adcommodus umquam
Principio manans de externo, de violento.
Vnde est peruersus ille inditus ordo elementis,
Nempe super terram est neruus genitalis aquarum
Iniectusq; eius per viscera sit violenter.
Ast quæ natura est quam nunquam vincere constat?
Victaq; perpetuò est? & cui contendere frustra
Accidat in cupitum, quam nulla potentia lapsam
Corrigit, erranti seclumq; perenne reclamat?

OMnia circuunt, & Telluris partes, & maria & flumina variant inflexo reflexoq; quodam naturæ ordine vicissitudines, sicut materia hinc inde influendo effluendoq; vagatur, ita etiam circa materiam formæ. Non est etenim forma aliqua quæ cum sibi materiam semel usurparit, hanc semper contineat; non est materia vaga quæ cùm certam semel asciuerit for-

formam, hanc semper sustineat. Inde enim factum esset ut cùm materia semper aliam aliamq; suscipiat formam & æqualem habeat ad omnes potentiam, & consequẽter ex æternitatis vittute in hanc debeat aliquando incurrere potentem eam sibi æternè obligare : certè omnia essent in ista forma constituta, & nulla esset in rebus alteratio & differentia.

CAPVT XIX.

Distantia maiori non acquirere vel habere corpora maiorẽ adpulsum, immo nullũ ad locum unde abacta.



Onstet præterea quantum Stagyreus ab erret
Callibus à veri, sibi dum suadetur & illud
Quo si disiungat corpus distantia maior
Finibus è proprijs, tanto vehementius illos
Adpetat, appulsu adq; illos maiore feratur,
Natura est eadem quia distanti atq; propinquo:
At mihi sat melius nostri sentire videntur
Vt nos ipsa rei facit experientia certos
Diuulsas partes, proprijsq; à finibus actas
Heic ubi comprendit seorsum distantia maior
Ad proprias non plus ad regiones illa facultas
Approperandi aderit, proprio quam corpore vulsis
Viuentum membris, de sanguine & ossibũ quorum
Quodq; ubi succumbit propria de parte recisum,
Sordet, quandoquidem perijt prior illa facultas

Quem

Quam sanguis proprium per totum currit & hæret
Cognato ad vitam momento spiritus illi
Aëream quæ sunt parteis latæ in regionem,
Et redeunt, ac natura constanter aguntur,
Verè de proprio non discessere theatro.
Nam ut perspectum est, nec non Stagyrita notauit
Pars est Telluris nebuloso turbidus aër
Atq; procelloso spiramine refluus iste.
¶ *Integra mundorum quoq; corpora respicienti*
Extremum & mediũ nequeũt cognoscere quicquã
Extra orbem proprium, & synodi certi regionem.
Nam circumcirca per cunctas undiq; parteis
Aequalis parilisq; rapit respectus & ordo.

Quæritur à Peripateticis quare cometarũ vastißima corpora quæ telluris molem ferè vel probè exæquãtia oportet esse, à sua illa aëris incentiua regione infra ignis sphærã nõ cadunt in terram; à qua intelligit esse partes exhalationum specie separatas, quæ in combustibilem massam (tantæ durationis) sunt concretæ?

¶ *Proin portentosi populo natura cometæ*
Id poterit clarare tibi, si talis habenda est
Qualem definis, cùm terrea materies sit
Istius informamq; illuc sublata vaporis
Parteis, nimirũ has minimè admigrare profundum
Terrai, ac nostrum ratione haud dixeris aptas
Qua nimium distant, rapidiq; potentia cœli
Torqueat in cyclum (ceu cuncta) potenter easdem.

Hinc

Hinc circum terram Eoo de littore surgunt
Et nunc Oceano properè conduntur Ibero.
Attamen heic non est tua illa essentia quinta,
Terrea sed moles ibi spissa ac densior acta
Vt suesti multis etiam comprendere signis.
Præsertim verò quia tandiû torrida flamma
Ac tantæ molis supera manet in regione
Robore quam spisso patitur combistilis humor,
Quem multa iccirco affectum grauitate reamur
Quod modica haud pote sit tempus cõsumere parte.
Terq; quaterq; nouis Lucina in cornibus ortus
Inuenta est iterasse suos, ea massa priusquam
Ignis per uires fuerit populata voracis
In vacuas auras q; cinis dilapsus inanis.
Ergo interuallum grauitatis si rationem
Non tollit, non extenuat, mihi dicito quare
Corpus tam vastum, corpus tibi pondere mirum
Non modo non recidit, neq; constat in æthere fixum,
Sed velut astra facit circum terrestria gyrum,
Cum velut astra tamen non gaudet pondere nullo
Cum sic ætherio posit raptarier orbe
Vt nullam à stellis designet differitatem.
Ergo dede manus tandem ratione coactus.
Te premit hinc etenim atq; illinc angustia duplex;
Vel nihilum fateare illic grauitatis inesse,
Aër quod subsit multus cui nulla facessunt
Quominù sustineat tantum ille negocia corpus.

CAPVT XIX.

De vera cometarum substantia adijciuntur quædam superius explicatis.

*T veram potius naturam crede cometæ*
(Qui species est, Telluris mundusq; per orbem
Obliquè ad visum hunc speculari corpore latus.)
Quando principijs nequeas comprendere iactis
Quid facit ut tanto spacio nunc cadat in Austros,
Nunc autem Boreum refugax contendat in ortum,
Nunc magis accedat summi ad fastigia cæli,
Et longo nimium tractu diuellitur ista
A`regione, fuit postquam tam proximus illi;
Dic quonam pellente suis definibus exit?
Mitte quod & motum qui fit sub imagine terræ
Si circumscribas, verus tibi motus apertus
Mox aderit propiusq; oculis rationis oberrans,
Quo valeas animam motricem corporis esse
Illius, atq; hebete ulterius non currere sensu.
¶ *Respice vestigans motum num cauda sequatur?*
A`tergo siquidem flammantia concita caudam
Cuncta trahunt.
¶ *Perpetuò ad solem neq; forma fertur eadem*
Sed tamen opposita ad solem de parte perennat.
¶ *Et mirum medio cùm sint ea corpora in igne*
Cur latere ex uno tantum flammata videmus
Vt queis non circum, sed queis supponitur ignis.

¶ Dic

¶ *Dic etiam quænā caußa est cū flammea sursum*
Vis tendat, tamen illa minus contendit in ipsum?
¶ *Fare etiā interdū curnā cauda illa recurua est?*
¶ *Edoce multocies cur conus nectitur astro*
Ne liceat caudas inter numerare comasq;,
Hinc basis augusta est, culmen verò inde peramplū?
An non igniti à specie isthæc prorsus abhorrent?
¶ *Dicito si rapitur motuq; cometa diurno*
Vnde etiam proprij sunt tot discrimina motus,
Quæ coram obiectent naturam omnino planetæ?
¶ *Quinetiam supera ultra lunam sunt regione*
Comperti, atq; ultra Solem Venerisq; tenere
Mercurijq; locos concessum est astronomorum
Trubæ, immo & super hos septē comprēditur unus
Temporibus nostris, visus fermeq; per annum.
Miraclum attonitis magnum, signumq; futuri
Exitij mundo, discissas altitonantis
Edicto leges naturæ non patientis
Vlla peregrini vestigia corporis ultra
Lunarem inuexum, quia sic Stagyrita docebat.
¶ *Ignea siq; coma est, quare ergo sentis in ipsis*
Compertam fixis, Chaldæis adstipulatus
Visu confirmans proprio? Dicisq; measse
Cristato quosdam de septem errantibus orbē
Sæpius: atq; istud me non latet. Vnde negabis
Ergo astri speciem, quoniam accendi ista videntur
Rursumq; exstingui, neq; multo tempore sese
Insinuare oculis, & crescere deminuiq;?
Horum ut cognoris causam, nodisq; relatis
Comperta liber fueris luce, illa parentis

Dogmata Pythagoræ ſapiens reuerebere deinceps.

COmetæ apparētia eſt lux Solis reflexa in aqueā ad oculosq; noſtros oppoſitam aſtri ſuperficiē, in qua ſcilicet radius noſter viſualis cum ſolari radio angulum efficient. Subiectum cometæ eſt planeta Solem circumcurſans non minus atq; aliter quàm Tellus ſubſtantia quædam compoſita eſt; ab iſtis verò famoſis planetis ſola relatione differens: quoniam ea de cauſſa raro apparent, quia eorum circulus non venit ad eam oculorum noſtrorum & Solis oppoſitionē ut ſpecularem reddat lucem; niſi raro, quando ſcilicet ita deuenerit utrumq; aſtrum, ut ſplendor ille excitatus in corpore aſtri habet ad oculos noſtros reflexionem. Et nihil eſt quod obſtare poſsit quo minus eadem relatione omnino vicißim corpus Telluris fulgidum aſtrum, alio tempore in ſpeciem cometæ illi appareat cum ocularis radius eorum qui ſunt in illo planeta (quem cometam dicimus) unà cum ſolis radio angulum facient in oppoſita lucida facie Telluris ſecundùm eaſdem durationis & qualitatis differentias.

¶ Sol & aſtra ſcintillantia perpetuo viſibilia ſunt per tenebras ſuper horizonte expoſita, quia per ſe lucēt, in quacumq; ſint cæli regione. Ex aqueis verò Mercurius, Luna, Venus, Iupiter, Mars, Saturnus, propterea quod eorum circulus vel eſt idem cum circulo Terræ ut Mercurij & Veneris, poſſunt mutuum perpetuò retinere aſpectū & ſemper ſunt in oppoſitione, quia è diametro diſtant. Vel eſt alius ab circulo terræ, ſed tamē ad eaſdem partes, nempe verſus eam cæli regionem in qua deueniat ad Solis oppoſitionem qua ſuſtineāt angulum ex radio Solis atq; viſu noſtri, idq; in omnibus eorum circuli partibus. Et huiuſmodi planetæ ad omnē oppoſitionem veniunt: in omnibus nempe ſignis conſpi-

ſpi-

ſpicui. Vel eſt ad alias partes ſed non omnino, quia poſſunt ad breues quoſdam arcus certis temporibus incidere, in quibus ad ſpecularem nobis veniant oppoſitionem; & planetæ iſti ſunt interdum ſenſibiles cometę; Vel eſt ad alias omnino partes quibus nullo tempore & nullo loco fiunt in oppoſitione, & hæ ſtellæ ſunt Planetæ occulti.

¶ Ex conſideratione eorum quæ modo dicta ſunt infertur, eorum apparentiam non poſſe perſeuerare uſq; ad longitudinem quatuor ſignorum, raro autem ultra longitudinem trium: quoniam qui ita obliquum peragunt circulum non plus quam in tanto ſpacio ad ſpecularem poſſunt oppoſitionem venire. Ad hoc enim ut planetæ à nobis videantur nō ſufficit ut ſint nocturni, ſuper horizontem, & illuſtrentur à Sole, verum etiam opus eſt ut angulum in eorum illuminata ſuperficie faciat viſus noſtri linea cum radio Solis. Experimur enim quod cum tota aqua fluuij, vel maris illuſtretur, nō undiq; tamen nobis lucet ſed ex certa tātū parte; & licet totum ſpeculum recipiat imaginem oppoſitā, eam tamen non undiq; videmus ſed à certa oppoſitione atq; conuerſione.

¶ Propter eam ergo quam habent caudam non ſunt credendi alius ſubſtantiæ quàm planetæ reliqui: quādoquidem ut in ſuperioribus notauimus ex obſeruatis noſtro & alio tempore; & cometæ interdum apparent maiore, interdum minore, interdum minima, interdum nulla cauda. Et hoc vel toto circuitus ſui arcu quo nobis ſunt conſpicui, vel parte. & quædam non alia ratione differre comperiuntur à planetis pręterquam quia non ſunt ordinariæ apparētiæ. Dico ergo non propterea eſſe ſubſtantię diſcrimen, quoniam & cometæ apparent interdum ſine cauda, & planetæ interdum caudati. Planetæ enim ex aliqua regione caudati videbuntur, quorum cauda ſicut intendi poteſt & remitti,

ita & omnino tolli. Sine coma nobis apparuit insolens illud astrum iuxta Cassiopeię sedem ab initio Nouembris Anni Christianorum M D LXXII. usq; ad mensem Aprilis M D LXXIIII. qui sent menses sexdecim, fulgore luminis sui stellarum omnium primæ magnitudinis dignitatem longe exuperans, quod ea de caussa sidus nouum appellant mathematici & non cometam; quasi cometæ sint elementalis substantię, illa vero non. Vnde Cornelius Gemma qui ea quæ sunt extra naturam Peripateticam, putat esse simpliciter extra naturam. Astrum hoc (inquit) quicunq; ad naturalem referunt caussam & sub communi cometarum ambitu censent; proculdubio sese demonstrant in demonstrationis methodo, doctrinaq; Parallaxeon, nedum in uniuerso mathematum genere, & in geometricis elementis quàm minimum esse versatos. Verum ad eam probationem vel tot probatissimorum hominum qui eandem stellam tanto studio ex tam diuersis longissimeque dissitis terræ partibus obseruarunt, in unum conspirans fidem perpetuā proculdubio in posteris promeretur. Et addit idem ad sententiæ marginem, Audent quidam asserere quod caudam vel comam in eo sidere adnotarint. mirum ne dum se oculariores cæteris volunt, ollas & cucurbitas lippiant, & Saturnias Lemas. Nos etiam in Ioue & Venere comam eiusmodi vel caudam sapius obseruamus.

¶ Ex hisce obseruationibus manifestum est quod esse caudatum uel esse sine cauda uel coma non facit ut specie credamus hæc astra differre. Non caudata porro astra heic multoties occurrunt, sed non ita prudentibus mathematicis offeruntur vel attentis, qui eorum differētiam ab ordinariè apparentibus intelligāt, cæteris quippè vulgari sensu præditis nisi caudæ vel comæ celebritate fulgeant, in æquo hæc astra sunt atq; alia. Atqui nostro seculo restituta est aliqua fælicitas, ubi defunctis Chaldæis, deletis Græcis, dormitātibus Italis; ex Prussia

& ex

& ex Germanici Oceani littoribus principes in nostras philosophię fauorem diuina prouidentia suscitauit atq; solertiores astromos, nisi quod ex ijs quidam tenebris vulgaris philosophiæ atq; fidei occecati noua his signis Deum miracula facere clamitant, quæ verius Aristotelis facit disciplina.

Neq; referre prætermittam quæ quædā sub Tichone Vraniburgi degēs Olaus Cimber refert de alio astro obseruato anno Christianorum MDLXXXV. à decima octaua Octobris usq; ad Nouēbris duodecimam, circa linum Piscis meridionalis cuius magnitudo fixas primi honoris excedebat, non tamen luminis (aiunt) claritate. Ex quo posimus intelligere esse planetam, deq; natura aquæ specularitter splendens non autem de natura flammæ principaliter. Tenebroso (ait Olaus) subpallido & obscuro lumine prædita erat adeo ut nebuloso gyro Cācri ubi præsepe est quā simillima stella fuerit. Fuit etiā undequaq; rotunda compactior & lucidior aliquantulum in suo meditullio, sed circa extremitates rarior & obscurior (ait ille. Ex quo confirmatur noster sensus quod non posit esse matera accensa quam par est opacitatem seruare in medio, ubi materia combustibilis crasior est & minimè clarior. Addit, Nulla cauda in lōgū ab aliqua sui parte, qđ ut plurimū in Cometis fieri solet, protēdebat, siue quod re vera nulla sui parte oblongior fuerit, siue quod caudam illam si quam forte habuerit sursum à nobis auerteret eo quod circa solis oppositum toto suæ durationis tempore versaretur, in cuius contrarias partes cometarum caudas quam proximè extendi crebra experientia compertum est. Per huius recētis stellæ occursum magnus in Germania Lantgrauius Gulielmus Hasiæ renouauit memoriam eius quod obseruauerat integro decennio elapso: testatus eandem stellam ab ipso eiusque mathematico Christophoro Rothmanno obseruatam die octaua Octobris in

Piſcium uigeſimo tertio gradu cum latitudine meridionali quatuordecim partium. Quapropter iudicat Olaus fieri potuiſſe ut paucis aliquot diebus prius eſtulſerit; unde manifeſtum eſſe debeat ipſum aſtrum facile conijci poſſe ex quantitate & qualitate motus ipſius; & hiſce duabus differentijs, quibus temporibus ad id veniat ſituationis, unde nobis poſsit eſſe cõſpicuus, per ea quæ dixi circa cauſam differentiæ horum qui perpetuò videntur, & horum qui ad certas motus ſui arcus diſtantias. Vt ergo non fabuloſa hæc, ita neq; ficta oportet exiſtimare quæ de Hippachi ſtella refert Plinius, qui annos Chriſtianorum annis centum & viginti quinque pręceſsit; quod videtat ſtellam nouam æuo ſuo genitam vel deprehenſam, pro qua in dubium eſſet perductum an hoc ſępius fieret, moucrentu. q; ſtellæ quas putamus affixas; Auſum propterea rem vel improbã Deo annumerare poſteris ſtellas, & ſidera ad normam expangere, cælo in hæreditatem cunctis relicto, ſi forte quiſquam qui rationem eius caperet inueniretur. Itaque naturam horum planetarum ab alijs neque apparentiæ raritas, neq; comæ cauda q; protenſio diſtinguet. Quin & Ariſtoteles ipſe metheororum primo refert & non errantes ſtellas accipere comam, ideoq; Aegyptijs eſſe credendum, quod & ipſe comatam ſtellam viderit in fœmore canis.

¶ Antiquorum tantummodo deriſas habemus & imperfectè relatas à ſophiſtis poſitiones, quorũ tamẽ rationes nullæ extant, nulla monumenta; quinimmo theſes illæ uel contradictione indignæ ab imperitiſsimo uulgo cẽſentur. Atqui VERITAS TEMPORIS FILIA. Ariſtoteles in metheorologicis refert Aeſchylum & Hippocratem Chium dixiſſe cometã eſſe Planetam comamq; ab humore per ſolem eleuato accipere. Ex quibus etiam ſenſu & verbis habetur eos cometas, planetas, & Tellurẽ ad eandem retuliſſe ſpeciem, quid eſt enim aſtrum à quo


humo-

humores per solem eleuantur, præterquam mũdus huic nostro mundo per omnia similis?

¶ Illa sensibilis cauda quæ etiam multiplex aliquando apparet propter congruentiam illius globi aquei ad obiectum solis. Ibi ex superficie illuminata corpus planetæ sensibile fit; á quo etiam ad solem sicut ab hoc nostro mari, fluminibus, stagnis, & aliis omnibus Telluris partibus continuè per calorem materia nubium & pluuiarum vapor in circumstantem aerem explicatur, idq; magis ab uno loco fit quâm ab alio, quando tum varia est Telluris superficies exposita in siccitatis humiditatisq; gradibus, tum & solis actio varia est qui per vices omnibus nunc ad illum tropicum accedit magis: unde & hoc potuit videri causa qua eadem stella nunc non comata apparet nunc vero sic, rursum nunc magis comata nunc verò minus, quia scilicet non semper, neque undiq; æquè sensibiles vapores à corpore diffundantur. Ita & in Telluribus illis euenit ut nó solum ipsæ per aqueam superficiem splendeant, sed per humoris densitudinem circumstantem circumfulgeant etiam sic in impressione quæ halo appellatur circa solem, lunam & maiores stellas propter aeris crassitiem intermediantem. Caudam ergo oportet esse substatiam quidem uaporosam quæ ad partem astri sol dam non spectet, sed per humorem per aerem ab illo corpore effluẽtem uirtute concipientis & dissoluentis caloris à sole.

¶ Licet autem ex toto hemisphærio illa humorum attractio & eleuatio fiat, non opus est neq; possibile totam stellam undiq; apparere crinitam, caudatam, barbatam, sed rãtum ad refractionis latera, sicut in plano speculo ad lucem & imaginem obiecto; quod licet undiq; splendeat & referat imaginem, nihilominus ex ratione anguli constituti in in planitie illa per visus & visibilis speciei linearum inclinationem, opus est ut apparentia & presentatio causetur, Cauda verò extenditur deinde

propter anguli fluxum. Oculo enim & imagine existen-




te in A qui ad rectum angulũ radiat super speculo B C in punctũ D, angulus nullum habet fluxum ubi æquales sunt anguli A D B & A D C. Hinc cometa ille rotundus sine cauda. Quod si oculus & imago E ad angulũ acutum radiet super speculo B C, qualis est angulus E D C, tunc à puncto D uersus punctum B fluens angulus causabit caudæ cuiusdam apparentiam propter imaginis defluentem elabentemq; speciem: & caudæ, seu defluxus eius species tãto protendetur amplius, quãto angulus E D C amplius angustabitur. ubi quãdo proximæ fuerint ad acutissimi anguli constitutionem in D extrema duo E & C, ad extremum maior erit sensus caudæ cuiusdam velut in immensum protensæ, minimus autem vel imaginis & eius quod imaginis est subiectum. Hinc (quod in superioribus relatum est) notauit Elyseus cometæ absumpta specie longissimæ angustissimæq; protensi crinis speciem remansisse. Patet etiã ratio eius quod dicit Olaus quod crebra experientia compertum sit uel nihil uel quàm proxime extendi caudas circa solis opposi-

positum. Quod uniuersaliter profert Cornelius Gemma, qui docet cometas semper habere caudam opposi-tam à sole. Rebus (inquit) accēsis proprium est ut in pri mis ad suæ accensionis principium referantur; contrà verò cometis accidit ut nutent perpetuò ad oppositum solis, ut non tam φλόγωσις vera, quàm radiorum ἀνάκλασις propterea censeatur. Vnde manifestissimum est hanc impressionem Materialiter esse in corpore speculari aqueo. Efficienter à sole. Formaliter ab impressione lucis & diffusione radiorum influxu atq; defluxu. Localiter in aliquo quadrante vel circitér circuli illius planetæ seu cometæ. Situaliter ubi ita constituitur ut & lux solis & oculi radius in corpore eius sensibilem angulũ constituant. Temporaliter, quando differentes motus Telluris & illius per differentes circa Solis atria circulorum semitas ad eundem vel similem deuenerint habitudinis aspectum.

¶ Quæ enim super diuersis polis mouentur accidit ut aliquando velut occurrant, quandoq; concurrant, recurrantq; vnde quamuis vel circa proprium centrum seu medium, vel circa tertiũ medium quod ijsdem non sit concentricum, vel etiam si cōcentricum sit, nō æque tamen ad easdemq; partes mouentur, accidit ut etiam ad duodecimum & trigesimum annum ad eiusdem capitis relationem redire videantur.

Si enim æqualiter moueantur mobile X ab A versus B, sicut mobile Z ex E versus F, utrunq; respectu alterius videbitur manere & in eadem perseuerare distantia: & hæc uniformitas in toto circulo perseuerabit, eritq; tum vera tum apparens. Si F sit in cētro circuli ABCD; & D sit in centro circuli E F G H. Si verò F & D sint extra centrum, tunc si notabilis est distantia, notabilis erit & differentia in velocitate tarditate, propinquitate, remotione, magnitudine & paruitate corporis visibilis. Si verò X à B æqualiter moueatur atq; Z ex E, eueniet



ut perpetuò mutuò nunc magis nunc verò minus appropinquent: & iniquiſsjmè moueri videantur: ut quando à B hoc erit in C, tunc illud ab E erit in F; quando hoc à C in D, tunc illud ab F in G, (veluti velocißimo conſpicua motu:) & ita ulterius uſq; in finem. Vbi euenit quod cum æqualiter moueantur, viciſsim tamen appareant nunc viciniora velociora & nunc tardiora & remotiora, nunc maioris nunc minoris diametri.

¶ Quod ſi inæqualiter moueãtur omnino iuxta inęqualitatis differentias (etiam ſi non magno temporis interuallo diſcrimen ſit, ut quantum eſt inter undecim & duodecim, viginti nouem & triginta) accidet ut videatur hoc quidem ad eam cum tertio venire diſpoſitionem, in uno anno; ut Tellus ad idem cæleſte ſignũ

cum

cum Sole; ad quam illud non deueniat ante duodecimum annum ut Iuppiter, aliud non ante trigesimum annum ut Saturnus. Tres ergo qui non ita sunt superiores ut àppellantur, neq; ita circa Solem motu tardiores ut videntur, necessarium est ut simili atq; pari complexione & corpore, & vita similem atq; parem & certè proportionalem habeant ad Solem analogiam, quidquid sit de ea quæ est inter ipsos planetas: & absq; dubio sic Saturnalibus Tellus trigintá annorum spacio ad eãdem venit cum sole & signis cælestibus dispositionem: sicut Terrestribus Saturnus. Ita Iouijs recursum facit Tellus ad duodecimum annum, sicut nobis Iupiter. Sed circa horum exactiorem Theoriam habendam quæ nulla extat ad naturæ speciem, sed ubiq; est suppositionibus & falsis positionib. confusa & contaminata, nõ meũ est laborare, sed eorum quibus ad hoc suppeditatum est ocium & peculiare ingenium, quos spero futuros omnino, & profuturos.

¶ Quodcumq; astrum (quod verè astrum est) si interponatur in loco medio intra solem & nos, non multo poterit eidem esse propinquius luna, ideoq; oporteret ipsum suis dissimilaribus partibus apparere distinctum sicut & luna; & quodcumq; tamquam homogenea superficie lucidum, omninò opacarum partium absumpto sensu, ultrá solem certè est.

¶ Et si uero ueniãt propinquiora nobis quàm Luna sit & pene usq; ad Telluris contactum, docuimus ut non sit magis formidãdum ne illa cadant in Tellurem irruantq; dissipatura heic aliquid; q̃ ne Tellus irruat in illa; nullũ q̃ppè mediũ in ætherea regione est, & locus grauis, sed cuiq; stellæ suũ centrũ est quod est partiũ suarũ unionis causa. Docuimus ut omnibus unũ est undiq; simpliciter æquale spacium id est infinitũ, & cõsequenter omnia vbicumq; sunt æquè in medio sunt. Ex positis à nobis manifestũ est, quod si partes Telluris vel tota Tellus quá

habe-

haberet grauitatem in uniuerso corpore, momentũ grauitatis non esset ad punctum circũferentie aliquod, quia sic oporteret illam cadere ab illa parte versus cælum: sed talis punctus nusquam est, ubiq; enim perpendiculari linea respicit tamquam sursum.

Hoc ita est in omnibus astris sicut in hoc astro, quibus non minus nos sumus sursum & deorsum, quam illa nobis. Non erat ergo quod Cornelius Gemma pro maximo haberet portento cometã obseruatũ à Iohanne Voghelino anno Christianorũ MDXXXII. cuius parallaxis fuit triginta duorũ graduũ & uiginti septẽ minutorũ; eiusq; locum propterea non procul à medio aereæ regionis: ubi miratur quomodo tanta corporis moles tandiu in ea mundi parte librari potuerit, quæ nullã haberet motus analogiã atq; legẽ, utpote vaga & incõstãs & instabilis obseruata neq; multũ absens à loco unde tonitrua pluuiæq; decidunt. Sed esto Tellurẽ cõtigerit ut dixi, nõ est formidandũ plus, q̃ ne mea viscera & sanguis in alteri⁹ cõdãtur irrũpẽdo uiscera. Mitto q^{d} apud me tanta parallaxis tantã à terra distantiã nõ conuincit. Aeris regio & mihi & Aristoteli est pars Telluris quæ gignit pluuias & tonitrua. Et ut fiat nobis visibilis, debet extra conum Telluris esse resplendens. Sed videor audisse cognitum fuisse propter ecclipsationem multarum stellarũ opaciorem specie. Sed quæ ex huiusmodi obseruationibus sequuntur & cõfirmantur, facile concipiet cui nostrę positiones & caussæ non sunt ignotæ.

CAPVT XXI.

Aliud argumentum contra pluralitatem mundorum.


St aliud spectrum quo territus est Stagyrita
Quoq; alios trepidare facit, cæcosq; manere
In statione sua.
Dicit enim si fit discrimine pro numerali
Vt diuersa loco consistant omnia, eandem
Quæ referunt speciem, vel sunt utrumq; aliena,
Difficile absurdum mox imminet atq; sequetur.
Nempe quod è tantis, è tot quoq; partibus uni-
Cuiq; sibi proprius locus esset contribuendus,
Quod vult omnino procul à ratione putari.
Nam quot sunt partes, totidē media esse sequetur.

Responsio.

¶ Hæc ego perpendens phantasmata, talia credo
Qualibus & puero turpe est horrescere. Quid tum
Si proprium cuiq; est medium, siq; omnibus unum?
Mēbra quidē mediū, atq; basim referuntur ad unā
Omnia; dein medium unicuiq; adscribere membro
Quid vetat? ut cordi proprium, propriumq; lieni,
Pulmoni, manui, ventri, capiti, atq; cerebro.
Immo velut parteis animalis totius unum
Per centrum constant; pariter respublica quadam
Singula de membris recta ratione putantur;
Proq; velut synodo centrum concernere ad unum.
Immo etiam quæcumq; valet ceu cumq; notari
Pars, hanc perpetuò mediumq; admittere oportet;
Vt quantum quoddam est, & quāti nomine gaudet.

Ergo

Ergo velut ratio qua totum constituatur.
Est certum medium, ratione ita prorsus eadem
Cuilibet est medium membro, quia dicere totum
Hoc etiam possis, velut estq; familia totum
Per sese quiddam, quamuis pars urbis habetur.
Quæ mox pars regni est, ꝙ magnæ est pars regionis,
Quæ pars est mundi, quem tandem continet illud
Cui medium est nusquam, medium cui est & ubiq;.

CAPVT XXII.

¶ Aristotelis argumentum probans finem rerum ex eo quod omnis motus est ad terminum ut quiescat in eo, uel circa terminum ne recedat ab eo, & intra terminos quia non est infinitum mobile.



Rgo alia arma moue solers philomuse morando
Multa agitans, ne fors te paucis succubuisse
Conijciant; quamuis mucronem hastilia nullum
Contineant, iaculare tamen. Nunc principio illud
Scilicet ut motum qui est simplex perpetuo urget
Terminus, hic semper proprius quoniã est locus illi;
Quodlibet ex una exagitatur mobile parte,
Atq; alia in certa contendit sistere parte;
Proinde aliud ꝓrsus sunt quorsũ, ac terminus vnde;
Vt sanum atq; ægrum, paruum magnumq;, nã illud
Sanari quod volt, ad finem haud undiq; tendit,

Ve-

Verum de morbo; neq; quolibet it bene versus
At versum incolume. Quare neq; terra nec ignis
Tam certos fines, diuersos tamq; requirit,
Vt summum atq; imum sunt duplex terminus, unde
Latio finita est naturæ hinc indeq; recta.
Circuitus meta compressus non minus exstat
In geminas qui namq; secat sphæralia parteis
Dimetrus excursus monstrat facile atq; recursus
Principium ac finem, quæ puncto adtendis in uno
Stante quod in cyclo non sunt contraria toto.

Responsio.

¶ Ex hoc quod sursum & deorsum nõ sunt absolutè, sed respectiuè in ordine naturaliũ.

¶ *Hæc ita; sed nostrũ non est qui aliquando negarit*
Motibus ut certis instet finis quoq; certus.
Simpliciter verò certum sursum atq; deorsum,
Militat aduersus tum sensum tum rationem:
Omnia namq; suam nullo discrimine sphæram
Seu patriam affectant; unde & quacumq; ferũtur,
Atq; viam pandunt, modo non distantia multa
Obstet & impediat proprium interiecta recessum
Nempè ita cuncta sibi quæ sunt contraria vitant
Vt quo adseruentur contendant impete nixu:
Nam & supponenti Stagyritæ principiorum
Parteis confessum est quod si peregrina subesset
Massa infra terram, nisi vi non sisteret illic
Sed toto adpulsu conscenderet ad sua, terra.
Flammea visq; ignis sistet super atria Lunæ
Et via prompta datur, promptè demigrat in imum

Ergo eſt reſpectus: non eſt natura deorſum
Et ſurſum faciens; locus idem eſt altus & imus.

¶ Omnis quomodo ſit finitus ſingulis motus, & infinitus.

¶ Præterea quamuis verum eſt quod terminus, atq;
Certum ſtat medium, quo quidq; appellit & exit;
Non tamen iccirco poteris confingere mundum
Finibus arctatum certis quos nil datur ultra.
Nec tantum inficias quæ innata potentia rebus
Scitur in æternis, quia principia alta perenni
Se exagitant curſu & poterunt componere ubiq;,
Atq; aliis aliiſq; bonum concedere vitæ,
Sic numero ſine fine loca & ſubiecta pererrant.
Ad finem tamen eſt omnis mutatio præſens,
Quilibet è mundis velut eſt finitus, & ipſis
Finita eſt regio; cuius tranſire elementa
Pro caſibus ualeant poſitis confinia tandem
Hic motus primis eſt partibus, ex quibus omne,
Vt ualeant regionem incurrere de regione;
Haud tamen iis quibus eſt certæ adſeruatio formæ
Quæ ſunt vel membrum, vel membri portio nota;
Hiſce opportunum eſt proprios percurrere mundos.
Quocirca partes quæ iſtius ſunt ſpeciei,
Sunt etiam certæ omnino adſtrictæ regioni.
Ergo aberit multum ut Terra é regionibus altè
Abiunctis vel pars terræ pertingat ad iſtam
Vt gemina tibi nunc ſolidè ratione refirmo.

¶ Non eſt infinitus motus rei compoſitæ,

quia progreſſu alteratur facile & corrumpitur, icc irco infinitum reſpiciunt ſpacium ſola prima & indiuidua elementa.

¶ Quarum una eſt quoniam conſtat cõtraria totũ
Perficere ut calidam naturam frigida ſemper
Oppugnet, nec non ſuccedant iſta viciſsim
Perpetuè, iuſtasq; uices certo ordine ſeruent,
Mutuum unde etiam genitant refouentq; potenter.
Non dabitur liber quapropter tranſitus ille ad
Omnia, quandoquidem ſic in contraria curret,
A` quibus eſſe queat nullo peregrina labore
Victa, nec in propria poſſet conſiſtere forma,
Verum in victoris. Quare pars illa moueri
Deſinet omnino quia non eſt amplius ipſa,
In ſparſas atomos quando igne ſoluta receſsit.
¶ Altera nam uelut eſt dictum clariſsima conſtant
Experimenta quibus propria tantum è regione
Iſtius appulſus ſpeciei in partibus exſtat
Nã propriæ quæ ſunt ſphæræ mage lata propinqua
Quæq; ignita uides tanto uelocius illuc
Contendunt, tanto & vehementius obuia pellunt
(Ni fallant ſenſum interdum quia longius abſtans
Tardius ire putas & ſi non tardius ibit)
Humano uegetem excurſum in corpore ſanguis
Humoresq; tenent alij cum munere vitæ,
Non extra totum, prõprioq; ex orbe reuulſi.
Nimirum in toto per cunctas undiq; parteis
Motantur: proprius autem de finibus actæ
Conſimile haud retinẽt quicquã quantũlibet hærẽt.
Tanto igitur ſpacio adpulſus ſeruabitur ille

Dimidium quantum radij centro è regionis,
Seu radius ſignat circumq; ferentia ſiſtit:
Quã circa minima eſt grauitas, ceu maxuma centrũ
Apparet circa; mediisq; in partibus exſtat
Diſcrimen grauis atq; leuis, magis ut prope finem
Vel centrum minus atq; magis ſita comperientur.
Parteis queis grauitas leuitasq; tributa per illud
Quod natura ſunt quadam fraudata, petuntq;
Ocius ad propria, ut animalis ſpiritus ipſe
Attrahit aut pellit certo de limite rectà.
Quodcumq; ergo graue eſt apprimè dicito tandem
Sicubi deuenit certo diſcrimine diſtans,
Non premit hoc grauitas, neq; pro leuitate leuatur.

IOR-



IORDANI BRVNI NOLANI, DE INNVMERABILIBVS & immenſo.

LIBER VII.

CAPVT I.

Suadet ijs qui hæc non capiunt, ne ſine ratione à vulgaribus recedant ſenſibus.



Vnt tenebras toto palpantes tempore vitæ,
Qui ſe mirantur tanquam Sophiæ alta tenentes
Atria: Lanigerum pecù poſt veſtigia beluæ
Cornibù donatæ, aſt ſenſu nihilominus orbæ.
Ollis vox populi atq; Dei ſunt unum idemq;,
Et ſcire eſt quod fama virûm, vulgata fidesq;
Suggerit; inflato de pectore promere; bello
Naturæ indicto, rationi, ac ſenſibus acri.
Alteriusq; oculis fari inſtructos, alienoq;
Ore videre magis, ſtulto & phantaſmate mentem
Frenare hoc ſophia eſt vera, & ſapientia prima.
Hos (ni me fallat ratio) ſic deſtituendos
Crediderim, atq; alta ſpernendos lege, velut quos
Non fortunatos meliori ſorte Deus volt.

Consultumq; etiam est illis, itaq; instituendi
Vt maneant, dubiam neq; curent tangere metam,
Incertamq; scopum quamuis siet optima per se.
Consulitur nulli vires studiosius ultra
Eniti, ac proprios extra contendere fines;
Ceu sine iudicio subscribens & ratione.
Expers iudicij debet condegere multis,
Degere cum nequeat cum paucis nobilitatus.
Elige pastorem tibi quem fortuna notabit,
Congenei pecoris tutus vestigia lustra.
Libera ne placeat vulpis tibi amice cauerna,
Ceruorum abstrusos tu non imitere recessus,
Non ausisq; feri recubare leonis in antro,
Infælix, quia non fato celeber meliore es
Desipiens, tardus, rictu, ungue imbellis, & ore
Cui neq; sunt astus, neq; pernix cursus & ulla
Vis animo non est, neq; segni tradita busto.
Non tibi strata via est, qua conuertaris in orbem
Lucis, quocirca sensu teneare probato
Pluribus, & numero plaudentũ; & confamulantũ
Principis authoris cuiusdam fama triumphet.
Sisq; ita cõtentus paucis, tanquam omnia sint hæc;
Nam satis es diues quia sensus pauperiei
Nullus adest, sanus quia nullaq; opinio morbi.

CAPVT II.

Disciplinatis saltem iuxta vulgaris philosophiæ principia facilis est aditus ad horum cogni-

cognitionem, à quo omnino arcentur qui magis fide quàm aperta euidentia consentiunt.


St vulgata quibus constant reserata elementa
Quæq; ijs principijs sunt proxima quæq; remota,
Vt proprij ingenij perpendant omnia lance;
Quamuis illa diu conuicit opinio mentem,
Et velut in portu velum meliore plicauit,
Applicuit scopulo, & firmat iacta anchora cymbã,
Pertæsusq; alias curas nil respicit ultra,
In tenebrisq; manens ceu lumine gestit adepto
Ac si hominum genus ingenio non aduolet ultra,
Attamen ut solers succurret nuncius aure
Intendet facile melioris nomine portus.
Eia (ait is) tandem ad dicta hæc conuertito mentem
Nec te præcipitis iacta dictamine sensus.
Nec te sistat Arabs fatuo quæ protulit ore.
Ignorat quisquis non gnorat cum Stagyreo.
Confer enim modo sis sensus utrinsq; capace
Munitus ratione, oculis neq; lippus in altam
Iudicij cathedram conscendas.
Est proprium planè diuinæ lucis & ignis
Vt si materies apta obijciatur ad escam,
Crescat in immensum tenuis succensa fauilla.
Quodq; erat obscurum chaos indigestaq; moles,
Consurgat rutili mox clara in imagine Solis
Vmbras discutiens erroris, frigora soluens,

Lampadis illustris fusoq; potente calore
Noxius ac turpis facilè tenuabitur humor.
Nectare diuini roris quo deinde rigatum est
Aptius ad fruges meliores pectoris aruum.
¶ Ergo licet sint multa prius patefacta quibusq;
Expleri poßit ratio bene nata, suoq;
Totius ad caussam naturæ Marte valeret
Pergere, & ex alto quasi culmine cernere verum
(Nam proprio totus poterit succendier igni
Omnibus & membris diam lucem atq; calorem
Fundere qui puncto fuerat calfactus ab uno)
Attamen & cupio istius releuare laborem &
Pro magis ingenio nos urget cura remisso
Diruere inuisi reliquas moliminis arteis.

CAPVT III.

Prima & secunda Aristotelis ratio contra mundorum pluralitatem, ab eo quod materies, locus, tempusq; non est illic.

DEnuô propositum dictis Stagyreus ab hisce
Aggreditur. Nullum extra hunc mundum intellego tempus,
Nec locus est illic ullus, nam dicere primum
Corpus vel cælum nos longo usu, atq; peramplo
Gnoramus, regione è nostra valde remotum.
Nam cælum est illic ubi mundi summus horizon
Terminat, atq; ubi sunt nullo quæcunq; cientur
Motu, materies ubi nullaq; fluctuat, expers

Ceruleus Proteus varijs illudere formis
Nesciat:at Fatum est illic, constantia cuncta,
Pacatiq; animi, diuûm sedesq; quietæ.
Atq; ita queis mundi gemina est substantia, & illic
Consurgunt scintillantis tentoria cæli,
Quattuor heic vultu residentia corpora opaco;
Istis comprendi, comprendere conuenit illis.
Tali consistunt dispostaq; in ordine cuncta,
Vt mage subtile incurrat sublimius actus,
Purius ac simplex mage sit quod longius abstat
Sedibus à nostris, qui deteriore tenemur
Sorte; quod est autem conuexum supra elementi
Et leuitate sua reliqua hæc subiecta coërcet
Concelebri titulo est essentia quinta vocatum;
Quod mirè cælata facit substantia tanto
Densius, atq; magis vultu rutilante superbit.
Atq; ubi prospicitur species ea lactea, & illa
Forma subalbentis nebulæ, pars spißior orbis
Est dubio omne procul; reliquũ est pars rarior omne.
Si quis enim species peregrino corpore in illis
Orbibus apprendat, quæ non absurda sequentur?
Corpus discindi diuinum, ignobileq; istud
Crassumq; & refluum, sublimia templa tenere
Ac medium, & toti sic mundo se insinuare.
Cum contrà forma est, actus, perfectio, luxq;,
Finis conditione valens, & perficientis.
Nempe figurari, comprendi, finibus angi, est
Materiæ subijsse vices, patientis, inepti.

¶ Secundum Argumentum Aristotelis à

diſtinctione ſubſtantiæ mobilis duplicis.

¶ *Præterea primi ſupra confinia cæli*
Si fuerit corpus, mixta aut ſubſtantia ſimplex
Credatur phyſico; nos percontabimur inde,
An naturali eſt velut in ſede, an violenta?
At quam natura id minimè patiatur utroq;
Principio video, quo donat corpus utrumq;.
Non ibi conſtabit facilè quod gyret in orbem,
Nam tali proprium centro ratione ſit extra,
Et non natura conſiſteret at violentè.
Non quicquam ex iſtis quæ ſunt tendentia recta;
Illinc ſunt quippe iſtorum ſedes alienæ.
Cæli concauitas lunaris continet ignem,
Terræ conuexo moles finitur aquarum,
Horum intermediam regionem vendicat aër.
Idem ordo quinam poterit ſeruarier illic?
Ergo ſimplicium ſi non ſunt corpora bino
Ex genere, quinam vel compoſta eſſe putabis?
Quare unum tãtum eſt perfectumq; undiq; cælum,
Cui velut haud ſimile eſt quicquã, ſic nec decet eſſe.

CAPVT IV.

¶ Tertium argumentum Ariſtotelis, à ratione pleni & inanis.



Io extra molem hanc nullus locus eſt, neq; plenum,
Nec vacuum, neq; tempus adeſt; nam ſi locus illic

Eſt,

Est,aut plenus erit fictus,vel corpore inanis;
At non est plenus quia simplice non,neq; mixto est.
Non vacuus quia complecti res hasce valeret,
Quod planè ostensum est omnino non pote factu.
Vel nil complecti;quia si tale inquis inane,
Tunc nomen sine re dabis,est etenim rationi
Ipsius adscriptum ut aliquid comprendere possit.
At verò quicquam comprendi posse negatum est.
Non ibi tempus erit,quia motus nullus,& ullum
Non video corpus,namq; heic est mobile totum
Heic locus omnis,& heic motus,mensuraq; motus.

¶ Quartum argumentum,à ratione unius & primi motoris.

Vnus deinde tibi motor demonstrat apertè ut
Vni motori tantum unum mobile subsit,
Vnde unus motus nempe exagitantis in orbem,
Solus enim iste valet prorsus conformis obiri,
Solus & est princeps,reglaris, continuusq;,
Vndiq; principium qui constet & undiq; finis.
Quare ubi stās unum est duntaxat mobile primum,
Rerum una est series qua sub cuncta inferiora
Conspirant,uno proq; ordine iuncta videntur:
Vnus erit motor,moderatorq; omnibus unus.
Sic unum imperium,mundus,respublica seclum.

Quintum argumentum, á triplici sorte loci,quarum nulla congruit illic.

¶ *Indicat hoc triplicisq; loci distinctio apertè,*
Nēpe graue,atq; leue,& substātia neutra supstans.

Mo-

Mobilia hæc tria sunt, sedes sibi tresq; requirunt,
Diuina pro lege imam, mediàm, atq; supernam,
Infimus aio locus trahit ad se pondera cuncta
E' regione tenens centro magis ora remota
Maiori captat spacio ad volitantia sursum
Vndelibet gemina ista petunt loca corpora cuncta
Cursu quæ nequeunt aliò deflectere, namq;
Forti decreto natura necessitat omne.
Ergo si certis certæ sedes speciebus,
Stat quibus hinc dôrsum definitum indeq; sursum.
Stelliferumq; præest, prono quod vertitur alueo,
Contentum à nullo, quod continet omnia cælum,
Vnus erit mundus, sinus unicus omnia claudens.


CAPVT V.

Sextum argumentum Aristotelis, ab impossibilitate diuersorum cẽtrorum, quia scilicet centrum A plus distaret ab H quod est eiusdem speciei, quàm à B puncto contractus peripheriæ duorum mundorum A & H.

*I minimè centrum variorum intelligis unum*
Mundorũ, atq; omnes nõ ambiat unus horizon,
Nimirũ haud specie, ast numero hos differre necesse est,
Quod si ita, tunc etiam solidè concludere oportet
Longius à medio medium constare remotum
Quàm siet à medio semotus magnus horizon.

At

At medium à medio ſpeciem concurrere in unam
Quis negat? & ſummè cui non contraria diſtant?



¶ Septimum argumentum à contactu confinium mundorum in puncto, quia eadem eſt potentia partium B C D E F G à circumferentia mundi A ad centrum A, atq; à circũferentiæ mundorum contiguorum H I K L M N, punctis & partibus eiſdem ad centrum A.

¶ *Vnius plures ſi mundi ſunt ſpeciei,*
Aequalis uel erunt molis uel proximæ ad æquam.

Contiguos porro sex uni comperiemus
Posse pares plenè si circumornabitur orbis.
Quod si ita Horizontes reliqui qui tangere puncto
Internum hunc unum possunt; nihilominus unum
Concernent medium: constabit at actus iniquus,
Heic ubi stat series eademq; eademq; potestas.

¶ Octauum Argumentum Aristotelis.

¶ *Præterea attiguos puncto quoniam decet esse,*
Est operæ precium spacium remanere triquetrum
Quod finit terni conuexum corporis, inq;
Terno ternum arcum puncto conterminat æquè.
De triplicig; intus triquetrum formatq; recurua,
In quo nimirum spacio est opus esse quod implet
Ni forte interiecta est natura inuida inanis.
At qui ubi non locus est ulla ratione elemento,
Aut cælo, quoniam est bene comperta ultima finis,
Nimirum est vacuum forti ratione negatum,
Nè videatur opus nos hæc adnectere plura.

CAPVT VI.

Nonum Argumentum Aristotelis.



Ræterea numero qui certo dixerit esse,
Reddere cogetur rationem, qua sibi plures
Non pariat numerum cur non capiantq; minorem?
Quid si unum demam? Quid si reliquũ superaddã?

Impar

Impar de numeris mauult celebrarier an par?
Vt libet esse putes fugiet te caussa? ——

Decimum Argumentum Arist.

—————— ¶ Subinde
Quæritur in plures cur massa hæc materiei
Dispersa est mundos? cur non glomeratur in unum?
Cur de totq; globis perfectus magnus, & unus
Non constat mundus cuius perfectio tanta
Consequitur saltem nisi maiorq; esse putanda est?
Inclita nempe monas numerum supereminet omnẽ.
Ergo licet paribus rationes passibus illinc,
Atq; istinc currant, hoc ampliù consonat aptè
Vt sit comprendens hosce omnes maximus unus.

Vndecimum Argumentum Arist.

¶ Adde quod in cunctis compendia quærere cõstat
Naturam; veluti promit quodcunq; necessum,
Atq; superuacuum pleno de corpore fundit.
Cum queat ergo boni species componere in isto
Mundo, fœcundo qui cunctas continet orbe
Quare ita pro reliquis frustra torquebere mundis?

Duodecimum Argumentum Theologorum.

¶ Essent præterea plures quia maximus ille
Efficiens potis est uni superaddere multos,
Quod quamuis verum est, non est tamen esse necesse,
Quæritur actiuam præter, passiua facultas.
Non & tot natura potest portare, quot ille
Condere, suggerere, & vehementius insinuare:

Non

Non etenim actiuam exæquat paßiua facultas,
Talis enim nulla est primo conlata potenti
Quem tractu immenso præ cunctis ire fatẽdum est.

Tertiumdecimum Argumentum Arist.

¶ *Proinde abolet ratio mundos concernere plures*
Ciuili quoniam nulla bonitate vigebunt.
Non benè fecissent mundorum numina plastes
Istos extorres ciues à ciuibus illis.

Quartumdecimum Argumentum Arist.

¶ *Non est quem lateat quemq; ex ijs indupediri*
Attiguis reliquis, quia dum vario ordine quiq;
Actantur, venient à contingente repreßi.

Quintumdecimum Argumentum Arist.

¶ *Insuper haud possunt plura esse patrata per unũ*
Ni substernatur diuisio materiei;
Quandoquidem cunctis patet ut generatio formæ
Complexu faciat tantum plura esse sub uno.
Ii verò, quibus est non unus mundus eadem
Materia constans non promunt ut generentur,
Quoq; modo in reliquos poßit conuertier unus.

Sextumdecimum Argumentum Arist.

¶ *Perfecto indignè frustraq; apponitur ultra,*
Quod magis esse putem si perfectißima moles
Hæc clueat mundi, cui testis plurima causa est
Vt non sit quicquam tali perfectius uno.

CAPVT VII.

Prænumerara soluuntur Argumenta.


T cui propositum est defendere ab hostibus arcem
Hanc decet esse prius lustratam partibu cunctis,
Esseq; sub rigido varioq; examine totam.
Credere quãq; sibi deceat, propriisq; ministris
Est opere ut videat dux, quot pateantq; periclis
Externis aditus, minimèq; domestica tuta.
Proind alia quæ sint hostis molimina parte
Non omittendum perpendere, quiq; satelles,
Consultor, fautor, vicinus, proximus, & quod
Ingenium, & quæ mens cunctis, qui deniq; nerui
Summatim constent, & quantum crescere possint.
Sic nobis patefacta prius ratio omnis habetur
Diuini sensus, quem contra armatur & urget
Filius erroris, numerosi dux gregis, author
Cæcos multiplici, ac stupida leuitate fatigans.

Ad primum Argumentum & Secundum.

Vt pature orbes distenctiq;, inq; cauati
Corpora stellarum vectantes fixa perenni
Circuitu nulli, frustrata est machina prima.
Ergo probanda prius veniant laquearia cæli,
Finitum hoc medium, varioq; quod inrotet axe
Pondus segne, sientq; orbes essentia quinta,
Materiesq; eadem concreto corpore stellæ.
Tunc ad mittetur gratis ignobilis illa

Phantasia triplicis motus, & mobile ternum,
In dubium veniatq; fides mihi corporis almi,
Illa deûm sedes, Fati arx illa imperiosa.
Nam mihi naturã minimè arctat ea ultima margo;
Nec factura grauem minitantia fata ruinam
Terrent, cælorum quando compagine rupta
Ad nos astra cadent, haud nos recidemus ad astra.
Nam tutus spacium immensum cognoscimus unum.
Quare non mage sit mediam sortita cauernam
Tellus quàm fuerint aliorum singula quæq;.

Ad Tertium Argumentum.

Non est quod quæras quid sit super atria mundi;
Non me sollicitum facient quod ibi esse putentur
Tempus, inane, locus, spacium, composta elementa,
Nempè aliter non est illinc spectabile corpus
Telluris quam sint hinc suspicienda supernè.
Inde inquàm Tellus radiosa luce superbit
Disiecta à Lunæ regione, integra aliunde,
Inq; vices ortus potis occasusq; perennes
Pandere, vel cycli formam perhibere polaris.
Nempe quibus sol iste polus fit, si tamen illinc
Illustrem potis est faciem monstrare, duabus
Occultam causis quibus esse agnoscimus, una est
Nam tenuata nimis sua molis dimetrus inde,
Altera nam solis nulla est cum lumine posta.
¶ Hæc si fælici poteris comprendere sensu
O' quantæ ex oculis nebulæ excutientur & ô quàm
Clara refulgebit maiestas cunctiparentis.

QVærit tempus extra hunc mundum Aristoteles quod in hoc mundo non inuenit: posuit enim ipsum subiectiuè in primo illo mobili, octaua nempe sphæra, quia ibi esset omnium motuum mensura propter continuitatem & regularitatem eius & simplicitatem motus, qui non ullo intenderetur remitterecurq; pacto. Sed non multo post, ascenderunt sursum Peripatetici ut inuenirent hoc subiectum temporis. Sed tempus eos adhuc fugit.

Quærit locum extra hunc mundum Aristoteles, quem in hoc mundo non inuenit. Quærenti enim ab ipso in quo uniuersum sit; loco cogetur ex suis fundamentis respondere in nullo. Et cum de particularium loco quæritur & respondet superficiem corporis continentis; inuenietur defecisse in definiẽdo, cum superficies illæ tum continentis tum contenti ad motum corporis continentis & contenti moueri, abire & redire debeant; locus vero neq; per se neq; per accidens debet esse mobilis: Et cum inter locum & locatum nihil debeat mediare, nesciet Aristoteles cum omnibus Peripateticis saltem non intelligere spacium inter duas illas superficies in actu: quemadmodum continens & contentum cum sua superficie contrarijs & diuersis motibus agãtur: ideoq; quod immediatè continet & contenti superficiei hæret, debebit aliud esse quàm continentis superficies. Nos verò qui spacium dicimus esse locum, dicimus extra hunc mundum esse spacium simile spacio hunc mundũ continenti, in quo nihilominus istemundus & alius possit contineri. Ideoq; ibi intelligimus & materiã & formam & dignè omnia qualia videmus heic secundum idem genus atq; species. Locus enim quærit locata. Vbi locata sunt & rerum duratio est. Ipsa est tempus. Et sicut non est unus homo separatus ab omnibus hominibus, & omnium particularium regula nisi logicè vel abstractè, metaphysicè, mathematicè, theurgicè, Demiurgi-

ce: ita neq; est quod aliter unam omnium temporum normam inuestigemus, quia nulla est neque esse potest arithmetrice, neq; geometrice neq; physice; hoc in superioribus ostendimus, quia indiuiduum temporis quo pũctus in circulo polari minore & minimo mutat locũ, magnam motus dimensionem includit in circulo tropico maximam in circulo æquinoctiali: itaq; numquam in hoc genere est accipere minimum quo nõ sit (ex peripateticis presertim principijs) minus, ergo veram temporis mensurã non est accipere. Proinde cũ motus diurnus sumpta regula ex motu solis non sit circularis, itidẽ nulla potest esse regula quandoquidem motus ille spiralem facit lineam non circulum, proindeq; hæc spira interturbatur à nutatione telluris vel trepidatione illius octaui orbis, proptereaq; neq; in spira illa regula esse potest ulla plusquam in insomnijs Peripatecicorũ. Quid ergo queris illud tempus, quod est nusquam, & naturæ præsentis seq; ultro offerentis speciem nõ amplecteris? Vbi fatum? ubi sedes quietæ? ubi illa scala à crassissimo ad crassum, subtile, subtilius & subtilissimum, & tandem quintam illam essentiam, id est, ad illud nihil? Cur id quod nullam præbet speciem nisi vacui spacijq; dicis esse substantiam ex qua concreta sunt astra? unde hoc? expone. ostende. Ex his patet quid ad primum & secundum respondendum sit argumentum.

TErtio argumento Aristotelis non est locus, ubi ordo noster constiterit. Aiimus enim extra uniuersum esse nihil (quia infinitum est, neq; vacuũ neq; tempus neq; locus neque corpus extra se habet) extra mũdum vero unumquemq; est illud idem quod circa Tellurem, quod idem est circa lunã, solem, & alia astra quæ mundos appellamus; extra hæc ubiq; est motus, locus, tempus, mundus, vacuum, seu spacium, sine fine, & corpora sine numero.

CAP.

CAPUT VIII.

Ad Quartum suprapositum Argumentum.



On est præterea sublimis scala mouentum
Certo consistens numero gradibusq; celebris
Quos inter primum capias altum, atq; supernum,
De quo per medios tandem veniamus ad imum.
Nam tales non sunt, neq; possunt esse profecto.
Atqui ordo ac series parteis sancita per omnes
Vndiq; conspicua est, constat respublica ubiq;.
Nam velut hunc solem circa video esse planetas
Vnius in synodi speciem, sic innumerosq;
Sunt alios alij circum.
Sic tot motores cognoscito, sidera quot sunt,
Sunt animæ totidem, totidem sunt numina clara;
Vt motor per quem nos circum cuncta videmus
Concita, Telluris matris diæ omniparentis
Est anima: spacio quia se versando diurno
Sensim tardeq; multis labentibus annis
Excipiens punctis ex omnibus exorientem
Solem tum tropicos variat tum puncta polorum;
Partibus ut cunctis numerosa sorte fruatur,
Parte omni emoriens sit & anni parte renascens:
Vt motum cyclo nequeas signare diurno,
Spiralis nempe est fluxus uertigo diei.
Ergo infinitis motoribus esse superstans
Si quid censendum est, scādas super omnia & infra

Cunctorum centrum meliori mente profunda.
Eſt infinitum ſimplex, immobile & unum,
Eſt quo ſunt quæ ſunt, viuentũ uita, animorum
Eſt animus, motor motorum, eſſentiaq; entis;
Abſq; ſolutum eſt ens præſens ſuper omnia, & intus:
Forma mouere habet hinc, hinc materiesq; moueri

¶ Quomodo unus ſit motor in noſtra via citra ordinem & ſeriem, & proportionem.

¶ *Motoresq; creans æternis unus ab æuis*
Non motor, quia motorem ſupereminet omnem,
Quem uerè ac propriè infinitum immobile ſpectat.
Siq; tibi ad libitum infinitum mobile fingas
Infinitorum motorum mobiliumq;
Motorem ad unum referetur, mobile ad unum
Summa, uices, ordo, ſpecies, momenta, poteſtas.
Motor non fiet tibi primus: porro erit unus
Ad nullam ſpectans ſeriem, ſuper ordine prorſus;
Namq; infinitum non eſſe ſub ordine noſti;
Innumero et numero quia nulla proportio quadrat.
¶ *Ergo tibi occurret oculorum luce redempta*
Immenſus princeps unus, non mobilis, entis
Fons, uis motorum, pulſus motoribus adſtans,
Cunctis intimior quàm ſit ſibi quidq;, nec abſens
Longius ex aliquo, quia cunctis proximus æquè eſt.
¶ *Orbita multiplicis patet iſtinc vanida cæli,*
Mobile diſperiit primum, motorq; ſuperbus,
Illius atq; ualent falſa ſub imagine diui
Motores, quos eſſe magis non poſſe putamus

Quàm

Quàm vatum figmenta Orcũ, Rhadamantia regna,
Gorgona, Cẽtaurum, Scyllam, Geriona, Chymæram.

QVarto argumento satisfactum est ne currat, ne moueatur, q̃a illius primi motus phãtastici uniuersalis, rapiẽtis oĩa subiectũ inuẽtũ est Tellus, & motor ille prim9 est anima Telluris, & locus illius primi motoris, sedesq; augusta est centrũ Telluris. Et similem motorem similia & omnia astra continent in se ipsis, quia internum motorem pari ratione omnia propriã habent animã. Mouet autẽ anima corpus, intelligẽtia suã sphærã, natura propriũ subiectũ non illa geometrica uniformitate, regularitate, circuitione, rectitudine, non peripatetico illo præscripto, sed proprio quodam ingenio ad contrariorum tantorum tantum contemperamentum & symphoniam symmetriamq; disponendam componendam seruandam. Qui autem toti naturæ primus & uniuersalis præsit unus motor infinitus in infinito, totus in toto, melius indicat ratio dispositionis nostræ, quàm scala illa somniata nouem vel decem voluminum in unius cæpe constitutionem cõcurrentiũ ordinem comprehendens.

CAPVT IX.

Ad Quintum.



Olle subinde unum punctum centrumq;, quod omneis
Aspiciant secli parteis, innixaque cui sint
Omnia, quo medium cita pondera contineantur,
Quod fugiant leuitate sua quæcumq; supernas

Affectant sedes, ueluti lympha, ignis & aër:
Nam medium est nullum circumq; ferentia nulla:
Non minus est etenim rerum circum undiq; summa
Vndiq; consimilis tantusq; patescit orizon.
¶ Ergo simpliciter nullũ est sursum atq; deorsum.
Namq; aliud medium medio repetentia ab isto
Cum scandunt nobis, illis descendere habentur,
Si centrum cuiq; est medium, cuiq; infima sedes.
(Sphæra inquã cẽtrũ propriæ) cũcta extima sursum.
Nec graue simpliciter quicquam est ulla ratione
Cui definitè centrum, uel certa tributa est
Sedes; nam nulla est Telluris portio quæ non
Apta sit ad parteis totius corporis æquè.
Nam celsi montes ita sunt ingentia saxa,
Conq; metallorum prenduntur ubiq; mineræ
Queis grauius nihilum prope centrum fingere nosti;
Sunt ubi uasta cauis illa antra recessibus, unde
Vis illa est terram quatiens, uertensq; profundum,
Bella inde inflantes miscent crudelia venti,
Quod non constaret solidè si spissius esset
Infernum, vastis nisi hians fueritq; cauernis.
¶ I nunc distribuas loca naturalia rebus
Qualia non dederunt, nec dant, neq; secla futura
Contendunt dare, nec possunt aliquando dedisse.
Sic igitur numero medium tibi multiplicetur
Vt multa astrorum sunt corpora, sit quoq; frustra
Fine tui studij ut illuc grauiora ferantur,
Nam tantum grauitas peregrini est impetus illuc
Quo naturai seruator destinat ordo
Quem si nacta locum fuerit pars concita, nullam

Vim facit adiecto, nihilumq; adiecta repulsat.
Sic ubi suspensa est modico super aëre lympha
Spißior, ad normam naturæ tendit, & inde
Proripitur proprio appulsu ductore deorsum.
Nec non aëreos eadem penetrando recessus
Ascendit sursum telluris ab inferiore
Ordine virtute parili, nihiloq; minore, ut
Arte laboratus manifestat ductus aquai.
¶ Aspicis ut gerulus premitur grauitate lagenæ
Enatat ad cælum velox maris eq; profundo,
Nam nec ab immensa mole heic premeretur aquai.
Aspicis ut fluuij rapide non verritur imum,
Ima pinguntur tenera lanugine fluctus
Muscus ubi, herbarum vis & placida antra marinis
Sunt gregibus, nec non in Tritones, Nereidesq;
Et Glauci fuerunt annosum uiuere in æuum.
¶ Ne te igitur trepidum mediorum copia tanta
Efficiat quia sunt ita tanta ut sidera mundi,
Non est quod parteis aliud medium ad referantur
Quam proprium; quia sic lunaris portio totam
Respectat Lunam, ceu totam terrea Terram
Sic ibi ab extremis uersum intima cuncta meabunt
Vt terræ partes terræ de margine rursum
Per medias repetunt regiones vnde abiere;
Nec nisi ui pulsæ peregrinis insinuantur.
Subiecto fluxum in proprio seruantq; refluxum
Humores qui sunt animantum vita, nec extra
Admoti uegetem retinebunt conditionem.

QVinta machina diu iam & multoties frustrata est,cum physicè definitum fuit quid & quomodo quidq; sit graue,leue , & neutrum,utq; per istiusmodi differentiam,neq; loca,neq; corpora naturæ varientur; utq; potētia prima & naturali(quidquid sit de proxima & accidentali)partibus est appulsus generalis ad omnia sphæræ loca : quinimmo omnia sunt in omnibus; atomis verò seu primis corporibus potentia est ad omnia loca per in finitum spacium. Ostensumq; est neq; natura neq; ratione,neque potentia neque actu quadrare ordinem illum locorum,motuum & mobiliū. Totq; esse mundi centra,quot sunt mundi,quot astra,infinita nempe numero,quot corda, quot animalia.

CAPVT X.

Ad Sextum Argumentum.



Onuenies autē tibi quod minus esse videtur
Vt medium à medio,spacio maiore remotum
Sit,quam de extremo mediū procul,unde sequatur
Vt spacio minimè summo contraria distent,
Nil profers quod sit sensu aut ratione probatum,
Namq; ita ab illius personæ partibus istæ
Istius absistunt,agri huius ab illius agri,
Nam non est rerum species quæ alio ordine promat
Cūcta per extremos quam quod sint proxima fines;
Et medij à medio distantia sit mediocris
Conlata extremis reliquis quæ longius absunt:
Scilicet eiusdem quia fiunt terminus axis.

Nec dictu est tutum ut multum contraria distent.
Quod si aliquo planè effectu natura probaret
Impedoclis certè discordia consequeretur.
Nam si tam multò à caldis distantia fiant
Frigida, & omnino absistant humentia siccis,
Ne uulgata quidem poterunt constare elementa;
Nam nusquam est ignis nisi ubi substernitur humor,
Aërq; intimior terræ est terramq; perambit,
A' terraq; magis si sol distaret, & ignes
Non iacularetur ui tantum sufficiente,
Nec plusquàm Arcturus, quam Pleias atq; Bootes
Efficeret, quibus est in nobis actio nulla.
Ordine nam solo quo singula, & omnia currunt
Multa valent signare, nihil causare remota.
Nusquam elemantorum titulo dignabimur illud
Insignire iacet sterili quod sorte seorsum,
Quin potius quod res disponit & ordinat, atq;
Constituit, seruat, componit, perficit, unit.
Ex iis composita est Tellus reliquiq; planetæ,
Ex iis sunt soles nec in iisce est portio parua
Sensibilem perhibens speciem, contraria quam non
Proxima constituant, quæ si essent ualde remota
Conflarent nihilum, neq; non essent nihil ipsa.
Haud physica hæc igitur sūt commēta, at logicorum
Queis licet abstrahere à ueris, clausisq; fenestris
Præcipuis animæ res contemplarier intus,
Phantasiæ quæ sunt monstrosæ progenitura.
¶ Atqui esto ad logicam, tibi qualem fingis amussim
Ordine constanti rerum natura geratur
Dummodo subiecto mihi uel patefiat in uno.

Vndiq; nam contra hanc clamat natura mathesim.
Quin etiam si adeò oppositis distantia summa
Conuenit; atq; illud forsan fateamur oportet
Vt medians inter frigens calidumq; elementum
Cælorum natura fiet substantia neutra.

¶ Aqua intensè frigida & remissè humida maximè debet distare ab igne intensè calido & remisè sicco, si spectes Peripatetica principia.

¶ *Proinde elementorum si spectes ad genus unda*
Conueniet centrum, si extremas concipit oras
Ignis, nam binis contrastat uiribus ill :
Nimirum obsistunt gemina hæc sibi lancibus æquis,
Nam intensæ intensa est opposta remissa remissæ.
¶ *Sic præbes surdas naturæ uocibus aureis*
Monstranti puncto expressè contraria in uno,



Quod

Quod facit inclinans in planum linea utrinq;,
Cuius in extremo concurrunt maximè acutum
Et ſummè obtuſum pariter. namq; ambo oriuntur
Cum ſurgente, cadunt ſimul illa cumq; cadente.
Difficilis ne ſit uia qua comprendere poßis
Naturæ lucem, qua conſtent omnia in omni
Atq; abſit multum ut tantò contraria diſtent.

QVod ad ſextum attinet ſcire velim quid eſt quod contrarijs maximè diſtantibus gignere velit Ariſtoteles? Ponimus in natura duo cõtraria frigidum & calidum, ſubiecta quorum ſunt Tellus & Sol, ſic contraria ut mutuum hinc refrigerando inde calefaciendo foueant, ſeruent, perficiant: quid ſi maximè diſtent, ne alterius virtus alterum attingat? Cur non æqualiter diſtant à Sole Tellus Luna & planetæ omnes quippe quibus æquè maximè à contrario diſtare conueniat? An non bene ſupra oſtendimus ut æqualiter poſsit à ſole viuificum calorem concipere diſtantiſsimus planetarum atque proximus, tarditate maiore motus maiorẽ à calefaciente diſtãtiã cõpẽſante? Age ergo, reſpice naturæ vultũ. vide ut ubiq; & undiq; contraria conſpirent, cõcordent, uniantur. comprende ut nuſquã contrariorũ unum ſine altero cõſiſterè poſsit. Qui enim eſt ſolis calor & lux ſine igne? qui ignis ſine humore ſine ſolido ſubiecto? q̃ ſoliditas ſine partiũ cõcurſu, unione, agglutinatione? q̃ concurſus, q̃ agglutinatio q̃ unio ſine aqua, abſq; humida ſubſtantia? An non bene pro verificatione tuæ propoſitionis ut contraria magis diſtent conuenientius efficiemus ut inter calidum & frigidum mediet ſubſtantia neutra cælum, quàm quod unum illud utrumque contrariorum contineat? Sic enim non maxime diſtant neq; ratione diametri, quandoquidem

in utroq; cuiusq; diametri cardine est similis natura, materies, forma, qualitas, virtus, & actio. Neq; ratione medij & extremi, nempe centri & circumferentiæ, qua sic maximè distat cælum à Tellure: Sed fuge & dicas te intelligere contraria in eodem genere & eiusdem generis orbe, maximè distant ignis & terra, ubi hæc est elementorum infima & imo in loco, ille elementorum supremus. Bene habes. Sed quæsiuimus quare elementum appellas quod ad rerum compositionem non potest descendere? Quare elementum dicis esse quod non potuisti ostendere esse? Leues forte tibi videri possunt rationes quibus (etiam admissis orbibus illis circumuolitantibus, rapientibus, attingentibus, confricantibus, atterentibus) nullum sequi probauimus igni locum in cõcauitate orbis lunæ, sed omnino aeris? Quodq; si ibi facias esse ignem non sit possibile unius elementi unum proprium secundum uniuersum esse locum, sed idem erit conuenientius inter superficiem omnium duarum se contingentium sphærarum. Vbi quare non sic cogis naturam ut ex omni loco ad illum ignem tendat ignis, veluti urges ab omni loco Tellurem aliam debere ad Tellurem istam descendere? ac si aliquis quærat, quare omnis sanguis non concurrit cum meo sanguine, omne cerebrum cum meo cerebro? habeo quod respondeam, quia sanguis ille & cerebrum non sunt mea pars neq; in me toto. Tu verò quid dices?

Aio tellurem illam non cadere in istam magis quàm ista in illam, quia non sunt vicissim partes sed duo tota distincta loco, anima, vita, corpore. Quęris specie ne an numero differant? Dictum est sæpe ut genere conueniant, utpote quæ ex ijsdem constant elementis, una eadẽque materia: specie differt fixum (ut dicere potes fixũ) atq; mobile, aplanes nempe soles, & planetæ tellures. illi enim per se lucent humido in actu calidi & fermè ignis, istæ verò per aliud, humido scilicet in actu illuminabi-

nabilis & calfactibilis. Neq; propterea in noſtris principijs & actu naturæ ſequitur inconueniens quo centrum à centro plus diſtet quàm extremum ab extremo, centrum globi Lunaris plus diſtet à centro Telluris quã ſuperficies & meum cor & cerebrum plus diſtet à ſuo corde & cerebro quàm mea ſuperficies à tua. Quod omnibus numero diſtinctis conuenit. Quid ergo? abſurdũ eſt hoc iuxta tua principia quæ cum natura pugnãt; nõ autẽ iuxta naturã & rationis ordinem. In dialogis de cauſa principio & uno oſtendimus ut contraria coincidant in indiuiduo principio atq; fine.

CAPVT XI.

¶ Mundus ille elementis Ariſtotelicus non eſt uſquam pro primo ſignificato. Mundus ille cęleſtium ſphærarum nullus eſt pro ſecundo, neq; illud aggregatum uniuerſum ex huiuſmodi conpoſitum Chimæris eſſe poteſt pro tertio & maximo: Itaq; Ariſtotelis caput extra mundum eſt & uniuerſum quamuis infinitum quando de mundo loquitur & uniuerſo.



St terno mundus Stagiritæ ſignificato,
Subque tribus ſignis nil eſt in imagine mundi
Quando elementa illo non conſtant ordine prorſus;
Phantaſiæ partus ſeries eſt illa meantum
Cælorum in cælis. Extremum inſomnia cælum


Aſtri-

Astriferum inuexere illud quodq; omnia finit,
Motoresq; horum sunt qui bene bella mouerent
Centimano Briareo, Encleado, atq; Tiphœo,
Nempe genus spectant semper contraria ad unum,
Nempe elementa aliis contraria sunt elementis:
Figmentis etiam figmenta opponere dignum est.
Vnde duces fiant populo atri carnificesq;,
Vnde immortalis uiuos mors urgeat ultro,
Atq; tenebrarum pœnas sub luce receptent.
Phantasia hoc totum pro quæstibu prompsit auaris
Illa opifex, illa est fabrefactrix, Mulciber, illa
Loripes, insuauis, monstrosus, trux, ueterator
Assiduo incumbens operi iacula illa trisulca
Temperat, immitesq; Ioues crudeliter armat,
Tantum consortes inter gaudendo Cyclopas
Stultitiam, Morem, malesanam Credulitatem.
Pectora cui hominum Lypares sunt, corda camini.
Lurconum generis uarij uox malleus, aureis
Insani populi constans substernitur incus,
Materia est orbis obiectum sensibu quidquid.
Fulmine sic medios minitanti torquet ab alto
Horrendus iudex miseros sine fine modoq;:
De infernis thalami Eumenidum, tensæq; cathanæ,
Cocyti stagnum, Stygis irremeabilis unda
Arctant, & portæ solido ex adamante perennes:
Absona quæ ingenio, & sensu constantia nullo
Humanam turbant pacem secliq; quietem,
Extinguunt mentis lucem, neq; moribu prosunt.
Nam quid concludunt sycophantũ dogmata passim?
Non male pro factis Iustus Diuûm opperit iram

Non bene profactis capitur deus optimus, unus
Sed ſi animo tantum dominetur opinio qua ſe
Subtrahat à populo populus, natusq; parentes
Deſerat atq; aliter credentem nemo ſalutet,
Defendatq; deos ſint quamuis cunctipotentes
Quiuis mortalis, ſine vi, phanaticus, excors.
¶ Ergo age ſolue metus, ſolue inquã; è carcere cæcò
Egrediare, animum ſuper effer, imagine tecti
Arcentis totum, torquentis, conq; prementis,
Deſine terreri, compactasq; ordine nullo
Aequè diſtantis conuexi concauitate
Credere deſiſtas magnas, paruas, minimasq;
Stellas, cum ſenſus uiſum uult fallere pictor.
Nempe aliter quia ſunt immenſi corpora mundi
Diſtincta in ſpacio, medio uelut æthere conſtat
Machina Telluris proprium circumflua centrum
Quo terit igniferi expaciatrix compita ſolis.
Sic exploſa ruit raptantis corpora tanta
Phantaſia, & motus mundorum quisq; ſubibit,
Ne ſe præpediant, ſibi ne bona lucis auitæ
Corpore præripiant medio calidumq; uigorem,
Quem rota luciferi ſuffundit ſolis, in orbem.

QVæris ſeptimo de quantitate mundorum numero diſtinctorum, ubi ſcilicet ſe attingunt num ſint æquales vel inæquales? Mea nihil intereſt quanta ſit Tellus collata Lunæ, Sol collatus Telluri & Lunæ, & aliorum aſtrorum ſingula; hæc mihi innumeri ſunt mundi. ſpacium unũ æthereum interpoſitũ immenſum eſt mihi unum cælum. Quære nunc quomodo ſe tangant. Reſpondebo non ſe tangunt. Sed ea qua

vides forte ab inuicem loco atq; regione sunt distincti. Quid si se tangerent? inquies. Non sequitur (inquam) quod pars, vel superficies, vel punctus mundi H quæ est B æquè debeat vel possit appellere in alieni corporis centrum A, atq; in proprij corporis centrum: & quod est circa punctum P æqualem habeat appulsum in K atq; in I, cum sit pars, vel superficies globi I.



Nisi fortè sicut sequitur ex coitu duorum hominum qui similiter numero sunt distincti, ut unius partes corporis plus in alienum quàm in proprium suppositum appellant. Hinc etiam patet quid promoueat contra nos octauum argumentum, quàm nihil nobis molestiæ sed summā afferat omnibus commoditatem, quod inter mundum mediat atq; mundum spacium.

CAPVT XII.

Ad Septimum Aristotelis Argumentum & Octauum.



Ec te Sollicitum faciat contagio mundi
Multiplicis spacium faciens mediare triquetrum.
Namq; unum nobis diffusum est undiq; cælum,
Spiritus idem unus qui dicitur aër & æther.
Hoc simplex quiddam, purumq; & fluxile corpus
Astris iniectum & complectens omnia circum
Terminus est, cuius circum data corpora talis
Qualem ex contentis admittunt singula formam
Externam ambobus communis nempe figura
Quando superficiem mediat nil inter utramq;,
Nam uacuum facies inter cogemur habere;
Vt medium quoddam est inter tangentia quæq;.
Non ergo absurda est uacui sententia quod sit
Inter corporibus iectum, quoq; corpora claudens;
Exigitur spacij ingentis dimensio triplex
Vtq; locata fiet triplex ea corporis. Vnde
Nobis naturæ sunt omnia lumine aperta,
Cum nihil oppugnet molimina principiorum,
Nec pro suppetiis opus est excudere cælos,
Motorum seriem, neq; sic consistere firmos
Quo sit suppetias operæ addere suppetiarum
Queis nequeat ratio, neq; sensus adstipulari.

CAPVT XIII.

Ad nonum Argumentum Aristotelis.



Vltis proinde mihi rationibus est patefactum
Queis definitum numerum orbibus esse negamus.
Esto autem numerus finitus comperiatur,
An tibi sufficiens ratio producta videtur
Corpora multorum benè quæ redigantur in unum,
Inclita namq; monas numerũ supereminet omnẽ?
At verò ut numero præstet monas ut numerusq;
Efficiat monadem, promoueat, impleat, actu.
Multarum rerum natura ostendit apertè.
An nõ heic monas est numerũ quæ complicat omnẽ,
Vt numerũ in monade, in numero monademq; cola-
Argue naturam, naturam corrige stulte (mus?
Scilicet ut species monadum numerosa propago
Distribuit multis in particularibus unas,
Singula nam totam referunt velut omnia formam.
Diuersi cur non coierunt corpus in unum
Mundi? Quare unum non sunt tot sidera sidus?
Vnus homoq; homines, & de tot millibus arbor
Materia ex tota, quæq; omnes explicet actus?
Incluta namq; monas numerum supereminet omnẽ.



Vod ad nonum argumentum attinet numerũ definire non cogimur qui dicimus infinitum mundorum numerum, ibi neq; paris discri-

men est neq; imparis quoniam numeri differentiæ sunt istæ, non autem innumeri. Neq; existimare possum fuisse philosophos qui cum plures ponerent mundos non etiam posuerint infinitos: ea quippe ratio quæ extra hoc sensibile exigit aliquid aliud, perpetuò extra & ultra quodcunq; acceptum rursus aliud atq; aliud quare non accipiat?

CAPVT XIV.

Ad decimum & undecimum.



On minus à vera rationis lege recedit
Assumens velut in cunctis compendia quærat
Natura atq; Deus, quapropter plura putari
Corpora mundorum nulla ratione decebit.
At mihi sunt tantum dignè compendia rerum
Queis natura parens contenta est; cætera sunto
Indigna ut mole augescant numerumq; propagent.
Hoc si naturæ correctori atq; magistro,
Immo etiam Plasti Stagyritæ arrideat uni,
Qui sibi res, non se rebus submittere nouit.
Interea leges atq; actus perlego sanctos
Quos rerum promit facies, atq; inde notabo
Quid verè deceat; naturaq; sit rationi
Lex, non naturæ ratio.
At tu cum uideas rutilantia in æthere, mundos,
Corpora stellarum; quænam compendia captas?

QVod ad decimum undecimumque motiuum, fateor non poſſe magis eſſe peripateticum quam ſit.

CAPVT XV.

Ad duodecimum Argumentum.

SVltitia eſt miſeranda quidem quæ poßibile inquit
Finitum, quod promoueat ſine fine poteſtas.
Infinita opifex potis eſt producere primus;
Atqui materies finita ſternitur illi.
Numquid & iſta mihi non eſt credenda facultas?
Qui valeam mundum producere non tamen ille
Produci poßit deffectu materiei.
Et poſſum cæli culmen penetrare pedeſter,
At pedibus cælum tantis penetrabile non eſt.
De nihilo poſſum quoq; pluria mira creare,
De nihilo nequeunt ea pluria mira creari.
Hylem fors aliter mihi poſſum ſternere quàm ſit
Sternilis illa? agitare queo, exagitabile nuſquam?
Aſtutè rerum Dominum mihi denegat, aiens
Ad non poßibiles effectus cunctipotentem.

ARgumentum duodecimum eſt ex fonte peripateticorum quorundam Theologantium qui bonum ex diuinis relatis principium quo Deũ infinitæ potentiæ tum intenſiuæ tum extenſiuæ confitentur; conuellũt peruerſæ in quibus ſunt educati ſuppoſitionibus philoſophiæ, quæ finitum à finita cauſa cogno-

gnoſcit effectum; intereaq; dei virtutem extenſiue infinitã conſtituit: ex hac principiorũ contrariorũ miſtione ad eam abſurditatẽ adacti ſunt illi quæ ſub theologiæ illuſtri titulo plerique multa minime Theologica & naturalia defendãt, cuius pro reformatione toto quaſi intumente Oceano & cæli veluti catharactis apertis tot grãmaticorum nubiloſa volumina currunt, ut propemodũ ſecli totius ſubmerſio conſequuta ſit, ex conflata illa vernaculorum, Latinorũ, Græcorum, Chaldęorum, Iudęorum, Syrorum, Arabũ, etiam Tartarorum ſufficientia, ut omnia tamquam à fonte examinentur philoſophica, medica, iuridica, humana, naturalia, diuina, ethica, phyſica, metaphyſica.

CAPVT XVI.

Ad decimumtertium Argumentum Ariſt.



Vius à recto rationis tramite longè
Turpius excurrit Stagyreus dũ polytheiã
Corpora mundorum cupiat concurrere in unam.
Quæ ſors? quæ ratio? qui naturæ ordo probauit
Antiqui inuentum ſtudij, quo Theſſala pinus
Externo aduexit turbas, patriæq; reuexit,
Dum bene diſſepti turbauit fœdera mundi?
Inuida non unum Typhin tibi fata dedere.
Clauſtra etenim Oceani Lygur aut Ethruſcus auarus
Soluit ut Americam premeret violentus Iberus.
Vos fœlix mundi genus o'uos clara propago
Iſtius inſignis aſtri ſublime tenentes,
Ardua quos lucis non tangunt tela diurnæ,

Non horror noctis perterritat ille profundæ,
Quorum pro merito calor & lux lance benigna
Influit Arctoo ſub cardine, ubi omne fauoris
Cæleſtis pignus concluſum eſt manibus altis,
Circum ubi contingunt turrito corpore montes
Sidera multiplici ſpacioſoq; ordine paßim,
Ingentis ſcopuli præruptaq; machina ſurgit;
Pro vallo pontus cæco glacialis amictu,
Saxoſas inter rupes ſeſe explicat amplè,
Tempeſtaſq; manet cupito pro littore maior,
Caucaſeæ ut prono ſubeunt molimine ripæ,
Procero Athlanteſq; feri curuamine, quorum
Puluereus ſummo recidit de culmine nimbus
Sparſarum niuium, rapidi qua vorticis æſtu
Montibus exæquant campos valleſq; profundas
Et ſolidant cælum reſlui ſpiramine venti.
Sed quãdo hæc ſuperare datũ eſt, ſtat cura Britãno,
Sollicitus labor, & nimis imperterrita virtus,
Quæ mare ventoſum temnens monteſq; ſuperbos,
Deridens tanti numeroſa volumina valli
Pluſquam Typhiſia fabrefactis arte carinis,
Oris edomitis medijs, quas Iuppiter aſper
Squallidus & furuo triſtis pallore coërcet,
Celſas naturæ turres tranſcendet auarus,
Occurret uultu non barbarus hoſpes amico,
Attamen ægroti veniens à limine mundi
Perniciem feret inuiſi noua cauſſa timoris.
Tunc & uos (ſi forte ſtatus violabilis iſte eſt)
Experiri hominum quantum commercia proſint
Promptius & quantum ſemet male iacta propagẽt

Semi-

Semina vos inter, quam virtus vestra in aliûs
Splendorem gentis uestro fundatur ab orbe.
Vt deinceps studeant naturæ claustra aperiri,
Appetier simili patrias ubi Cynthia dorso
Explicat, & mundo quasi pro meliore labores
Intentarè nouos Telluris filius ausit.

HAud scio q̃ facile ostendet nõ solũ demonstrator Aristoteles sed & persuasor Demosthenes atque Tullius nõ præstare ad vitæ commodum mundi regiones ita usu atq; consuetudine esse distinctas, ut à natura montibus & mariũ tractibus habẽtur. A` regione quippe in regionem vitia & peruersarum legum & relligionum venena in dissidij exterminijq; materiam propagata sunt, & disseminata usq; ad suffocationem omnis bonæ frugis repullularũt. nulla vero sunt quæ cum ijsce possimus recensere commoda. Hoc principio atq; via bene ad suum propositum cõstitutis patebit aditus rationibus Peripateticis, quibus induci possimus ad incusandam naturam quod infinitos mundos æthereo abiunxerit discrimine.

CAPVT XVII.

Ad quartum decimum Aristotelis argumentum.



Aepius expressa est tantæ ratio seriei
Et sensus quo non unus sit in æthere mundus
Quoq; infinitos per totum intelligo mundos,

Quorum de genere est insigni corpore Tellus
Fulgens de mundis astrũ spectanda propinquis,
Contiguus mundo nusquam mihi mundus habetur
Vt tibi cui frictu ignescunt orbes miserando.
Ergo meum mundus mundam non turbat euntem,
Cui neq; contactum puncto natura probauit,
Nempe duos minimè patiens magis esse propinquos
Telluri, consors quèm sit vicina parenti
Delia dum nunc hunc, nunc illum Cynthius orbem
Aspectat propius quanto turbatio nulli
Immineat seclo, tempestasq; exitialis.
Quin potius totum in toto partesq; geruntur
Qualiter æternè inuiolatus consulit ordo,
Cuius ob officium mutatur portio quæq;,
Omneis ut simul ætates subeatq; obeatq;
Ortu atq; interitu reualente in corpore toto,
Vndiq; cum motu ac numero, stabilißimus unus
Seclorum uultus tractu nouus atq; perennis
Consistat——

DVbium quod heic Aristoteles mouet est ad cōstitutionem uniuersi & mundi iuxta sua principia: nobis enim ita sunt ordinati mundi ne se tangant, ne se turbent, confricent, accendant, atterantq; Sed hoc totum certè accidit suis orbibus & sphæris illis cælestibus ut proximè supra notauimus: Tenetur ergo ipse iuxta hoc argumentum rationem reddere illus cōtiguitatis, locationis, & immediationis quibus corpora naturalibus alijs hærent corporibus, cumq; ijsdem ita coordinãtur ne vacuum spaciumq; ullum intermediet: Nos quippe ab hisce angustijs liberi sumus unum continuum ponentes spacium immensum certis in locis

corpora complectens; ubi repletum dicitur. Vnũ vero continuum corpus, vel uniuersum corporeum tamquã contiguitate unum compositum non intelligimus quia sensus aliter ostendit & rerum naturæ conditio non patitur: est quippè definita distantiæ ratio qua astrum ab astro secretũ debet esse, corpus illuminabile & calfactibile ab illuminante & calefaciente mũdo. Est itẽ certus viarũ seu circulorũ (ut naturæ convenit circuire) ordo, quo astris astra nõ inferãt perniciẽ, vicissim diciturnius eclypsando, uniusq; corpore in alteriꝰ corpus impetẽte, quodã quasi casu vel inuidia prædominãte deturbando.

CAPVT XIIX.

Ad quintumdecimum & sextumdecimum Aristotelis argumentum.



Am qui Thyresiam cæcumq; senemq; gubernat
Diuinatorem, misere ut sic corruat, aptus
Venturi vates, cuius præsentia lucem
In gratam fallunt. Orbæ aures commodo voci.
Non nisi per fluxum genitalem & concipientis
Semina matricis species numerosa venibit.
Hunc ego diuina pro maiestate verendum
Accipio sensum, verbisq; subesse figuram
Malo, quàm sensu in diuos peccare prophano.
(Quamuis hæc alio uates putat esse tenore;
Promere namq; Deûm voces non pandere sensum
Vatibus est semper donatum munere cæli)
Efficiens pater est. Elementaq; semina. Cæli

Subie-

Subiectum spacium est matris sinus omniparentis.
Innumero proles uumero sunt undiq; prompta
Corpora mundorum tellures: solis & orbes.
Esse ut ubiq; vides congressus, materiei
Mundorum in massas auido quas continet æther
Complexu faciem præsentans undiq; eandem.
¶ Vt quando æstiuo recidunt ex aëre guttæ
Candentem in campum qualẽ terit Appulus & Lybs,
Puluere ab excocto consurgit rana repente
Guttarum exæquans numerum, quo credere possis
Quando solum species cæli è regione cadentes.
Sic uis immenso in spacio est, inq; æthere totum
Quod capit, ut magnum mundi perinane genantur,
Vndiq; nam uita est, animæ actusq; undiq; surgit,
Factor ad archetypũ obiectũ, et formabile præsto est,
Hinc surgit serpens, piscis, mus, rana coaxans,
Hinc ceruus, uulpes, ursus, leo, mulus, homoque est
¶ Adde etiã quãdo è medio auferet hæc cataclysmus
Præbebit natura parens perfecta animantum
Absq; ministerio coitus. Quia multicolores
Sunt hominum species, nec enim generatio nigra
Aethiopum, & qualem producit America fulua,
Vdaq; Neptuni viuens occulta sub antris,
Pygmeiq; iugis ducentes sæcula clausis,
Ciues uenarum Telluris, quiq; minæræ
Adstant custodes, atq; Austri monstra Gigantes,
Progeniem referunt similem, primiq; parentis
Vnius uires cunctorum progenitrices.
Qualibet ergo initum rebus dabit insula passim,
Formatum quamuis quidq; haud seruetur ubiq;.

Namq;

Namq; alias alibi ſpecies victoria ſeruat.
Naturæ ſimiles ſimili ſunt undiq; vires;
Caſus ab ingenio varius uario inde ſubibit.
Vt ſpacij eſt igitur diſtinctio, ſic regionum
Diſtribuit natura locos, ſic materiei
Commoditas prompta eſt, atq; inſtans actus ubiq;.
Sic nihil eſſe nouum recipit gemino abſq; parente.
Quodq; vides noſtro factum & ſeruarier orbe
Inſipienter idem in ſpecie eſſe negabis eadem
Mundorum nihilo conſtantum mole minore,
Non alio uultu, motu, ortu, diſpoſitura,
Quos idem fauor inluſtrat, naturaq; ſeruat,
Incola ne ſolum mundo ſpectetur in uno hoc,
Et reliqui fruſtra forma donentur eadem
Scilicet immani tot conſtant corpore ſtellæ
Duntaxat mundo ut pulcri numerentur ab iſto.

¶ Ad ultimum Argumentum. Ariſt.

¶ Perfecto nihil addendum Stagyrita fatemur.
Cur non credemus perfectum multiplicandum?
Nempe hominem quamuis perfectum fecerit unum,
Sub ſpecie plures natura adiungit eadem.
Sub genere ſpecies eadem, ſic aggregat uno;
Quamuis quæq; ſuis contententa eſt finibus. Ergo
Eſt quo ſupreſſum valeas extollere ſenſum
Vltra conſictæ tibi marginis illius oras.

ANima ubiq; eſt una ſpiritus unus mundanus totus in toto & qualibet ſui parte, ſicut in paruo quoq; mundo expertum eſt omnibusq; conceſſum. Hic pro conditione præſentis materiæ, adſtantiſq; ideæ, (niſi loci continentiſq; qualitas repugnet) u-

b.q;

biq; omnia producit;ita,ut etiam ad quorundam generationem tempore non ſit opus. Propheticum eſt illud & populi cuiuſdam celebritas quod omnia hominũ genera ad unum primũ genitorem referantur vel ad tres ut ex Ebræorum monumentis accipimus & firmiter credimus, quorum quidam ſolum optimum genus, id eſt, Iudæorum, ad unum protoplaſten referunt; & reliquas gentes ad duos priores qui biduo ante creati ſunt. Echinenſium relligio recens compertorum tres alius nominis protoplaſtes numerat ab annis viginti millibus. Aethiopum genus ad illum protoplaſten nemo ſani iudicij referet. Porro ſicut omnis terra producit omnia animalium genera ut in inſulis patet inacceſsis, neq; enim fuit unus primus lupus & leo & bos à quo ſunt omnes leones lupi, & boues geniti & ad inſulas omnes tranſmiſsi, ſed quaq; ex parte tellus à principio dedit omnia: Factum porro eſt ut quædam alijs in locis manſerint, quædam vero aſſumpta ſint, ut in Anglia lupi & vulpes & urſi propter loci culturam, in quibuſdam alijs inſulis homines propter vim potentiorum beſtiarum, vel defectum nutriminis.

¶ Hinc ad ſtellas alias, alios inquam mundos efferanimum ut ſimiles eaſdemq; ubiq; ſpecies intelligas ubi eadem conſtant principia materialia, idem efficiens, eadem producẽdi actiua paſsiuaq; facultas, idem ordo, vultus, motus & reliqua quæ non debent eſſe fruſtra. Amentis omnino eſt in infinito ſpacio, in tam uaſtis eadem mole aſſurgentibus clariſsimiſq; mundis, quorum plurimos meliori ſorte præditos poſſumus argumentari, credere nihil eſſe preter illã ſenſibilem lucem & eam qua nobis ſenſibiles fiant claritatem: cum nihilominus idem de mundo hoc ab illis reſpicientes affirmare eodẽ iudicio præditi, cogeremur.

¶ Eſt ultimum Ariſtotelis argumentum valde (pace tanti viri dixerim) puerile, quo pro eodem quaſi habet,

Pera

Perfecto nihil addendum: atque posito uno perfecto alterum non est ponendum: deducit tamque ex demonstratiuis principijs mundos non debere esse plures.

IORDANI BRVNI NOLANI, DE VNIVERSO ET immenso,

LIBER VIII.

CAPVT I.

Multos contendere ad philosophiam, paucos eam quęrere. Omnes qui eam quærunt, inuenire etiam occurrentem.



Oluũt pro studiis patrio de littore puppim,
Se credunt pelago, leuibus dant carabasa ventis,
Vastaq; tam fragili sulcant miseri æquora ligno,
Et suspensa ferunt pallenti corda timore
Ne Boreæ fortasse iram patiantur & Euri,
Aut Scythici veniat rabies Aquilonis ut undas
Misceat ac pontum violento turbine quasset.
Nec non Terrarum grauiora pericla subire

Est animus; superant monteis fluuiosq; rapaces:
Insigunt trepidas deserta per æquora plantas,
Obijcit insidias timor, insultusq; latronum,
Hærent ancipiti in biuio, moxq; excipit illos
Aut sine pane focus, vel non tempesta facit nox
Hoc minus esse malum.
Nunc via præcipites per valles carpitur atq;
Auia syluarum, sors vilis inhospita gentis
Quærere tecta iubet, ursorumq; antra subiri.
Italiam repetunt iter meliusq; retentant
Hinc Tyberim Arnũ atq; Padũ post terga relinquũt,
Transcendũt Alpes, Rhodanũ, surdumq; Garumnã;
Perq; Nauarreos carpunt iter, atq; Pyrenes,
Atq; superba Tagus quæ proluit ora tumescens,
Scandũt Oceanum Herculeas post terga columnas
Linquentes, pontumq; secant, aduertere ad oras
Vt poßint quibus est polus inquirẽdus ad Austrum;
Ac tandem gentem valeant mundumq; videre
Cui rota Luciferi de cardine surgit Ibero,
Occidit Eoo cui lux ex orbe diurna.
Omnia. Dum cupiunt sophiæ de fonte potare
Vt sibi doctores adsciscant atq; magistros.
Hinc & opes fundunt patrias, melioraq; vitæ
Tempora, sollicitis noctes producere curis
Insomnes, lustrando hominum monumenta priorũ;
Concipere ut vatum studiosa mente furorem,
Certorum reddi celebres ex luce sophorum
Ac fama poßint: unde illis gloria volgi
Aura fauor, plausus succedat, & utilitatis
Quæsitæ species. ——

¶ Vt pauci ſapientiam & rerum cognitionem adſequuntur, quia pauci ſerio eam querunt. Non enim ſophiam appetit qui, ut diteſcat ut quęſtum per illam faciat elaborat; ut vulgi honores aucupetur & auram. Hic etenim illud quod debet eſſe finis ignobiliora ad ea ordinat quæ præ ipſius claritate nihili facienda ſunt: Quid ergo? loco ſapiẽtiæ illud ſtultitiæ genus adſequuntur quod ad eum quem ſibi propoſuere finem digne valeat ordinari, Sophia quippe diuinitas quædam eſt, quæ ſe non ſinit contemni, & ab indigne quęrentibus inueniri.

——————Nequicquam. Namq; fauorem
Vulgi auram, plauſum quantumlibet adſequutatos
Eſſe putent illos ubi mundus cæcus adoret,
Stulta animum mulgent nimirum gaudia vilem.
Aeger enim & ſtultus nihilominus eſſe putandus
Ille erit ægrotus qui cum ſit deſipienſq;,
Credetur ſapere, & volgo adſtipulante valere.
Gloria Cumæi quænam credetur aſelli
Non modo ſi ad tempus breue, ſed ſi illumq; perennẽ
Irriſi paſcat recolatq; inſania ſecli?
Non etenim dignum ſententia ſancta deorum
Conſtituet mundo quo tanta irriſio ſiat
Indigno, indignè de maieſtate merenti,
Sed de fæce hominum.
Alme parens nullo cui clauſa potentia fine eſt

Qui ſpeciem veri in rerum facie atq; profundo
Expreſſam atq; impreſſam, cõſpicuam inſpicuamq;
Iuſsiſti ut ſenſus pulſet, mentemq; penetret:
Quantumuis tua lux ſit cunctis inſita rebus,
Cunctis deq; locis effert ſapientia vocem,
Inuitanſq; omnes cuiuſq; per oſtia pulſat
Mirum quàm paucis immittitur ingeriturq;
Mirum quàm rari non ſurdis auribus altam
Excipiunt vocem, clarum vultumq; tuentur.
Nam veri lucem ſummi ætheris arbiter illos
Iudicat indignè quærentes quando miniſtram
Vilis eam cupiunt fortunæ, reſq; parantem
Proq; hominum ſenſu moderandam, hocq; uſq; pro-
Illius ergo loco blando veſania vultu (bandã.
Auriculas contecta venit fronde atq; thiara
Et mythra, & gemmis aſininum circinat unguem.
Brutum veſte tegit buſtum talare, patrumq;
Circumſtat laudata fides, bullæ, atq; ſigilla.
Parte omni nutans quamuis ſe ſuſtineat vix,
Inſignis graditur tamen hæc, proprioq; colore
Et titulis celebris. Quare illam poplite flexo
Exorant ſenſum ut proprijs moderetur habenis,
Vt vitæ rimetur iter melioris, & altam
Puppim animæ teneat, mẽtis ſubeatq; cathedram,
Illius atq; hoſtis pereat, longeq; recedat,
Vt leuis in tenues fumi vapor effugit auras.
¶ At mihi non opus eſt terrarum excurrere fines,
Sufficit ut mentem ſubeam, per ſeq; peroptem
Diam præ cunctis lucem, ſummoq; repoſcam
Ingenio, propria pro maieſtate petendam

Illius cupiens vultu ſperanſq; beari.
Mirum quàm præſto eſt, mirũ quã promptius adſtat.

¶ Externis apertiſsimiſq; ſignis ſtultitia atque prauæ diſpoſitionis ignorantia à Sophia diſtinguitur ut nemo (præterquam omnino cæcus quiq; à tenebris lucem, ab albo nigrum ſecernere nequeat) nõ poſsit apertiſsimè videre.

Nuda illa eſt, nullis circumq; ſtipata maniplis,
Nudaq; de toto iaculatur corpore lucem,
Magna eſt velari ſanctum hoc iniuria corpus,
Ipſa fidem facit ipſa ſibi, procul eſſe iubetur
Naſus, frons rugoſa, ſupercilium, propexaq; barba,
Et quæcunq; ſuo ignorantia iure repoſcit
Indumenta, fides, titulos, inſignia, partes.
Aduentantem auidè expectat, generoſaq; (amãtem
Tamquam deperiens) occurrit, & excipit ore,
Confirmans trepidum, ac vultu blandita ſereno
Concipit intensè quos lentius intulit ignes.
Quas Orientis opes, ponti quas occulit unda,
Quas Arabum deſerta tenent, monteſq; profunda
Conceptant aluo, & complexu terra tenaci
In venis refoüens occultis denegat ullis
Artibus, aut ſtudijs humanis poſſe parari,
Conlatas tanto facies mortalis honori?
Fortuna haud poterit meliorem reddere quemquã,
Nam feret atq; ſuo pede conteret omnia lethum,
Et ſedes repetent antiquas orta volanti
Quæ vehit excurſu rota temporis: optimus ergo

Mortali finis fato hoc consistit in uno
Diuum naturæ consorti degere vita,
Qualem ubi te fuerit diua hæc complexa subibis,
Despicere ut valeas miserandi somnia vulgi
Immersi surdis Lethæi fluminis undis.
Qui vigilare putant quando simulacra sequuntur
Et vanas stupidi species figmenta furoris
Conuoluunt animo miseri diuosq; fatigant
Faunos, & Satyros, Centauros semiferosq;
Semihominesq; nihil qui possũt, qui quoq; nil sunt,
Queis quondam vilis fuerat quoq; mortua vita
Impia spirituum suffectis vasa nocentum,
Vt noua materies bellorum occurreret orbi
Deuoto atq; hilari. Specie & spe maxima turbá
Quam malus exagitat dæmon, pro nectare cæli
Ambrosiaq; Iouis, vitæ instrumenta perennis
Vnica quæ sensu, & detonsis mente putantur
Contendit, studijs varijs concertat, & urget
Dignius ut properet; vatis mandataq; seruans
Inuiolata, Herebi sibi fercula captat ab hortis,
Stultitiæq; merum quod vinea fundit auerni
Ad fuscas exculta atro à cacodæmone ripas.
Dein plebs irrisa, Stygio male pastaq; fungo
Ebria veneficæ titubans post pocula Circes
Aeternum neglecta Deo sic conteret æuum.

CAPVT II.

¶ Quidam somniantes cum vulgo, somniare se intelligunt, conantur somnum excutere,

tere, sed mox se vigilare somniant somni mutata specie non abacta.



Pectandus multos inter uenit unus & alter
Somnia quos quamuis teneant mendacia vinctos,
Mentis vi quadam vegetis ceucunq; reflexa
In sese, agnoscunt isthæc ut somnia carpant.
Ergo se excutiunt, contendunt pellere falsi
Inuisas species, expergisciq; laborant;
Dumq; reluctantur miseri surguntq; caduntq;
Interdum vigilare putant, quia vis aliorsum
Somni detorsit speciem phantastica duri.
Sic tamen inde fori ad rationis limina surgunt
Præcipiti ut redeant iterum ad inferna ruina
Fundum Letheiq; bibant, totam speciemq;
Concipiant: veluti pulsat penetratq; profundum
Machina quæ species intrudit sensibus imis,
Suspenso postquam cessauit pondere sursum.

¶ Palingenius quasi vigilat.

¶ *Talis eum reputa sapientem conditionis*
Qui tantum potuit sensus penetrare vigore, ut
Argueret qui extra cælum nihil esse putaret
Aetheris & summo in dorso consistere finem
Rerum quos ultra natura extendere vires
Non queat, & veluti Fato reprimente quiescat.
Falsa (inquit) ratione sibi suadente videtur.
Nam si illic finis rerum est ubi desinit æther,
Cur nihil ulterius fecit deus? an quia sciuit

Nil facere ulterius propria defectus ab arte?
An quia non potuit? Refugit nos credere utrumq;.

¶ Supra diximus in prima cauſa & optimo ſimplicisſimoq; principio omnia eſſe unũ: ideo ſi unũ eius attributum eſt finitum, nullũ erit infinitum: & ſi unum eſt infinitum, omnia quoq; ſic eſſe neceſſe eſt.

¶ *Nil poſſet certe rerum conſiſtere, finem*
Sorte aliqua patiens ſi tanta eſſentia ferret:
Namq; modo finem ſibi ſi præſcriberet uno
Efficiens tanti: tanta & ſapientia adeſſet,
Virtus, amor, ſplendor, dominatio, gloria, vita.
Da mihi finitè dominum, ſapientem, amantem
Credere qui dignè potero ſine fine potentem?
Quod ſi non talis quiſquam eſt, nihil eſſe valebit
Vmquam; namq; opus eſt ante omnia perpetuò eſſe
Saltem unum à cuius valeant virtute venire
Quæ vel ſunt ſemper, vel ſunt quandoq; futura:
Id verò æternum eſt: complectens tempora cuncta.
Ergo vices cunctas altè cognoſcit & omne
Ipſe eſt, omne facit ſuper omnem temporis ortum
Atq; loci & ſpacij fines, quem nulla coercet
Lex numeri, lex menſuræ, lex ordinis, & qui
Lex ipſa eſt, ipſe eſt numerus, menſura, moduſq;
Abſq; modo, finis ſine fine, actus ſine forma.

CAPVT III.

Si deus finita feciſſet potens facere infinita, multi hominum illo eſſent laudabiliores.

*Ctibus ergo ſuis metam infinita potentem*
Cur poſuiſſe decet, ſeſe factumq; minorem,
Limite cinxiſſe virtutem? Numine tali
Non ne tibi melior mortali conditione eſt
Credendum iugenium, maiora capeſſere ſemper
Adtentans, partis ſemperq; apponere rebus,
Vt licet ingentes expandere latius alas
Vtilitatem aliis ſuperaddens & ſibi honorem,
Et nihilo inuideat proprium cohibendo vigorem,
Et ſibi ſponte ſua anguſtum circumdare vallum
—Horreat.

¶ Non maiori menſura honorandus eſſet quàm ſe præſtiterit honorãdum: quod ſi abſolutè tantus eſſet non plus deberet haberi quàm fruſtra tantus.

—Et temerè magno dignabor honore
Pluſquam ſe factis oſtenderit eſſe capacem.
Non uult laudari, non uult plus ille timeri,
(Quidquid poſſe putes, quiduis pollere rearis)
Actibù quàm proprijs, & legibus indicat ipſe.
Si tibi nempe Deus certa virtutis adeſſet
Qualis adeſt multis, & tu infinita potenti

Sacra lites, & vota feras; araſq; perornes,
Efficies ſumptus non ullo numine dignos,
Non ulli gratos, quia non referuntur ad illud.
Nam quis aget grates cuiquam qui ad nomina regis
Expendit falſos alienæ mentis honores?
Hæc quæ deſpiciet ſapiens homo, numina curant?

¶ Deus infinita potẽs & finita faciens, infinitè eſſet inuidus, finitè bonus, Inuidus autem infinitè tum ſibi tum alijs.

¶ Inuidioſa ſibi atq; alijs tantò minus eſſe
Quominus eſt fruſtra pollens natura deorum
Credendum: velut artificis neq; nomen habere
Dignè quis poterit ſi quam cognouerit artem
Exercere neget, neq; quicquam promere facti,
Nimirum genus hoc artis credetur inertis.
Ergo qui potuit facere infinita putandum eſt
Feciſſe, ac totum ſanctè expleuiſſe vigorem,
Nec ſeruaſſe in ſe vanum, vel inutile quicquam.

CAPVT IV.

Palingenius profundius ſomniat cum Platone, ponit lucem infinitam extra mundũ hunc finitum & quas videmus ſtellas ſine corpore.



Roin qui infinitum ſtatuit, mox dogma Platonis
Concipit inſomnij ſpeciem variando, putatq;

Eui-

Euigilare ſatis, ſed nox obnubilat atra
Qua corpus ſine fine neget mox eſſe fatendum,
Aetheris atq; extra emenſi conuexa ſuprema
Eſſe putat puram immēſam, & ſine corpore lucem,
Et boat in phyſicum admittens myſteria ſenſum.
Qua noſtri ſolis lux eſt longè minor inquit
Quæq; fugit ſenſus uaga lumina, quam deus è ſe
Fundit, quamq; habitāt cum principe millia diuûm
Cætera turba minor tenet æthera. Sic ait ille
Attonitus lucem quam fundit maximus actus
Collatam ſolis luci, velut ad genus unum
Pertineant, quæ abſtant rerum diſcrimine toto.
Lucis (ait) ſpecies hæc circa eſt corpora noſtris
Senſibus expoſta, atqui eſt altera finibus hiſce
Scluſa, & mundani regni portio terna.
Quæ ſupra cælum ſplendeſcit lumine miro.

¶ Fortaſſe bene legerat Areopagitæ libros de cæleſti Hierarchia, ſed male cōcludit ſolē nitidiſsimum ſtellarum niſi reſpectu eorum quibus eſt vicinus.

¶ *Porro nec reputes rationem lucis eandem*
Non capere in triplici naturæ hoc ordine, dicit
More poëtarum maiori lumine claros
Eſſe inter diuos, ut cuiq; potentia maior
Eſt propria ut ſtellas inter nitidiſsimus eſt ſol
Sic inter diuos prælustris rexq; deorum.

¶ Lumen non eſſe accidens oſtendit Palingenius ex motu aeris per fixam lucem.

¶ Mox pugilem intrepidū dialectica ſpectat arena
Ex quo lux omnis pateat ſine corpore perſtans,
Forte (ait) obiicient, ſubiectum eſſe aëra lucis,
Etſi extra cælum ſpecies non corporis ulla eſt,
Quæ poterit proprio ſine fulcro forma ſubeſſe?
At verò non eſt ſubiectum luminis aër.
Nam ſapiens ſeorſim cognoſcet ab aëre lumen.
Clauſis quandoquidem foribus ſuccenſa lucerna
Immittit quoties per rimam lumen in ædeis
Obſcuras, quatiatq; aliquis tunc aera iuxta
Luminis immiſſi radium, tranſire per ipſum
Aër cogetur radium, nil lumine moto.
Quod ſi dicendum ſubiectum luminis aër,
Certè uno lumen motu quateretur & aër,
Cumq; ſibi proprio ſubiecto lumen abiret.

¶ Secundò ex motu lucis per conſtantem aerem.

¶ Præterea ſi quis nocturno tempore tædam
Accenſam properans geſtet, lux illa mouetur
Aſſiduè, mutatq; locum, inluſtratq; tenebras.
Nunc has nunc illas, conſtans nihilominus aer
Immotuſq; manet tæda currente per ipſum
Lucifera. Hac victus forma concluditur illi
Quam nulla indigeat lux aere ſorte ſubacto.
Præſertim verò illa dei ſanctiſſima cuius
Particula impreſſa eſt in noſtri corpore ſolis
Inq; ipſo tamquam ſpeculo comprenſa tenetur;
Nam ſphæra velut in propria non cernitur ignis
Sub luna poſitus, ſed ſi accendatur in illo

Materia, apparent tunc astra cadentia cælo,
Ignitæq; trabes, æstiua nocte micantes;
Sic refugit sensus per se lux illa tonantis
Quæ tam clara nitet compicta in corpore solis.

¶ Paradisus Palingenij, Empireus Areopagitæ, Mundus intelligibilis quorundam Platonicorum.

¶ Mox si scire animo sedeat num simplice luce
Hac sine fine aliquo, contenta est tertia rerum
Sors, an quicquam aliud credendum mœnia mundi
Extra compertum? Nunc ille arcana, priorum
Non ullis patefacta Dei conatur, & altos
Thesauros, ubi nullorum vestigia vatum
Hactenus apparent, obscuris pandere terris
Si Deus adstiterit, solito annuerit q; fauore.
Est ubicumq; Deus rerum pater author, ibidem
Omne bonum & pulcrum reperitur, gloria secum
Omnis adest, quidquid Tellus & pontus & aer
Pulcri habet atq; boni, totum illud cernitur extra,
Et quamquam rebus non ulla in talibus insit
Materia, haud ideo tamen entia falsa putato,
Nam sunt vera magis, perfectaq; pulcraq; longè.
Forma etenim quæcunq; ipsam se sustinet ipsa
Perfecta ac pura est, quam nec longæua vetustas
Lædit, nec vis dura potest dissoluere Fati.
Innumeras addas species, vestigia quarum
Corporeo in mundo non sunt impressa; deorum
Ex quibus emanant fælicia gaudia, linguaq;
Humana promi nequeunt sensuq; notari

Nem-

Nempe incorporeas formas diuina Platonis
Quæ mens sacrato potuit describere sensu.
Sed cunctis non sunt mysteria tanta reperta.
Diuûm sunt illic nimirum millia quorum
Credendus numerus numero non clauditur ullo.
Nam cur finitos fecit Deus quos sine fine
Multiplicasse valet, sua quo sit gloria tanta
Extensus quantam recipit sine limite mundus?

CAPVT V.

Examen præpositæ opinionis. Non est cõtinuum nisi sit eiusdem generis saltem materiæ consequentia, perseueratio, defluxio, expansio. Mundus inquam immaterialis nõ facit unum continuum cum materiali.



Alis Apollineum furiosa Sibylla per antrum
Bacchatur (referunt) non sensus, nõ color unus.
Quî potis est igitur sacri commenta furoris
Tantis eruere è tenebris, ambagibũ tantis,
Turbine Phantasiæ è tanto, qui fluctuat intus?
Vnum continuum sine margine dixit Apollo
Et numerum innumerum in immẽso adstare deorũ.
At verò spacium immensum quid repleat, & quæ
Sit natura Deûm modò non clarauit Apollo.
Hinc malè definit ratio auia, sensus inopsq;
Principijs non firma suis, neq; consona vero

Dogmata ſubmittens oleo condita Platonis,
Saleq; Ariſtotelis. Fatuus conuincitur error
Quando continuum immenſum conceſſerit unum,
Materiam aut dicat nuſquam vel dicat ubiq;.
Nam ſi continui ratio benè conuenit illi
Continui phyſicè, minimè virtute matheſis
Nec medium ſit inane inter, cogemur & illud
Credere materiam protendi ſemper eandem.
Quod ſi materiam claßis fingis peregrinæ
Nempe ſuperphyſicæ, conſtantisq; ut libet extra
Illa & corporeum numquam unum continuatum
Conſtituet, quare non auſum cerno Platonem
Dicere continuum finitum cum ſine fine:
Nam ſine materia ens non ita cum materiali
Hærebit, quoniam genus iis commune negatur.
Ergo continuum qui nouerit in ſpacioq;
Immenſo immenſum verum, ens, unumq;, bonumq;,
Cuiq; homogenea eſt lux una effuſa peramplè,
Quæ ratione alia ſubiectum pro ratione
Suſcipitur magis atq; minus, ſpecies manet una
Conſtat idemq; genus——

¶ Quod eſt extra Tellurem idem intelligo extra ſimiles mūdos in ſimili ſpacio, quorum ſenſim ultra tenuata magnitudo & exauctus numerus non aliter quàm in uno campo ſimilib. in immenſum exornato arboribus & animalium præſentia celebri. Quid eſt ergo quod nos alia ſomniare facit & effingere?

—Similis spacij ergo potestas
Sublimisq; eadem virtus nota efficientis
Atq; unus rerum uultus qui adsurgit ab isto
Ad mundos alios una abiunctos ratione
Ordine continuo ne sit sine corpore uanum,
Atqui ita sint prolis ceu sunt Iouis omnia plena,
Nam quid ego reputē spacium sine corpore quodq;
Diuinum teneat spacio quod non eget illo;
Quā spacium frustra, sine forma materiamq;?

CAPVT VI.

Nos ostendimus pluribus & sensu & ratione adstipulante, eandem rerum naturam & faciem semper continuari: qui verò stellarum vel ultra stellas visas aliam ponūt naturam, neq; ostenderunt neq; ostēdere possunt nisi fortasse vaticiniis, & somnijs.



Rgo qui spacium non tollit, materiei
Vim tantam affirmat cui si præsentia lucis
Illa eadem adsistat, prolem genitabit eandem
Qualem pando tibi, atq; aliam non pandere posses.
Nam spacium quodcunq; putas pro corpore substat,
Continuum quodcumq; putas unum genus explet.
¶ Vt quoq; cunq; voles mundum complectier istum
Et spacium à natura quæ infinita perambit,
Quare etiam mundum similem, spaciumq; negabis

For-

Formis ornatum paribus, queis non meliores
Suadebis Rhetor, non conuincesq; Sophista?
Quare inquam similem mũdum spaciumq; negabis
Millibus apponi vicibus, par est ubi inane,
Vis conceptatrix similis, pater unus, & idem
Spiritus in toto: ut multos unum mare pisces,
Aër & unus aues, plantarum corpora campus?
Posse putas? Cur esse negas? Tibi nempe videtur
Corpoream prolem bene non iterarier, inq;
Consimili spacio, simili spectanda tenore,
Principijs ijsdem consistens atq; elementis
Non deceat, similisq; eadem manus efficientis
Abnuat in simili, spacioso campo in eodem,
Naturæq; sinu, de massa ac semine eodem
Cuius non umquam desit vis, materiesq;,
Consortem posuisse? Malus tibi fortè videtur?
Gnostica nempe tuam cæpit sententia mentem?
Adde igitur quanam potuit virtute crerari
Comprensusq; dari, medium sortitus iniquè
Vnicus iste globus? species mala nempe coëgit
Sponte sua vel forte putas male parta dedisse?

¶ Si hic mũdus esset malus, à malo esset principio: & siue finitum siue infinitum ex alia parte esset bonum nihilominus duo essent principia cõtraria, æqualis virtutis, & principium malũ sicut heic posuit hunc mundum, & infinitos alibi alios posuisse potest.

¶ *At verò ô miserum ingenium quanã tibi causa*
Aequi est atq; boni, præterquam dia voluntas?

Iustitiæ atq; boni ratio est diuina voluntas.
Dicere siq; malum importuno pectore mundum
Te iuuat, ergo duplex noscas quoq; principiorum
Esse genus, quia sic tibi Gnostica secta fauebit.
Dogmata namq; suo fundamine sunt stabilita.
Ergo mali natura valens adeò usq; putari,
Vt fœtum proprium queat ista in sede locasse,
Conseruare suo nihilominus atq; vigore;
Cur simile in simili parili virtute locatum
Non statuet spacio? Nam si infinita potestas
Vni est principio, alterius quoq; condecet esse.
Nemo etenim statuet finita vi potuisse
Hunc unum statuisse sibi solum exiguumq;
Quem par est contra infinitum obsistere semper.

¶ Si mundus esset à malo principio finitus contra infinitum, principium malum præstaret bono quia unũ, unitum, contractum, simplex prestat multo, disperso, expanso, composito, & si non per actum tamen per virtutem.

¶ Immo etiam facilè hũc posse præsumere mũdum
Maiori positum momento esse atq; vigore
Ni melior me cura alio tractaret habendo;
Nempe quid hunc tantum statuis? cur materiei
Totam heic absumis massam? spaciiq; vigentis
Tanto corpoream amplexu comprendere molem,
Cum tamen heic spacii est eadem vis atq; seorsim.
Te decet hoc monstrasse prius quàm velle putari
Esse nouas species, quæq; argumenta reportent
Quorum principium puras norim esse Chimæras.

¶ Im-

¶ Improbantur actus illi & formæ ſine materia, nempe luces ſine corpore, quales Palingenius & illi ſimiles appingunt; non aliter.

¶ Mitte infinitam ſpacio ſine dicere lucem
Illamq; eſſe Deum, lumen qui accendat in iſto
Sole, iubar tantum variè qui peraculando
Perficiat varias ſpecies, ſint unde beati
Hi magis, ij q; minus: Mitte hortos Elyſiorum
Iugera centenis conſtantia millibus abſq;
Materia, & ſpacio ſine corpore, pondere, mole,
Menſura, & numero in ſpecies queis diſtribuantur.
Puros mitte actus, contemnito ſeq; gregata
Entia prima tua hæc non ullis ſenſibus apta,
Quæ tantò huberius fontem pulchriq; boniq;
Participent, quanto puræ magis & tenues ſunt.
Naturæ abſtracte mitte exemplaria, grandes
Archetypos ſubſiſtentes, quæ tempore nullo
Conſiſtunt, nulloq; loci diſcrimine ſeptas
Ideas: Mitte infoelix monſtroſa reperta
Phantaſiæ partus tantos ſine re Megacoſmos;
Intentamq; meis mentem conuertito dictis.
Quid tibi cum luce eſt rerum miſerande ſuperna
Quam tibi deliri promp ſerunt ſcrinia ſenſus,
Cum lucem ignores quæ importuniſsima pulſat
Pectora, quæq; intus nobis ſplendeſcit & extra,
Effoditq; oculos quos fruſtra es nactus apertos.
Nunc natura parens duplici fruſtrata fauoris
Officio, miſerata tamen ſic te increpat ultrò.

¶ Lucis alloquium quo ad fontes ſapientiæ

& ſenſum reuocat ſophiſtas.

¶ *Vt ſperem in tenebris actus rationis obire*
O'miſerum te poſſe? oculos ubi luce premente
Vſq; adeò à ſenſu veraci lucis aberras?
Lux(ait)ipſa ego ſum, per quam quoq; cætera poßis
Veſtigare, ſuis & noſſe coloribus, atq;
Queis hæc ex illis perſtant diſtincta figuris.
Ipſa ego principium ſum primum cognitionis,
Primaſq; obiecto ſpecies exemplaq; multa
Promoueo ſtatim ad generalia, de quibus arteis,
Fœturæ ingenij plures, quibus optima meta
Peruia mortali defunctis corpore præſto eſt.
Ipſa magiſtra prior monſtratrix ſum ſpecierum
Per quam cuncta patent, nihilo indiga quo pateſiā
Nam per me videor, reliqua ut per me videantur.
Ergo ſeu talpa es ſeu fruſtra luce oculorum
Donatus, Dic quo ingenio de luce loqueris
Et lucem finges aliam? buccaq; tumenti
Diuinum iactes fulgorem; quando patente
Proficis haudquicquā intendens miſerande pupilla,
Quam lepus in medio poßit ſpectare ſopore
Dum ſic ille ſibi ſe, ut tu tibi cernere credat.
Credis homo lucem quæ cælum eſt fuſa per amplum
Eſſe quid exiſtens ſine corpore, nec genus eſſe
Corporis, eſt etenim peregrina eſſẽtia quinta,
Quæ cum non egeat fundamine corporis ullo,
Per ſemet penetrat magnum per inane meatq;.
Corpore de illuſtri fluitans ſubſtantia quædam eſt
Proin ſolem aut ignem informans, ſic perficienſq;

Spar-

Spargitur & motis illis percurrit olympum.
Stantibus ijs autem frustra compellitur aër.
Hisce ego te exoluam vinclis, si hæc verba capesses.

¶ Distinguitur lux in Physicam seu veram, & metaphoricam. Vnde scias scintillam lucis diuinæ non accendere solem.

Primum aduerte minus lucem nos dicere posse
Præterquam venientem obiectum sensibus actu.
Quid lux quam ponit sermonis certa figura,
Et similis quædam ratio, atq; proportio tali
Nomine concelebrat, cum lucem dicere legem,
Iustitiam, sophiam, virtutem, numina suemus?
Diuinam hinc lucem, solis lucem exuperantem
Cuius clarescant vestigia corpore solis
Igniferi, haud poteris physicè signare loquendo:
At qui Rhetoris, Polyhistoris, atq; prophetæ
In morem sancto donandus bardocucullo.

CAPVT VII.

Mox lux physica in plura distinguitur sinificata.



Ec lucis nomen physicæ esse synonymon ultro
Crediderìs, quando æterna illa affectio solis
Subiecto in proprio, non seq; gregabilis hærens
Est aliud longè quàm quæ explicitata per æthra, &

Corporis oppoſiti in vultu ſpectabilis, atq;
Multimodo illa gradu concepta, reflexa, refracta.
Non eadem eſt proprijs ſpecies impreſſa figuræ
Corporibus, & quam ſpeculi ſimulacra reportant.
Sic Lucis ſimulacra putes emittier, inq;
Aërei campum ſpacij exire, & ſpecierum
Reddere perſpicuos vultus, propriumq; in eiſdem.
Vmbræ quapropter, luciſq; & imaginis una eſt
Conditio, fulgorem aio qui de rutilo igne eſt,
Quando calens ſine luce minus nomen capit ignis,
Luxq; calore carens non ſueuit dicier ignis,
Et quam flamma minus vis vicina illa vaporis.
Nec potis eſt ignis conſiſtere nullus ubi humor,
Cuius hic accenſus ſubſtantia vera videtur,
Extra quam non ulla ignis veſtigia cernes.
Vnica nempe humor ſedes eſt lucis amœnæ
Vt tenuis, lenis, viſcoſa, & ſpiritualis,
Igniti citra ſenſum ſplendere cadauer
Efficit interdum, vermes, muſcaſq; volantes
Quæ in tenebris fulgēt, ſquamas, cōchaſq; marinas;
Citra hæc quæ fuerint aliunde nitentia cuncta
Lucis habent ſpeciem, veſtigia, vel ſimulacra.

¶ Oſtenditur lucem non moueri per aerē, neq; aerem per illam, ad tollendam Palingenij & aliorum phantaſiam. Imago nō eſt eadem alibi atq; alibi, ſed eiuſdem.

¶ *Ergo ut quæ in varijs ſpeculis apparet imago*
Vnius eſſe poteſt nimirum, non tamen una.
Dumq; locum mutans ſpectabile fit varijſq;

Obie-

Obiectum speculis, formam præsentat eandem,
Non tamen est eadem quæ præsentatur ab illis.
Quæ fuit in speculo B non saltauit imago
Et mox in speculum C se spectanda recepit.
Quin potius variam ac variam pro conditione
Subiecti, ex alijs speculis exsuscitat. Inde
Ne credas speciem in speculis pariterq; moueri
Ceu res continuè speculis obiecta mouetur,
Verum alias aliasq; alibi facit esse alibiq;
Vt loca subiectum varians sit mobile corpus.

¶ Vmbram non moueri cum corpore moto sed continuè aliam esse atq; aliam seu subiectum, seu intermedium, seu lampas moueatur.

¶ *Vmbraq; quandoquidem verè est priuatio quædã*
Lucis, non debet cum corpore mota videri,
Sed veluti corpus nunc heic, nunc subtrahit illic
Lucem interpositum, nunc furuũ hoc, nũc facit illud
Subiectum spacium, nunc rectam nuncq; recuruam
Nunc facit oblongam heic, aliàsq; alibi breuiorem,
Amplior hæc istic, illic angustior illa.
Non est autem eadem quæ currit, mota, quiescit,
Flectitur, erigitur, curuatur, obambulat, intrat,
Exit, contrahitur, producitur, amplificatur,
Stringitur, & tenuis modo fit, modo craßior ipsa est;
Porro ad momentum noua surgit quodlibet umbra
Seu sub, seu interiectum, seu lumina transfers.

CAPVT IIX.

¶ Venit ad propositum lucis, quod non moueatur: utque omnis imago in toto spacio sit præsens sine motu, cuius actus remotis impedimentis est sensibilis.



Ic igitur lux, quam lucis bene dixeris umbram
Non eadem de subiecto in subiecta mouetur;
Sed noua continuè presens aliis, aliisq; est.
Nec displosa uenit claro ex oriente repente,
Quando illam totus simul excipit amplus horizon,
Ac si fingatur centri ex glomeratio quædam,
Quæ mox in centrum retrahat, glomeretq; repente
Aurati iubaris diffusos undiq; crines.
Non vere facit hanc intrantem adaperta fenestra,
Clausa nec exclusam, variè quasi mota feratur;
Vndiq; nam medio sine tempore respicit astrum,
Nec fluit aut refluit, sed ad esse & abesse repente
Cernitur ex toto sine fluxu, atq; absq; refluxu
Luce caret simul ac soli non adstat aperto.
Ergo ubicumq; loci noua lux accenditur, illa
Tempore non prius est in lampade quàm in regione
Aeris adstantis: simul est & corpus & umbra,
Et simul hanc patulus totam suus haurit horizon.
Talis adest & abest igitur, neq; mota recedit,
Vt non accessit tamquam displosa vel icta.
Aere cum patulo ad solem est simul ipsaq; præsens.
Forteq; per spacium simili, lux, umbra, figura

Con-

Conſiſtunt, neq; per ſe ſunt, per ſeue mouentur,
Tam multum diſtat quo ſint ſubſtantia quædam;
Nec ſi comperias perſiſtentem ignem ſine luce,
Continuo adſequeris ſtantem ſine corpore lucem,
Fingit enim ſtultè dementûm turba ſophorum
Abſtractas ſpecies pluſquam logica atq; matheſis,
Nempe ſuperphyſicas, trans tēpora, trans loca, trāsq;
Senſum, phantaſiam, rationem, deniq; nullas.

CAPVT IX.

Ad ideas ſubſtantias ſeparatas & eſſentias abſq; eſſe, & quidditates, extra ea quæ ſunt, metaphyſicè conſtantes.

DEſine quapropter tibi perſuadere Chimæram
Infinitæ illam lucis ſine corpore ſtantem,
Nempe tui fictam ſenſu, ſanctamq; tenebris.
Adde quod eſt nuſquam diſtincta eſſentia ab eſſe;
Tantum infinito eſt unum quia prorſus utrumq;,
Natura eſtq; nihil niſi virtus inſita rebus,
Et lex qua peragūt proprium cuncta entia curſum.
Quin etiam abſtractum quiddam logica ratione
Non autem verè ſubſiſtens iuſtitia eſt qua
Iuſta, bonum bona quo, ſapientia qua ſapiuntq;,
Quaq; Dei atq; feræ non eſt deitas feritasq;;
Non lux qua lucent quæ ſunt lucentia, & umbra
Qua ſunt ſtultitiæ, tenebræ, phantaſmata, gerræ.
Archetypus mundus complectens iſta ſigilla

Extra materiæ campum, quia deficiente
Quoq; ex iis quæ sunt composta, est certa perennans
Naturæ species unde isthæc continuantur,
Singula dum pereunt numero distincta per orbem.

Non possunt plus naturæ compositorũ extra compositionem esse, quam extra subiectum accidentia.

¶ *At ueluti non est per se natura coloris,*
Durities, leuitas, & qualia rebus inhærent
Compositis, ita nec essentia dicier ulla
Extra ens subiectum poterit, parteisq; repertas,
Plusquam de proprio sua somnia posse cerebro
Hosce excussa foris dare contemplanda videmus.
At stupidum leuia hæc pecus ad figmenta recursat;
Et gaudent reboare prius fatuo ore boata.
Rudenti adrudunt, stupidè adcuculant cuculanti.
Cædimus hæc logicæ, concædimus ista mathesi,
Vt doctæ canones rationis distribuantur;
Quin etiam physico liceat distinguere forma
Materiam quoties per se definit utrumq;
Nec putet interea ut sunt hæc concepta seorsim
Atq; licet per se lucem, ac finire colores,
Motum, infinitum per se constare reperta. (hoc.
Ne putet esse absq; hoc qdquid speculabitur absq;

CAPVT X.

¶ Deum esse infinitum in infinito ubiq; in omni-

omnibus, non ſupra, non extra, ſed præſentiſſimum, ſicut entitas nõ eſt extra & ſupra entia, non eſt natura extra naturalia, bonitas extra bonum nulla eſt. Diſtinguitur autẽ eſſentia ab eſſe tantum logicè, & ſicut ratio ab eo cuius eſt ratio.


Rgo age comprendas ubi ſit Natura Deuſque,
Namq; ibi ſunt rerum cauſæ, vis principiorum,
Sors elementorum, edendarum ſemina rerum,
Formæ exemplares, actiua potentia promens
Omnia, ſubſtantis celebrataq; nomine primi.
Eſt quoq; materies paſſiua potentia ſubſtans,
Conſiſtens, adſtans, veniens quaſi ſemper in unum,
Nam minimè tamquam adueniẽs formator ab alto
Adſtat ab externis qui digerat atq; figuret.

¶ Ars operando diſcurrit, cogitat. Natura ſine diſcurſu promptiſsimè operatur. Ars tractat materiam alienam, natura materiã propriam: ars circa materiam eſt, natura interior materiæ, quinimmo & ipſa eſt materia.

Atqui materies proprio è gremio omnia fundit:
Interior ſiquidem natura ipſa eſt fabrefactor,
Ars viuens, virtus mira quæ prædita mente eſt,
Materiæq; ſuæ dans actum non alienæ,
Non hærens, non diſcurrens meditatur, at ex ſe
Cuncta facit facilè velut ignis ſplendet & urit,
Vt lux per totum diffunditur abſq; labore,

Nec diſtracta meat, ſed conſtans, una, quieta,
Temperat, apponit, componit, diſtribuitq;.
Rudis enim eſt ſcriptor qui cogitat & cytharœdus,
Nempe recens diſcit. Porro natura perenne
Tractat opus, ſenſum non auget non minuitq;.
Proxima formatrix anima eſt, vis intima cuiq;,
Atq; ut materies ipſam ſeſe ipſa gubernat
Interno ut limax pulſu ſe extendit, in arctam
Semet conglomerat molem, nullamq; figuram
Interdum facit eſſe ſui, mox fronte redire
Cornua parua iubet, caput exerit, oraq; mittit
In ſpeciemq; agili exporrecto corpore vermis
Procedit veluti facta exglomeratio centri.
Seminis è centro fabrefactor ſpiritus imo
Natura efficiens, formator materiei
Inſtantis raptor, fictor, digeſtor erit ſic
Motor ab internis——
——Quid præſtant ergo Platonis
Archi ille technæ archetypi, ideæ, ora, coloßi,
Phantaſiarum currus, naues quiſquiliarum,
Extra corporeum ſic conſiſtentia mundum?
Immo & ſi certo concluſum limite ſeclum
Finxeris, ad quid opus deiunctarum ſpecierum?
Non ſanè ut rebus ſua ſit conſtantia, namq;
Principia, atq; elementa manent hæc ipſa perenni
Ordine ſeq; gerunt proprios peragentia curſus
E' quibus exerrent numquã; quia non mage lympha
Aeris in campum adſurgit ſpecie acta uaporis
Quam concreta ſuos repetet mox concita fines?
Non etiam efficiens eget ut uertatur ad aſtra

Hinc

Hinc ſimulacra ſui proſpectans alta laboris,
Ne uſq; adeo miſeram naturæ conditionem
Fingamus,noſtra quoniam excelletur ab arte
Per ſenſus ſpeciem interni quæ ſufficienter
Dirigitur,plures nec non ſpecies animantum
Interno actorum ingenio,prudentia mira
Eſt quibus ingenita ſpecie formiculæ,apeſq;
Sollicitæ,exemplar queis nullum panditur extra.
Nam plusquam præſens natura eſt inſita rebus;
A` nihilo diſtans,quoniam nil diſtat ab eſſe
Præterquam falſum,numquam, nuſquam,nihilũq;.
Et rerum facies dum tantum fluctùat extra,
Intimius cunctis quàm ſint ſibi quæq; vigens eſt
Entis principium,cunctarum fons ſpecierum,
Mens,Deus,Ens,Vnum,Verum,Fatum,Ratio,Ordo.

PErit ergo Peripateticum illud cælum primũ rerum omnium quæ natura conſtant principium & finis. Quinta illa ſubſtantia,ſuapte in orbem mobilis natura,quæ fons & origo cæterarum omnium motionum,& perfectiſsimum illud corpus virtute cætera omnia complectens; & illius clauſtra imaginaria effringit inane illud ſpaciũ ac acceptaculum:& ad innumerabilium mundorum complexum immẽſo ſe circũquaq; examplificat campo. Cælici illi motores ut de nihilo ex utero perturbatæ phantaſiæ, prauæ diſpoſitionis ignorantia obſtretrice editi,& ſub tempeſtate tenebroſæ noctis educati, & adulti; ita in ſuum nihilum intelligentiæ ſole exoriente vaneſcant. Diſperit infinita illa inſenſibilis lux, intelligibilis,immaterialis,infinita, ſuperætherea, accendens ſtellas,fauilla cuius ſolem facit:quaſi quidquid dicitur,credibile eſſe poſsit,& quid

quid vates ebrij effutiunt à ſuperioris intelligentiæ di-ctamine promanet. Sed eadem lux, virtus, natura, dominium, poteſtas & actus quo hoc ſpacium non eſt informe, ſed tanta exornatum varietate, & infinitum quod extra ipſum eſt cognoſcere oportet: quandoquidem ſpacij potentiæ conſimilis mundi ſuſceptrici non ſatiſfacit natura intelligibilis, lux ſine corpore, umbra ſine fundamento, verba ſine ſignificato, vox ſine ſenſu; ad appetitum quippe ſpacij expleri perficiq; potentis corpore, mundo, nihil facit ſubſtantia ſeparata, indiuidua, indimenſionata, neq; huic ſpacium quicquam conferre poteſt, niſi ut cum ſimili rerum ordine conſiſtat. Non minus quippe Deus ille, lux illa (eo quo lux dicenda eſt modo) eſt in hoc mundo præſens ubique tota quam eſt ſpacium uniuerſi ſenſibilis iſtius: quia corporum & ſpecierum harum præſentia non excluditur, ſed nobiliori ſorte cognoſcitur atq; conſtat. Quinimmo ſecundum eã qua extra hoc finitũ in ſpacio infinito degit ſortẽ nihil huiuſmodi quod ad ſpacij actum proprium ſpectat producens, indignè & inuidioſe ſe gereret & haberet: quandoquidem ſicut nil vetat quominus eadem ratione totus ille mundus intelligibilis ſit hic (nempe nuſquã excluſus) qua eſt extra, quia præſentia iſtius mundi illius à mundi præſentia nõ abhorret; ita etiam quid eſt quod prohibet quominus in ſpacio illo quod oporteret intelligere infinitum cum tali tantaq; luce, præſentia ſimiliũ huic mundorum comprehendatur? Immo illius mundi præſentia longe minus à præſentia iſtiuſmodi mundorum abhorrebit; alioqui neque in iſto ſpacio productus haberetur hic mũdus, qui nõ magis ab illa abeſſe poteſt diuina luce quam à ſe ipſo. Sicut ergo hoc ſpacium nihil abſq; illius lucis præſentia contineret, & illa nihil abſq; hoc ſpacio produceret: ita & illi luci fruſtra adeſſet illud ſpacium quod ad lucis illius conſiſtentiam (cum incorporea ſit) nihil facit. Incorporea quippe atq;
indi-

indimensionata lux non actuat spacium. An non expedit ergo ut ita cognoscamus & fateamur spacium illic perfectum sicut heic, & lucem diuinam pariter ibi perficientem atq; heic, ut eo quo benè heic se communicat glorificanda modo, & illic se glorificanda communicet? Forte indignum tibi videtur ut in alio spacio talis sit mundus: sed id sine causa; omne quippe spacium absolute non differt ab isto, nisi quia illud tibi est inane hoc verò æquali sibi mundo expletur: cur ergo illud indignum potest esse spacium eo quo istud esse potest dignum? Voluntas (inquies) efficientis liberi & optimi dignitatem facit & indignitatem. Sed ô bone quid est quod tibi de illius voluntate constat? an hoc te aliquis docuit energumenus; aliquis qui cacodæmonem pro anima habuit, hoc edocuit?

Atqui nos de illius voluntate haudquaquam ignobilium & stultorum more definimus, cui quod optimum & gloriosissimum est, & naturæ suæ optimæ conuenientissimum tribuendũ ducimus, quem nefas est quærere in sanguine cimicis. recutito cadauere, epileptici spuma, & sub conculcantibus carnificum pedibus, & melancholicis nec romanticorũ vilium mysterijs; sed in inuiolabili, intemerabiliq; naturę lege, in bene ad eandem legem instituti animi relligione, in splẽdore solis, in specie rerum quæ de huius nostræ parẽtis visceribus educuntur, in imagine illius vera corporeo modo explicata de vultu innumerabiliũ animantum, quæ in immensa unius cæli fimbria lucent, viuunt, sentiunt, intelligunt, optimoq; uni applaudut maximo.

Sic





SIc non succifluis occurro poeta labellis,
Non Ganymedeo cultus, blandusq; lepore,
Mellitus, scitus, tersus, graphicèq; venustus.
At verò durus, villosus, rusticus, asper,
Callosus, rigidus. Porro fortaßis ero cui
Castaneæ haud desunt, & preßi copia lactis.
Fistula grande sonat mea, quamuis dulce nouellis
Non ita, nam pulsat ualido longinqua tenore,
Repletq; obiectum spacioso margine campum:
Doctaq; ad accentus iteratis vocibus Echo
Consonat, & totum sibi contestatur abundè
Impressum arcano in sensu, adstantesq; laceßit,
Inflammatq; deas; ut larga carmina vena
Fundenti occurrant, adplaudant, ad numerosq;
Saltillent, satagantq; leui membra arte mouere.
Tunc ego capripedis seruans vestigia Panos;
Non reboo impulsum memorem Iunonis ob iram,
Nam Cæsar nullus nobis hæc ocia fecit.
Non quod Penelope lento blanditur Vlyßi,
Nam sic barbatum Satyrum tam fœmina vox non
Addecet, hanc quamuis admiror, amoq;, coloq;,
Pro Cyprio quamuis uultu (ceu numine uiso)
Desipio, morior, deuisceror, exeoq; ex me.
Masculeo saltat Faunus, fortiq; tenore,


Occurrens Nymphis, discurrens post Cyparissos,
Inq; alijs quod amat, non volt imitarier omne.
Ergo ego setosum quia me natura creauit,
Non discam rudibus digitis aptare smaragdos,
Cincinnare comam, roseumq; per ora ruborem
Fundere, odoratis caput instrophiare hyacinthis,
Promere flexibiles gestus, mollemq; choream,
Gutturis & de me vocem exentrare tenelli;
Ne uir agam puerum, ne de mare fœmina fiam.
Quod si ut sum factus diuûm pro munere me met
Ingerero rigidum, membrisq; uiriliter acrem,
Infrenem, inuictum, sementoseq; sonantem;
Narcißis referam. Peramarunt me quoq; Nymphæ.

Franciscus Godefridus Troilo.

FINIS.







Iordani Bruno
de monade
numero
et
figura